R-10445

AVR. THEODOSII

# MACROBI

V. Cl. & inluſtris

# OPERA.

IOH. ISACIVS PONTANVS recenſuit: & SATVRNALIORVM libros MS. ope auxit, ordinauit, & CASTIGATIONES ſiue NOTAS adiecit.

*Ad ampliſſimum virum*

ARNOLDVM WITFELDIVM

REGNI DANIÆ *Cancellarium.*

Contenta hoc libro vide pagina ſequenti: quibus accedunt I. MEVRSI breuiores Notæ.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. XCVII.

R-10445

# AVR. THEODOSII MACROBI

V. Cl. & inluſtris

# OPERA.

IOH. ISACIVS PONTANVS recenſuit: & SATVRNALIORVM libros MS. ope auxit, ordinauit, & CASTIGATIONES ſiue NOTAS adiecit.

*Ad ampliſsimum virum*

ARNOLDVM WITFELDIVM
REGNI DANIÆ *Cancellarium.*

Contenta hoc libro vide pagina ſequenti: quibus accedunt I. MEVRSI breuiores Notæ.




LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. XCVII.

## Contenta hac editione.

COMMENTARIVS *in Somnium Scipionis.*

SATVRNALIORVM *Libri ſeptem.*

DE DIFFERENTIIS & SOCIETATIBVS *Græci Latinique verbi Libellus.*

*Ad quæ omnia* IOH. ISACI PONTANI *Caſtigationes ſiue Notæ.*

*Acceßit, præter Indicem Rerum & verborum, Syllabus Auctorum quorum teſtimoniis Macrobius vſus eſt.*

*Nobiliß. & Ampliß. viro*

# ARNOLDO WITFELDIO

AB ODERSBERCH,

REGNI DANIÆ

CANCELLARIO,

IOH. ISACIVS PONTANVS S. D.

NATVRALITER humanis animis innata cupiditas, Witfeldi virorum Nobiliſſime, ignota potius cognoſcendi quam nota repetendi. Et id vt naturaliter, ita ſalutariter quoq. procurauit & operatur aſſiduè ille ſupra nos Vniuerſi & prouidentiæ Oculus. Quid enim, vt artes alias ſileam, huic ipſi, cui ab Humanitate nomen impoſitum, ſcientiæ, abſque hoc ſalubri ſtimulo fuiſſet, factum hodie opinamur? Quid genuinæ Antiquitatis ſtudio? Obruerat cuncta Gothi-

cus ille & fatalis olim furor. Iacebat horrebatque politior omnis animorum cultura. Tum optimorum ingeniorum monumenta conſpurcata, profligata ſunt. Tunc diſtractio, diſcidium, vaſtities venit illis *Moribus antiquis queis ſtat res tanta viriſque.* Quid multa? Verè literariæ reipub. iſta fuerit, aliumq. Heroum Cannenſis quædam clades. Nec ſubitò deſæuiit nox illa temporum; ſed ita pertinaciter occultauit cogitationes hominum; vt memoriam vix reliquerit ſcintillaſque bonæ mentis. Itaque dum reuertitur ad ingenium ſuum inſita illa mentibus virtus, emergitque paulatim ex ignorantiæ tenebris occupatum diu caput; vidit defleuitque miſeriam torporemq. labentis æui. Tunc ad lectionem Veterum, tractationemque aſſiduam incendit meliora ingenia. Quæ ita tandem adoleuere feliciter vt ipſos aliquando ſuperare antiquos non imitari viderentur. Nec

id

id operoſum talibus initiis creditum, niſi ea fuiſſet Antiquitatis calamitas, vt quemadmodum antea æmulari laudabile, ita priſtino aliquid nitori reddidiſſe omni poſtmodum laude haberetur excellentius. Quare vt aliquam literis habitudinem in mitiora mutatio temporum dedit, *ſummum inter homines certamen fuit, ne quid profuturum ſeculis diu lateret.* Et ecce extulerat oportunè ingeniorum parens Italia Picos ſuos, Politianos & Barbaros. Hi indefeſſis antiquorum lectionibus validi, & critico illo ferro ad ſanitatem parati, acres adfuere vindices æſtuanti rogo. Hi perituræ literaturæ patrocinium exſecuti ſeduló, ſubnaſcentia ſacris ſtirpibus quaſi infeſta lolia centuriatim & animosè eruncinarunt. Nec ea ingeniorum felicitas cum ipſis occidit, ſed excepit commodè vicina illa & hæc quoque Gallia. Ea Turnebos, Scaligeros, Lipſios ſuccedaneos veluti dedit tantis



heroi-

heroibus. Et illorum quidem duo vti hodieq. tenebroſi huius æui illuſtria & vnica lumina ſunt, ita ruinoſæ quoque Antiquitatis robuſta columina & fulcra. Leguntur, florent, in vſum hominum, in memoriam recepti; legentur, florebuntque quandiu in pretio fuerit Romana priſcaque cognoſci. Quamdiu quiſquam erit, vt Philoſophi Romani verbis vtar, qui reuerti velit ad Acta maiorũ; quamdiu quiſquam qui ſcire velit quid ſit vir Romanus, qui, vt ille ait,

*Multa tenet antiqua, ſepulta, vetuſta,*
*Quæ faciunt mores veteresque nouoſque*
*ſcientem.*

Atque hi quidem tanta inſignes virtute viri, cum præclaris ſagacioris animi facibus offuſa vndiquaq. literarum nubila dexterrimè ſerenarint; non tamen præripuiſſe adeo cenſendi quæ dici vel inueniri porrò poterant, ſed etiam aperuiſſe. Sic ego dum adoleſcentiæ meæ captum Philoſo-



phiæ Naturæque inuentis auidè augeo ac paſco, ſecundariis tamen horis ingenij vires & operam libenter inpendi his talibus pro parte vel inueniendis vel iuuandis. Et hac quidem occaſione Aurel. Macrobium, quem miſerè mutilauerat elapſi, quod dixi dudum, æui ſcæuitas, eruto nuper ex Bibliothecâ Anglicanâ codice peruetuſto, reformatum & ordinatum vtiliter, lacuniſq. expletis quam vaſtiſſimis, veteri ſua veſte & vultu reducimus. Interfuit enim reipub. literariæ, poſt tot meliorum clades, hunc talem Scriptorem non lacerũ vltra ſed integrum; nec integrum ſolum, ſed quam emendatiſſimum in veteri bibliotheca retineri. Cui etiam rei & Caſtigationes noſtras ſiue Notas applicuimus; &, vt vberes Auctoris huius res ſunt, variis ſimul aliorum Scriptorum locis mederi, & ſubinde vel affectatè, tentauimus. Sed vt hîc inſolentiæ notam non valdè verear, ita

confidentiæ fortaſſis non effugiam, quod tui potiſſimum nominis patrocinio, vir Ampliſſime, leuioris hæc operæ & philologa, vt ſic dicam, ἀμφισβητήματα detulerim. Maiora erant quæ tibi debebamus; Tibi præſertim hac vitæ grauitate, his honoribus eminenti. Sed tu nec hæc qualiacunque aſpernaberis ſpero, qui ſecūdum ſublimia illa & publica munia, oblatum per occaſionem otium honoratiſſimè oblectas hiſtoricâ & antiquâ doctrinâ. Exemplo ſunt, & erunt aliquando locupletiùs, eximia diligentiæ tuæ opera, quibus rerum Danicarum inuolutiora ſubtili induſtriâ illuſtraſti. Vidimus hæc ipſi talia tua, & ſtupuimus hominem in Republicâ & literis ita exercitum, vt in altero horum ſolus fuiſſe crederetur. Iure igitur ob iſtud admirationem in te meliorum animorum excitaſti, ob hoc amorem. Amant te, inquam, Daniæ noſtræ literati primates, quod tu

in foro

in foro & curia media Palladis & togæ decus retines & æſtimas ex profeſſo retinentes. Adeoque vt hæ vel publicæ cauſæ ſufficere mihi potuiſſent opuſculi huius inſcripti tibi, niſi accederent inſuper priuatæ. Patrem meum iam diu eâ beneuolentiâ, quà abſens quà præſens proſecutus es, vt ipſe cum paria referendo imparem ſe ſentiat; Ego quod vnum me poſſe credidi, publicum iſtud extare præoptaui animi noſtri & virtutis tuæ teſtimonium: Et hoc, libertate & ritu veteri, non iſto nouo, quo poſtquam deſiuimus, vt ille inquit, facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Tu itaque, nobiliſſime virorum Witfeldi, lubens volenſque ſuſcipies literarium hoc & iuuenile noſtrum munus; idque quo alacrius facies, nos quoque ad alia & maiora illa, quæ cum ætate maturabimus, efficies alacriores. Vale. Lugduni in Batauis xv. Kal. Octob. ∞. Iↄ. IIIC.

IN
# AVR. MACROBIVM
A
IOH. ISACIO PONTANO
reſtitutum.

P*RISTINVS auſpicio Pontani redditus eſt nunc*
*Macrobio cultu ſub potiore nitor.*
*Gaudete o veterum Scriptorum naufraga turba,*
*Si quos Macrobij docta papyrus habet.*
*Hanc per Macrobium vitam ſpirabitis olim,*
*Quæ per Pontanum reddita Macrobio eſt.*

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CAES. F.

IN
# MACROBIVM
A
Doctiſſ. iuuene
D. IOH. ISACIO PONTANO
reſtitutum.

S*CIPIADAE nobis nil præter ſomnia liquit*
*Iniqua nimium temporis voracitas.*
*Ipſa etiam dudum periiſſent ſomnia, vitam*
*Marcus perennem ni dediſſet ſomnüs.*
*Sed Marci exiguum hoc periiſſet (plurima Marco*
*Fata abſtulere) ni indidiſſet ſpiritum*
*Macrobius; qui iam vicino in limine lethi*
*Ipſus iacebat ſqualido ſitu obſitus,*
*Quum vitam vita auctori Pontane dediſti,*
*Vna ſimul plures iuuante dextera,*
*Somnia Scipiadæ, Marco ſua ſcrinia reddis,*
*Ipſumque longum perpeti vita beas*
*Macrobium: fallor? non te fata aſpera tangent*
*Pontane, debet ipſa cui vitam ſalus.*

P. BERTIVS.

## IN IOH. ISAACI PONTANI MACROBIVM reſtitutum.

M*ACROBIVM ad proprij reuecas quod nominis vſum,*
*Reſtituiſque illi, quod fuit ante, decus:*
*Ille iterum, tanto ſiquidem pro munere gratus,*
*Implebit famæ candida vela tuæ.*
[redacted],
*Qui tibi curarum millia tanta dedit.*

FR. DOVZA.

## DE EODEM.

M*ACROBII falſum nomen iam pene vetuſtas*
*Fecerat, & doctis inuida barbaries.*
*At tu Macrobio nomen Pontane decuſque*
*Reſtituis, Libris fretus & ingenio.*
*Fide. hic te rurſum felix labor, auſpice Muſa,*
*Efficiet fama perpete macrobium.*

FR. RAPHELENGIVS F.F.

ἐγκώμιον
IOH. ISACIO PONTANO,
AMBROSI AVRELI
# MACROBII
V.Cl. & inluſtris,
VINDICI ET ADSERTORI.

S*IC ſolidi nihil eſt? ſic Rerum vertitur Ordo?*
*Sic omni exactum eſt parte vel arte nihil?*
*Lucem* ARPINATI *qui fécit, & abdita doctè*
*Expediit Genij dexteritate ſui;*
*Qui ſatur* AMBROSIA *& cæleſti Nectare plenus*
*Mattia Conuiuis melle adipata dedit;*
MACROBIVS *iacet, hei!, tenebris obnubtus adultis,*
*Furua feré Orcini luſtra ſubiuit Heri.*

*Prò, ſeclum inmite! hà, Fatum inlacrumabile! fruſtrà*
*Ergóne* LONGAEVI *nominis omen erit?*
*Non ita. ſic vivat, Poſitum qui vivere fécit,*
*Et Melici & Medici ſtella coruſca chori,*
PONTANUS, *quo ſe* DANORUM *Pontus alumno*
*Tollit, & undanteis in mare volvit aquas.*
*Macte,* [illegible] *ſcribtis!*
*Et, ſi fors aliquis ſenſus ineſt cineri,*
*Gaude,* PONTA[illegible] VINDICE *ſurges,*
MACROBII *haut fruſtrà nominis omen erit.*
*Surge alacer, Medicoq; tuo Sôtéria defer,*
*Qui Veſpillonum te trahit è manibus.*
*Parte tui truncum meliore, & lumine caſſum*
*Te in medio dolui ſæpé iacére ſitu:*
*Te malè mulcârat Scribarum querquera febris,*
*Spurcâratq; artus ſontica lepra tuos:*
*Corpore quin toto vitalis ceſſerat omnis*
*Cumq; calore color, cumq; colore calor.*
*Tunc miſer. at tamdem felicibus editus aſtris*
PONTANUS, *fracto certa medela viro,*
*Indignam ſortem, & caſus miſeratus acerbos,*
*Gaudet Phœbeas adplicuiſſe manûs.*
*Iamq;* IGNEM FERRUMQVE *parans tibi vulnera clamat,*
*Magnaq; Grammaticos damna dediſſe procos.*
*Ringitur ob vari, & vani Cenſoris acumen,*
*Et ridet Critici ſchemata falſa Gregis.*
*Ridet quiſquiliis nihil eſſe elucius illis,*
*Quas Critice adfundit ingenioſa libris.*
*Ridet. at* ASCLEPI *pollenti numine plenus*
URIT, *&, ut redeat priſtina forma,* SECAT.
*Trunco reſtituit corpus, dat lumina caſſo,*
[illegible]*ſpirat mentem, animumq;* VIRO.
*Perdita fruſta legit, cataplaſmata mollia miſcet,*
*Obligat artifici luxaq; membra manu;*
*Obligat. ecce,* SALUS *campis emiſſa beätis*
*Spem certam Medicum iuſſit habere ſuum.*
*Nec fruſtra. Viden' ut ſurrebtus faucibus Orci*
MACROBIUS *nitidum tollat in aſtra Caput?*
*Fulgeat ut ſcabro ſqualore exutus, & ævo,*
*Se magni properet ferre ſub ora Viri?*

*Nunc*

*Nunc poſtliminio viden' ut ſit redditus olli*
*Cumq; calore color, cumq; colore calor?*
*Serpula non aliter corium convertit & ævum,*
*Stellio ſic ſenium ponit in exuviis.*
*Quæ* PONTANE, *tibi referetur gratia? magna;*
*Scilicet, hinc* LONGI VIVERE *principium.*
*Nunc eat Ambitio, caudamq; per oppida iactet,*
*Quòd dederit fetus publica in ora ſuos;*
*Affaniiſq; bonas cartas macularit ineptis;*
*Seruati Aúctoru gloria major erit.*
*Perge illum porrò, Iuvenis, decurrere Circum,*
*Laus ſolet hos homines indubitata ſequi,*
*Qui Veterum auctorum diuina Inuenta refingunt,*
*Adlucentq; illis, quæ tenebroſa,* FACEM.
*Tu facere hæc potis es (teſtor, ſacra numina, Muſas)*
*Dum video, & liquidò res manifeſta docet;*
*Hinc* VERUM *diá te mente beäre* PROMETHEUM-
*Illamq; egregiis dotibus induëre;*
*Illinc prolixè mutos tibi adeſſe Magiſtros,*
*Atque auram* SCRIBTI *velificare* LIBRI.
*Non eſt quòd metuas Pharium Lucumonis acetum,*
*In toto nulla eſt corpore mica ſalis.*
*Non eſt quòd metuas jejuni dicta Mamurræ:*
*Certè ille inſubidæ garrulitatis homo eſt.*
*Hoc ſtudium Sol eſt.* IGNORAT NOCTUA SOLEM.
*Quid metuis timide? cauſa timoris abeſt.*
*Vos, heîc qui adſtatis caperatâ fronte Magiſtri*
*Ite procul, Ludi pulvere ſparſa cohors.*
*Ad veſtrum faciunt nihil hæc Tuceta palatum*
*QuIs cibus eſt multis allia cum lacrumis.*
*Vos hæc non capitis, tamenetſi carpitis. eheu!*
*Quàm grande eſt Capital carpere non capere!*

PETRVS SCRIVERIVS.

Ἐπίγραμμα

# ΙΩΑΝΝΗ, ΙΣΑΧΙΩ,

Ποντάνῳ

ΜΑΚΡΟΒΙΟΥ

ἀμύντορι.

ΑΛΛΟΤΡΙΑΙΣ βίβλοις ἐς ἑὴν ἐχρήσατο βίβλον
Μακρόβιος, καὶ ὅμως μακρὸν ἔδωκε βίον.
Αἴκε γὰρ ἀλλοτρίας μὴ συλλέξαιτο σελίδας
Μακρόβιος, μικρὸς ἦν ταῖς σελίδεσσι βίος.
Ἀλλὰ λίην ἀσβέστοι βλάβαις κρονίαντι χρόνοντι
Μακρόβιος μονονοὺ πάντ' ἀπέωλε βίον.
Μακροβίῳ τ' ἄλλοις τε βοηδρόμος ἤλθεν ἀμύντωρ
Ποντανός, καὶ ὅμως μακρὸν ἔδωκε βίον.
Πῆ παρέβη; τί δ' ἔρεξεν Ἰσάκιος; ὅσσ' ἐτέλεσσεν;
Καὶ τίν' ἀμοιβαίην δέξεται ἀντίδοσιν;
Μακρόβιός τε καὶ οἷσιν ἐχρήσατο γραμματίοισι
Μακρόβιος, μακρὸν τῷδε πορεῦσι βίον.

ἔγραψα

ΥΓΕΙΑΝΟΣ Ο ΓΡΟΤΙΟΣ.

## Vertebam Latine

SCRIPTA *aliena ſuos dum quondam vertit in vſus*
MACROBIVS, LONGVM VIVERE *ſcripta facit.*
*Illa ſuos etenim ni conuertiſſet in vſus*
MACROBIVS, LONGVM VIVERE *non poterant.*
*Verum incuria ſumma, & ſumma iniuria ſacli*
*Tantumnon peſſum* MACROBIVM *dederant.*
*His vindex veniens* [illegible]
PONTANVS, LONGVM VIVERE *reſtituit.*
*Quo prætergreſſus? quid geſſit* ISACIVS? *& qua*
*Hunc manet a tantis talio digna viris?*
*Macrobius, ſimul his queis vtitur ille libellis,*
PONTANI LONGVM VIVERE *ſcripta facit.*

HVGEIANVS GROTIVS.

# DE MACROBIO

## eiuſque Scriptis TESTIMONIA,

& alia quædam ad Lectorem.

### LIBRI PRIMI SATVRNAL.

CAP. I.

NISI ſicubi nos ſub alio ortos cælo Latinæ linguæ vena non adiuuat. *Et ſtatim:* Petitum impetratumque volumus, æqui bonique conſulant, ſi in noſtro ſermone natiua Romani oris elegantia deſideretur. Macrobius natione Græcus.

### COMMENTARIO

*in Somnium Scipionis.*

LIB. I. CAP. I.

INTER Platonis & Ciceronis libros quos de rep. vtrumque conſtituiſſe conſtat, Euſtathi fili, vitæ mihi pariter dulcedo & gloria &c. Eius liberi.

*Imp. Honorius & Theodoſius*
A A. *Florentio* Pv.

QVI ſacri cubiculi noſtri ſuere præpoſiti, vel nunc eſſe ceperunt, vel quos poſtea ſors ad aſcendendi huius gradum faſtigij deuocarit, ea dignitate fungantur qua ſunt præditi, qui eminentiſſimam prætorianam & vrbanam meruerint præfecturam, aut certe militarem magiſteriam poteſtatem; ita vt ſit inter eos poſt depoſitas adminiſtrationes nulla diſcretio, ſiue noſtræ ſerenitatis adoraturi admittuntur imperium, ſiue pro ſuo arbitrio ſolemnes feſtiuitates & cætus, vel ſalutationes, vel quælibet alia officia frequentent, vt in ſedibus & conſeſſu his eis ordo ſeruetur, quem ordo prouectionis oſtenderit, ſub habitu ipſis videlicet conſueto, cum manifeſte decretum ſit eum eſſe, qui præceſſerit, potiorem, vel illum ſubſequi quem recentius probauerit examen. Sed vt nos ad Macrob. ſacri cubiculi præpoſitus ſub Honorio & Theodoſio Cæſaribus.

hanc

hanc promulgationem, Macrobij viri illuſtris merita prouocarint, ita obſeruationem quoque legis ab eius volumus ſumere prouectionis auſpicium. *Cetera, & locum vnde hæc ſumpta, vide initio Notarum.*

*Geſneri Bibliotheca.*

Eius quædam a Planude tranſlata.

VERTIT in Græcum ſermonem Aurelij Macrobij in Somnium Scipionis Commentarios Maximus Planudes.

*Et in præfatione Theſauri ſui omnium vocum Guilelmus Morelius:*

QVOD Somnium Scipionis Græce tranſlatum, perperam Gazæ tribuatur, veteres codices manuſcripti teſtantur: in quibus non modo id Somnium, verum etiam tota Macrobij eius ſomnij explicatio Græca continetur, Maximoque Planudi adſcribitur. *Huius opuſculi MS. vti accepi a clariſſimo Ioſ. Scaligero, fuit aliquando penes iuris conſultiſſimum I. Cuiacium, Morelium quoque habuiſſe liquet ex plurimorum Planudis locorum laudationibus in eodem, quod dixi, vocum Dictionario.*

ATQVE *hæc, benigne lector, de Macrobio noſtro; Erant & alia, vt apud Ioh. Sariſberienſem & alios, elogia. Sed tu, ſi vacat, videbis & addes. Ego his ex Modij Nouantiquis quas videre ſeriuſcule contigit paucula ſubſeram. Contulit enim is MSS. aliquot Commentarij in Somnium; quorum licet lectiones potiores noſtra huic reſpondeant editioni; ſunt tamen, vt fit in codicum diuerſitate, digna hæc iſta vt moneamus: lib. 1. pag. 6. verſ. 2. inducit*, vel licita, *MS. verſ. 10. verba ea*, ſummo deo & mente *cenſ. gloſſema. ex eodem. verſ. 19. leg.* eius ſimulachrum, quod cum. *pag. 34. verſ. 11.* initio *non* indicio. *pag. 74. verſ. 11. faciendum*, purius, ſit acceptæ luci penetrabilis adeo, vt. *pag. 86. verſ. 21.* obſeruatis ac memoriter. *& ſtatim*, item eius loci ſtella quæ oriebatur, cum primum vas eſſet impletum, intelligentes. *diſcrepantiam vide in textu. Libro Secundo pag. 111. verſ. 24.* diſſimili tactu, *MS. non* tractu. *pag. 119. verſ. 20.* in medio temperata, *MS.* temperatæ. *pag. 121. verſ. 22.* de finibus, *idem*, de ſinibus. *pag. 122. verſ. 10. iterum* ſinibus *non* finibus. *pag. 131. verſ. 7.* cuius deſcriptio, *MS.* inſcriptio. *& ſtatim* animoſitates *non* animoſitas.

*In Notis etiam pag. 695. vbi male expreſſum ἀπουμπλῶ repones ἀποπουμπλῶ. Et ſi qua denique alia leuiora in Erratis nos fugerint, tu per te cognoſces, beniuole lector; & ſimul ignoſces.*

AVREL.



# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. *& inluſtris*

## COMMENTARIVS EX CICERONE IN Somnium Scipionis.

## LIBER PRIMVS.

### CAP. I.

Quæ differentia & quæ ſimilitudo ſit inter Platonis ac Ciceronis de republica libros; curque aut ille indicium Eris, aut hic ſomnium Scipionis operi ſuo adſciuerit.

INTER *Platonis & Ciceronis libros, quos de r. p. vtrumque conſtituiſſe conſtat, Euſtathi fili vitæ mihi pariter dulcedo & gloria, hoc intereſſe prima fronte perſpeximus, quod ille rempub. ordinauit, hic retulit; alter qualis eſſe deberet, alter qualis eſſet à maioribus inſtituta, diſſeruit. in hoc tamen vel maxime operis ſimilitudinem ſeruauit imitatio, quod, cum Plato in voluminis concluſione a quodam vita reddito, quam reliquiſſe videbatur, indicari faciat qui ſit exutarum corporibus ſtatus animarum, adiecta quadam ſphærarum vel ſiderum non ocioſa deſcriptione, rerum facies non diſſimilia ſignificans à* Tulliano *Scipione per quietem ſibi ingeſta narratur. Sed quod vel illi commento tali, vel huic tali ſomnio in his potiſſimum libris opus fuerit, in quibus de rerum pub. ſtatu loquebatur, quove attinuerit*



BIBLIOTECA UNIVERSIT

*inter gubernandarum vrbium conſtituta, circulos, orbes globoſque deſcribere, de ſtellarum modo, de cæli conuerſione tractare, quæſitu dignum & mihi viſum eſt, & aliis fortaſſe videatur: ne viros ſapientia præcellentes nihilque in inueſtigatione veri niſi diuinum ſentire ſolitos, aliquid caſtigato operi adieciſſe ſuperfluum ſuſpicemur. de hoc ergo prius pauca dicenda ſunt, vt liquido mens operis, de quo loquimur, innoteſcat. Rerum omnium Plato & actuum naturam penitus inſpiciens aduertit in omni ſermone ſuo de reipublicæ inſtitutione propoſito infundendum animis iuſtitiæ amorem; ſine qua non ſolum reſpublica, ſed nec exiguus hominum cœtus, nec domus quidem parua conſtabit. ad hunc porrò iuſtitiæ affectum pectoribus inoculandum nihil æque patrocinaturum vidit, quàm ſi fructus eius non videretur cum vita hominis terminari. hunc vero ſuperſtitem durare poſt hominem qui poterat oſtendi, niſi prius de animæ immortalitate conſtaret? fide autem facta perpetuitatis animarum conſequens eſſe animaduertit, vt certa illis loca nexu corporis abſolutis, pro contemplatu probi improbive meriti deputata ſint, ſic in Phædone, inexpugnabilium luce rationum anima in veram dignitatem propriæ immortalitatis aſſerta, ſequitur diſtinctio locorum, quæ hanc vitam relinquentibus ea lege debentur quam ſibi quiſque viuendo ſanxerit. ſic in Gorgia, poſt peractam pro iuſtitia diſputationem, de habitu poſt corpus animarum morali grauitate Socraticæ dulcedinis ammonemur. Idem igitur obſeruanter ſecutus eſt in illis præcipue voluminibus, quibus ſtatum reipublicæ formandum præcepit. nam poſtquam principatum iuſtitiæ dedit, docuitque animam poſt animal non perire: per illam demum fabulam (ſic enim quidam vocant) quo anima poſt corpus euadat & vnde ad corpus veniat in fine operis aſſeruit; vt iuſtitia vel cultæ præmium vel ſpretæ pœnam, animis quippe immortalibus*





*ſubituriſque iudicium ſeruari doceret. Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reſeruans quam ingenio repertus eſt. poſtquam in omni reipublicæ ocio ac negotio palmam iuſtitiæ diſputando dedit: ſacras immortalium animarum ſedes & cæleſtium arcana regionum in ipſo conſummati operis faſtigio locauit; indicans quo his perueniendum vel potius reuertendum ſit, qui rempublicam cum prudentia, iuſtitia, fortitudine ac moderatione tractauerunt. Sed ille Platonicus ſecretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio. qui, cum vulneribus in prælio acceptis vitam effudiſſe viſus, duodecimo die demum inter ceteros vna peremptos vltimo eſſet honorandus igne, ſubito ſeu recepta anima ſeu retenta quicquid emenſis inter vtramque vitam diebus egerat videratve, tamquam publicum profeſſus indicium, humano generi enuntiauit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis quaſi ipſe veri conſcius doleat irriſam, exemplum tamen ſtolidæ reprehenſionis vitans excitari narraturum quàm reuiuiſcere maluit.*

## CAP. II.

Quid reſpondendum Coloti Epicureo putanti philoſopho non eſſe vtendum fabulis; quaſque fabulas philoſophia recipiat, & quando his philoſophi ſoleant vti.

*AC, prius quam ſomnij verba conſulamus, enodandum nobis eſt, a quo genere hominũ Tullius memoret vel irriſam Platonis fabulam, vel ne ſibi idem eueniat non vereri. nec enim his verbis vult imperitum vulgus intelligi, ſed genus hominũ veri ignarum ſub peritiæ oſtentatione: quippe quos & legiſſe talia, & ad reprehendendũ animatos conſtaret. Dicemus igitur & quos in tantum philoſophum referat quandam cenſuræ exercuiſſe leuitatem, quisve eorum etiam ſcriptam reliquerit accuſationem; & poſtremo quid pro ea duntaxat parte, quæ huic operi neceſſaria eſt, re-*

ſponderi conueniat obiectis. quibus, quod factu facile eſt, eneruatis, iam quicquid vel contra Platonis vel contra Ciceronis opinionem etiam in Scipionis ſomnium ſeu iaculatus eſt vnquam morſus liuoris, ſeu forte iaculabitur, diſſolutum erit. Epicureorum tota factio, æquo ſemper errore à vero deuia, & illa exiſtimans ridenda quæ neſciat, ſacrum volumen & auguſtiſsima irriſit naturæ ſeria. Colotes vero inter Epicuri auditores famoſior & loquacitate notabilior, etiam in librum retulit quæ de hoc amarius reprehendit. ſed cetera, quæ iniuria notauit, ſiquidem ad ſomnium de quo hic procedit ſermo non attinent, hoc loco nobis omittenda ſunt. illam calumniam perſequemur, quæ, niſi ſupplodatur, manebit Ciceroni cum Platone communis. ait à philoſopho fabulam non oportuiſſe confingi: quoniam nullum figmenti genus veri profeſſoribus conueniret. Cur enim, inquit, ſi rerum cæleſtium notionem ſi habitum nos animarum docere voluiſti, non ſimplici & abſoluta hoc inſinuatione curatum eſt, ſed quæſita perſona caſusque excogitata nouitas & compoſita aduocati ſcena figmenti ipſam quærendi veri ianuam mendacio polluerunt? Hæc quoniam, cum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani noſtri ſomniantis incuſant (vtraque enim ſub appoſito argumento electa perſona eſt, quæ accommoda enuntiandis haberetur) reſiſtamus vrgenti; & fruſtra arguens refellatur: vt vna calumnia diſſoluta vtriuſque factum incolumem, vt fas eſt, retineat dignitatem. Nec omnibus fabulis philoſophia repugnat, nec omnibus acquieſcit. &, vt facile ſecerni poſsit, quæ ex his ab ſe abdicet ac velut profana ab ipſo veſtibulo ſacræ diſputationis excludat, quæve etiam ſæpe ac libenter admittat, diuiſionum gradibus explicandum eſt. Fabulæ, quarum nomen indicat falſi profeſsionem, aut tantum conciliandæ auribus voluptatis aut adhortationis quoque in bonam frugem gratia

repertæ



repertæ ſunt, auditum mulcent; velut comœdiæ; quales Menander eiuſve imitatores agendas dederunt: vel argumēta fictis caſibus amatorum referta; quibus vel multum ſe Arbiter exercuit, vel Apuleiū non nūquam luſiſſe miramur. Hoc totum fabularum genus, quod ſolas aurium delicias profitetur, è ſacrario ſuo in nutricum cunas ſapientiæ tractatus eliminat. Ex his autem, quæ ad quamdam virtutis ſpeciem intellectum legentis hortantur fit ſecunda diſcretio. in quibuſdam enim & argumentum ex ficto locatur & per mendacia ipſe relationis ordo contexitur: vt ſunt illæ Æſopi fabulæ elegantia fictionis illuſtres. at in aliis argumentum quidem fundatur veri ſoliditate: ſed hæc ipſa veritas per quædam compoſita & ficta profertur. & hoc iam vocatur fabuloſa narratio non fabula: vt ſunt cerimoniarum ſacra; vt Heſiodi & Orphei, quæ de deorum progenie actuve narrantur; vt myſtica Pythagoreorum ſenſa referuntur. Ex hac ergo ſecunda diuiſione, quam diximus, a philoſophiæ libris prior ſpecies, quæ concepta de falſo per falſum narratur, aliena eſt. Sequens in aliam rurſum diſcretionem ſciſſa diuiditur. nam, cum veritas argumento ſubeſt, ſolaque fit narratio fabuloſa; non vnus reperitur modus per figmentum vera referendi. aut enim contextio narrationis per turpia & indigna numinibus ac monſtro ſimilia componitur: vt di adulteri, Saturnus pudenda Cæli patris abſcindens, & ipſe rurſus a filio regno potito in vincula coniectus; quod genus totum philoſophi neſcire maluerunt, aut ſacrarum rerum notio ſub figmentorum velamine honeſtis & tecta rebus & veſtita nominibus enuntiatur. & hoc eſt ſolum figmenti genus, quod cautio de diuinis rebus admittit. Cum igitur nullam diſputationi pariat iniuriam vel Er index vel ſomnians Africanus, ſed rerum ſacrarum enuntiatio integra ſui dignitate his ſit tecta nominibus, accuſator tandem edoctus a fabulis fabuloſa ſecernere

 con-

*conquieſcat. Sciendum eſt tamen non in omnem diſputationem philoſophos admittere fabuloſa vel licita ſed his vti ſolent, cùm vel de anima, vel de aëreis ætheriiſve poteſtatibus, vel de ceteris dis loquuntur. Ceterum cum ad ſummum & principem omnium deum, qui apud Græcos τ' ἀγαθὸν, qui πρῶτον αἴτιον nuncupatur, tractatus ſe audet attollere; vel ad mentem, quam Græci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quæ ἰδέαι dictæ ſunt, continentem, ex ſummo natam & profectam deo: cum de his, inquam, loquuntur, ſummo deo & mente; nihil fabuloſum penitus attingunt. ſed ſi quid de his aſsignare conantur, quæ non ſermonem tantum modo ſed cogitationem quoque humanam ſuperant, ad ſimilitudines & exempla confugiunt. ſic Plato cum de τ' ἀγαθῷ loqui eſſet animatus, dicere quid ſit non auſus eſt, hoc ſolum de eo ſciens, quod ſciri quale ſit ab homine non poſſet: ſolum vero ei ſimillimum de viſilibus ſolem repperit; & per eius ſimilitudinem viam ſermoni ſuo attollens ſe ad non comprehendenda patefecit. ideo & nullum ei ſimulachrum, cum dis aliis conſtitueretur, finxit antiquitas: quia ſummus deus nataque ex eo mens ſicut vltra animam, ita ſupra naturam ſunt: quo nihil fas eſt de fabulis peruenire. De dis autem, vt dixi, ceteris & de anima non fruſtra ſe, nec, vt oblectent, ad fabuloſa conuertunt: ſed quia ſciunt inimicam eſſe naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui: quæ ſicut vulgaribus hominum ſenſibus intellectum ſui vario rerum tegmine operimentoque ſubtraxit: ita a prudentibus arcana ſua voluit per fabuloſa tractari. ſic ipſa myſteria figurarum cuniculis operiuntur; ne vel hæc adeptis nuda rerum talium ſe natura præbeat: ſed ſummatibus tantum viris ſapientia interprete veri arcani conſciis, contenti ſint reliqui ad venerationem figuris defendentibus a vilitate ſecretum. Numenio denique inter philoſophos occultorum curioſiori offenſam numi-*





*num, quod Eleuſinia ſacra interpretando vulgauerit, ſomnia prodiderunt, viſa ſibi ipſas Eleuſinias deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere proſtantes; admirantique & cauſas non conuenientis numinibus turpitudinis conſulenti reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitiæ ſuæ vi abſtractas & paſsim adeuntibus proſtitutas. adeo ſemper ita ſe & ſciri & coli numina maluerunt, qualiter in vulgus antiquitas fabulata eſt; quæ & imagines & ſimulacra formarum talium prorſus alienis & ætates tam incrementi quam deminutionis ignaris & amictus ornatusque varios corpus non habentibus aſsignauit. ſecundum hæc Pythagoras ipſe atque Empedocles, Parmenides quoque & Heraclitus de diis fabulati ſunt: nec ſecus Timæus; qui progenies eorum, ſicuti traditum fuerat, exſecutus eſt.*

## CAP. III.

Quinque eſſe genera ſomniandi; atque ſomnium hoc Scipionis ad prima tria genera debere referri.

HIS *prælibatis, antequam ipſa ſomnij verba tractemus, prius quot ſomniandi modos obſeruatio deprehenderit, cum licentiam figurarum quæ paſsim quieſcentibus ingeruntur ſub definitionem ac regulam vetuſtas mitteret, ediſſeramus: vt cui eorum generi ſomnium, de quo agimus, applicandum ſit innoteſcat. Omnium, quæ videre ſibi dormientes videntur, quinque ſunt principales & diuerſitates & nomina: aut enim eſt ὄνειρος ſecundum Græcos, quod Latini* ſomnium *vocant; aut eſt ὅραμα, quod* viſio *recte appellatur, aut eſt χρηματισμὸς, quod oraculum nuncupatur, aut eſt ἐνύπνιον, quod inſomnium dicitur; aut eſt φάντασμα, quod Cicero, quotiens opus hoc nomine fuit, viſum vocauit. Vltima ex his duo, cum videntur, cura in-*

*terpretationis indigna ſunt, quia nihil diuinationis apportant: ἐνύπνιον dico & φάντασμα. eſt enim ἐνύπνιον, quotiens cura oppreſſi animi corporiſve ſiue fortunæ, qualis vigilantem fatigauerat, talem ſe ingerit dormienti. animi; ſi amator deliciis ſuis aut fruentem ſe videat aut carentem: ſi metuens quis imminentem ſibi vel inſidiis vel poteſtate perſonam, aut incurriſſe hanc ex imagine cogitationum ſuarum, aut effugiſſe videatur. corporis; ſi temeto ingurgitatus aut diſtentus cibo, vel ex abundantia præfocari ſe exiſtimet, vel grauantibus exonerari: aut contra, ſi eſuriens cibum aut potum ſitiens deſiderare, quærere, vel etiam inueniſſe videatur. fortunæ; cum ſe quis æſtimat vel potentia, vel magiſtratu aut augeri pro deſiderio, aut exui pro timore. Hæc & his ſimilia, quoniam ex habitu mentis quietem ſicut præuenerant, ita & turbauerant dormientis, vna cum ſomno aduolant & pariter euaneſcunt. hinc & inſomnio nomen eſt, non quia per ſomnium videtur (hoc enim eſt huic generi commune cum ceteris) ſed quia in ipſo ſomnio tantummodo eſſe creditur, dum videtur; poſt ſomnium nullam ſui vtilitatem vel ſignificationem relinquit. Falſa eſſe inſomnia nec Maro tacuit,*

Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes, *cælum hic viuorum regionem vocans: quia ſicut di nobis, ita nos defunctis ſuperi habemur. Amorem quoque deſcribens, cuius curam ſemper ſequuntur inſomnia, ait;*

—Hærent infixi pectore vultus,
Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.

*& poſt hæc:*

Anna ſoror quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?

φάντασμα *vero, hoc eſt viſum, cum inter vigiliam & adultam quietem in quadam, vt aiunt, prima ſomni nebula adhuc ſe vigilare æſtimans, qui dormire vix cœpit, aſpi-*

*cere*



*cere videtur irruentes in ſe, vel paſſim vagantes formas, à natura ſeu magnitudine ſeu ſpecie diſcrepantes, variáſque tempeſtates rerum vel lætas vel turbulentas. In hoc genere eſt* ἐφιάλτης; *quem publica perſuaſio quieſcentes opinatur inuadere & pondere ſuo preſſos ac ſentientes grauare. His duobus modis ad nullam noſcendi futuri opem receptis, tribus ceteris in ingenium diuinationis inſtruimur. Et eſt oraculum quidem, cum in ſomnis parens vel alia ſancta grauiſque perſona, ſeu ſacerdos, vel etiam deus, aperte euenturum quid, aut non euenturum, faciendum vitandumve denunciat. Viſio eſt autem, cum id quis videt, quod eodem modo quo apparuerat eueniet. amicum peregre commorantem, quem non cogitabat, viſus ſibi eſt reuerſum videre, & procedenti obuius, quem viderat, venit in amplexus, depoſitum in quiete ſuſcipit; & matutinus ei precator occurrit mandans pecuniæ tutelam, & fidæ cuſtodiæ celanda committens. Somnium proprie vocatur, quod tegit figuris & velat ambagibus non niſi interpretatione intelligendam ſignificationem rei quæ demonſtratur, quod quale ſit, à nobis non exponendum eſt, cum hoc vnuſquiſque, ex vſu quid ſit, agnoſcat. Huius quinque ſunt ſpecies. aut enim proprium, aut alienum, aut commune, aut publicum, aut generale eſt. Proprium eſt; cum ſe quis facientem patientemve aliquid ſomniat: alienum; cum alium: commune; cum ſe vnà cum alio. Publicum eſt; cum ciuitati forove vel theatro ſeu quibuslibet publicis mœnibus actibusve triſte vel lætum quid exiſtimat accidiſſe. generale eſt, cum circa ſolis orbem lunaremve globum, ſeu alia ſidera vel cælum omnesve terras aliquid ſomniat innouatum. Hoc ergo, quod Scipio vidiſſe ſe retulit, & illa quæ ſola probabilia ſunt genera principalitatis amplectitur, & omnes ipſius ſomnij ſpecies attingit. eſt enim oraculum; quia Paulus & Africanus vterque parens, ſancti graueſque, nec alieni ſacerdotio,*

*dotio, quid illi euenturum eſſet denuntiauerunt. eſt viſio; quia loca ipſa, in quibus poſt corpus vel qualis futurus eſſet, aſpexit. eſt ſomnium; quia rerum, quæ illi narratæ ſunt altitudo tecta profunditate prudentiæ non poteſt nobis niſi ſcientia interpretationis aperiri. Ad ipſius quoque ſomnij ſpecies omnes refertur. eſt proprium; quia ad ſupera ipſe perductus eſt, & de ſe futura cognouit. eſt alienum; quod, quem ſtatum aliorum animæ ſortitæ ſint, deprehendit. eſt commune; quod eadem loca tam ſibi quam cæteris eiuſdem meriti didicit præparari. eſt publicum; quod victoriam patriæ & Karthaginis interitum & Capitolinum triumphum ac ſolicitudinem futuræ ſeditionis agnouit. eſt generale; quod cælum cælique circulos conuerſionisque concentum viuo adhuc homini noua & incognita, ſtellarum etiam ac luminum motus, terræque omnis ſitum, ſuſpiciendo vel deſpiciendo concepit. Nec dici poteſt non aptum fuiſſe Scipionis perſonæ ſomnium, quod & generale eſſet & publicum: quia necdum illi contigiſſet ampliſſimus magiſtratus; imo cum adhuc, vt ipſe dicit, pæne miles haberetur. aiunt enim non habenda pro veris de ſtatu ciuitatis ſomnia, niſi quæ rector eorum magiſtratusve vidiſſet, aut quæ de plebe non vnus ſed multi ſimilia ſomniaſſent. ideo apud Homerũ, cum in concilio Græcorum Agamemnon ſomnium, quod de inſtruendo prœlio viderat, publicaret, Neſtor, qui non minus ipſe prudentia quam omnis iuuenta viribus iuuit exercitum, concilians fidem relatis, De ſtatu, inquit, publico credendum regio ſomnio: quod ſi alter vidiſſet, repudiaremus vt futile. Sed non ab re erat, vt Scipio, & ſi necdum adeptus tunc fuerat conſulatum, nec erat rector exercitus, Karthaginis ſomniaret interitum, cuius erat auctor futurus; audiretque victoriam beneficio ſuo publicam; videret etiam ſecreta naturæ vir non minus philoſophia quam virtute præcellens. His aſſertis, quia ſuperius falſitatis inſomniorum*

*Vergi-*



*Vergilium teſtem citantes, eius verſus fecimus mentionem eruti de geminarum ſomnij deſcriptione portarum. ſi quis forte quærere velit cur porta ex ebore falſis, & e cornu veris ſit deputata; inſtruetur auctore Porphyrio, qui in commentarijs ſuis hæc in eundem locum dicit ab Homero ſub eadem diuiſione deſcriptum: Latet, inquit, omne verum. hoc tamen anima, cum ab officiis corporis ſomno eius paululum libera eſt, interdum aſpicit; non nunquam tendit aciem, nec tamen peruenit: &, cum aſpicit, tamen non libero & directo lumine videt, ſed interiecto velamine; quod nexus naturæ caligantis obducit. & hoc in natura eſſe idem Vergilius aſſerit dicens:*

Adſpice; namque omnem quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

*Hoc velamen cum in quiete ad verum vſque aciem animæ introſpicientis admittit de cornu creditur, cuius iſta natura eſt, vt tenuatum viſui peruium ſit: cum autem a vero hebetat ac repellit obtutum, ebur putatur. cuius corpus ita natura denſatum eſt, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis eraſum, nullo viſu ad vlteriora tendente penetretur.*

## CAP. IIII.

Propoſitum ſeu ſcopus huius ſomnij quis ſit.

TRACTATIS *generibus & modis, ad quos ſomnium Scipionis refertur, nunc ipſam eiuſdem ſomnij mentem, ipſumque propoſitum, quem Græci* σκοπὸν *vocant, antequam verba inſpiciantur, tentemus aperire; & eo pertinere propoſitum præſentis operis aſſeramus, ſicut iam in principio huius ſermonis adſtruximus, vt animas bene de republica meritorum poſt corpora cælo reddi, & illic*

*frui*

*frui beatitatis perpetuitate nos doceat. nam Scipionem ipſum hæc occaſio ad narrandum ſomnium prouocauit, quod longo tempore ſe teſtatus eſt ſilentio condidiſſe. cum enim Lælius quereretur nullas Naſicæ ſtatuas in publico, in interfecti tyranni remunerationem, locatas; reſpondit Scipio poſt alia in hæc verba :* Sed quamquam ſapientibus conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis eſt præmium: tamen illa diuina virtus non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam & viridiora præmiorum genera deſiderat. Quæ tamen iſta ſunt, inquit, Lælius? Tum Scipio, Patimini me, inquit, quoniam tertium diem iam feriati ſumus. *& cetera, quibus ad narrationem ſomnij venit, docens illa eſſe ſtabiliora & viridiora præmiorum genera, quæ ipſe vidiſſet in cælo bonis rerump. ſeruata rectoribus: ſicut his verbis eius oſtenditur:* Sed quo ſis Africane alacrior ad tutandam rempublicam; ſic habeto. Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo & definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. *& paulo poſt, hunc certum locum, qui ſit deſignans, ait:* Sed ſic, Scipio, vt auus hic tuus, vt ego qui te genui, iuſtitiam cole & pietatem: quæ cum magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt. ea vita via eſt in cælum, & in hunc cœtum eorum qui iam vixere & corpore laxati incolunt locum, quem vides; ſignificans galaxian. *Sciendum eſt enim quod locus, in quo ſibi eſſe videtur Scipio per quietem lacteus circulus eſt, qui galaxias vocatur. ſiquidem his verbis in principio vtitur:* Oſtendebat autem Karthaginem de excelſo & pleno ſtellarum illuſtri & claro quodam loco. *& paulo poſt apertius dicit:* Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circulus elucens,

quem



quem vos, vt à Graiis accepiſtis, orbem lacteum nuncupatis; ex quo omnia mihi contemplanti præclara & mirabilia videbantur. *& de hoc quidem galaxia, cum de circulis loquemur, plenius diſſeremus.*

## CAP. V.

Quamquam omnes numeri modo quodam pleni ſint; tamen ſeptenarium & octonarium perculiariter plenos dici: quamque ob cauſam octonarius plenus vocetur.

SED *iam quoniam inter libros, quos de republica Cicero quosque prius Plato ſcripſerat, quæ differentia quæ ſimilitudo habeatur, expreſſimus, & cur operi ſuo vel Plato Eris indicium vel Cicero ſomnium Scipionis adſciuerit, quidve ſit ab Epicureis obiectum Platoni, vel quemadmodum debilis calumnia refellatur, & quibus tractatibus philoſophi admiſceant, vel a quibus penitus excludant fabuloſa, retulimus; adiecimusque poſt hæc neceſſario genera omnium imaginum, quæ falſo quæque vero videntur in ſomnis, ipſasque diſtinximus ſpecies ſomniorum, ad quas Africani ſomnium conſtaret referri; & cur Scipioni conuenerit talia ſomniare; & de geminis ſomnij portis, quæ fuerit à veteribus expreſſa ſententia ſuper his omnibus, ipſius ſomnij, de quo loquimur, mentem propoſitumque ſignauimus; & partem cæli euidenter expreſſimus, in qua ſibi Scipio per quietem hæc vel vidiſſe viſus eſt vel audiſſe quæ retulit: nunc iam diſcutienda nobis ſunt ipſius ſomnij verba, non omnia, ſed vt quæque videbuntur digna quæſitu. ac prima nobis tractanda ſe ingerit pars illa de numeris, in qua ſic ait:* Nam cum ætas tua ſeptenos octies ſolis amfractus redituſque conuerterit, duoque hi numeri, quorum vterque plenus alter altera de cauſa habetur, circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint:

cerint: in te vnum atque in tuum nomen ſe tota conuertet ciuitas. te ſenatus, te omnes boni, te ſocij, te Latini intuebuntur: tu eris vnus in quo nitatur ciuitatis ſalus; ac, ne multa, dictator remp. conſtituas oportet ſi impias propinquorum manus effugeris.

*Plenitudinem hic non fruſtra numeris aſſignat. plenitudo enim proprie niſi diuinis rebus ſupernisque non conuenit: neque enim corpus proprie plenum dixeris, quod cum ſui ſit impatiens effluendo, alieni eſt appetens hauriendo. quæ ſi metallicis corporibus non vſu veniunt, non tamen plena illa ſed vaſta dicenda ſunt. Hæc eſt igitur communis numerorum omnium plenitudo; quod cogitationi à nobis ad ſuperos meanti occurrit prima perfectio incorporalitatis in numeris. inter ipſos tamen proprie pleni vocantur ſecundum hos modos, qui præſenti tractatui neceſſarij ſunt, qui aut vim obtinent vinculorum, aut corpora rurſus efficiuntur, aut corpus efficiunt; ſed corpus, quod intelligendo non ſentiendo, concipias. totum hoc, vt obſcuritatis deprecetur offenſa, paulo altius repetita rerum luce, pandendum eſt. Omnia corpora ſuperficie finiuntur, & in ipſam eorum pars vltima terminatur. hi autem termini, cum ſint ſemper circa corpora quorum termini ſunt, incorporei tamen intelliguntur. nam quouſque corpus eſſe dicetur; necdum terminus intelligitur: cogitatio, quæ conceperit terminum, corpus relinquit. ergo primus a corporibus ad incorporea tranſitus oſtendit corporum terminos. & hæc eſt prima incorporea natura poſt corporea, ſed non pure nec ad integrum carens corpore: nam licet extra corpus natura eius ſit; tamen non niſi circa corpus apparet. cum totum denique corpus nominas; etiam ſuperficies hoc vocabulo continetur: de corporibus eam tametſi non res ſed intellectus ſequeſtrat. Hæc ſuperficies ſicut eſt corporum terminus, ita lineis terminatur, quas ſuo nomine grammas Græcia no-*





*minauit. punctis lineæ finiuntur. Et hæc ſunt corpora quæ mathematica vocantur; de quibus ſollerti induſtria geometricæ diſputatur. Ergo hæc ſuperficies, cum ex aliqua parte corporis cogitatur, pro forma ſubiecti corporis accipit numerum linearum. nam ſeu trium vt trigonum, ſeu quatuor vt quadratum, ſeu plurium ſit angulorum; totidem lineis ſeſe ad extrema tangentibus planicies eius includitur. Hoc loco ammonendi ſumus, quod omne corpus longitudinis latitudinis & altitudinis dimenſionibus conſtat. Ex his tribus in linea ductu vna dimenſio eſt. longitudo eſt enim ſine latitudine. planicies vero, quam Græci ἐπιφάνειαν vocant, longo latoque diſtenditur, alto caret. & hæc planicies quantis lineis contineatur expreſſimus. ſoliditas autem corporum conſtat, cum his duabus additur altitudo. fit enim tribus dimenſionibus impletis corpus ſolidum, quod ςερεὸν vocant: qualis eſt teſſera, quæ cubus vocatur: ſi vero non vnius partis ſed totius velis corporis ſuperficiem cogitare, quod proponamus eſſe quadratum (vt de vno, quod exemplo ſufficiet, diſputemus) iam non quatuor ſed octo anguli colliguntur. quod animaduertis, ſi ſuper vnum quadratum, quale prius diximus, alterum tale altius impoſitum mente conſpicias, vt altitudo, quæ illi plano deerat, adiiciatur; fiatque tribus demenſionibus impletis corpus ſolidum, quod ſtereon vocant ad imitationem teſſeræ, quæ cubus vocatur. Ex his apparet octonarium numerum ſolidum corpus & eſſe & haberi. ſiquidem vnum apud geometras puncti locum obtinet. duo, lineæ ductum faciunt, quæ duobus punctis, vt ſupra diximus, coërcetur. quatuor vero puncta aduerſum ſe in duobus ordinibus bina per ordinem poſita exprimunt quadri ſpeciem a ſingulis punctis in aduerſum punctum eiecta linea. Hæc quatuor, vt diximus, duplicata & octo facta duo quadra ſimilia deſcribunt: quæ ſibi ſuperpoſita additaque altitudine formam cubi, quod eſt ſolidum*

corpus, efficiunt. Ex his apparet antiquiorem eſſe numerum ſuperficie & lineis, ex quibus illam conſtare memorauimus, formisque omnibus. à lineis enim aſcenditur ad numerum tamquam ad priorem, vt intelligatur ex diuerſis numeris linearum quæ formæ geometricæ deſcribantur. Ipſam ſuperficiem cum lineis ſuis, primam poſt corpora diximus incorpoream eſſe naturam, nec tamen ſequeſtrandam, propter perpetuam cum corporibus ſocietatem. ergo quod ab hac ſurſum recedit, iam purè incorporeum eſt. numeros autem hac ſuperiores præcedens ſermo pateſecit. Prima eſt igitur perfectio incorporalitatis in numeris. & hæc eſt, vt diximus, numerorum omnium plenitudo. ſeorſum autem illa, vt ſuprà admonuimus, plenitudo eſt eorum, qui aut corpus efficiant, aut efficiantur, aut vim obtineant vinculorum; licet alias quoque cauſas quibus pleni numeri efficiantur eſſe non ambigam. Qualiter autem octonarius numerus ſolidum corpus efficiat antelatis probatum eſt. ergo ſingulariter quoque plenus iure dicetur propter corporeæ ſoliditatis effectum. Sed & ad ipſam cæli harmoniam, id eſt, concinentiam, hunc numerum magis aptum eſſe non dubium eſt; cum ſphæræ ipſæ octo ſint, quæ mouentur: de quibus ſecuturus ſermo procedet. Omnes quoque partes, de quibus conſtat hic numerus, tales ſunt vt ex earum compage plenitudo naſcatur, eſt enim aut de his quæ neque generantur neque generant; de monade & ſeptem: quæ qualia ſint ſuo loco plenius explicabitur. aut deduplicato eo, qui & generatur & generat, id eſt, quatuor. nam hic numerus quatuor & naſcitur de duobus & octo generat aut componitur de tribus & quinque; quorum alter primus omnium numerorum impar apparuit. quinarij autem potentiam ſequens tractatus attinget. Pythagorici vero hunc numerum iuſtitiam vocauerunt: quia primus omnium ita ſoluitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bis quaterna, vt nihilo-





minus in numeros æque pariter pares diuiſio quoque ipſa ſoluatur, id eſt, in bis bina. Eadem quoque qualitate contexitur; id eſt, bis bina bis. Cum ergo & contextio ipſius, pari æqualitate procedat, & reſolutio æqualiter redeat vſque ad monadem, quæ diuiſionem arithmetica ratione non recipit; merito propter æqualem diuiſionem iuſtitiæ nomen accepit: & quia ex ſupradictis omnibus apparet quanta & partium ſuarum & ſeorſum ſua plenitudine nitatur, iure plenus vocatur.

## CAP. VI.

Multas eſſe cauſas cur ſeptenarius plenus vocetur.

SVPEREST vt ſeptenarium quoque numerum plenum iure vocitandum ratio in medio conſtituta perſuadeat. Ac primum hoc tranſire ſine admiratione non poſſumus; quod duo numeri, qui in ſe multiplicati vitale ſpatium viri fortis includerent, ex pari & impari conſtiterunt. hoc enim verè perfectum eſt, quod ex horum numerorum permixtione generatur. nam impar numerus mas & par femina vocatur. item arithmetici imparem patris & parem matris appellatione venerantur. hinc & Timæus Platonis fabricatorem mundanæ animæ deum partes eius ex pari & impari, id eſt, duplari & triplari numero, intertexuiſſe memorauit; ita vt a duplari vſque ad octo, à triplari vſque ad viginti ſeptem ſtaret, alternatio mutuandi. hi enim primi cubi vtrimq. naſcuntur, ſiquidem à paribus bis bini, qui ſunt quatuor, ſuperficiem faciunt: bis bina bis quæ ſunt octo, corpus ſolidum fingunt. a diſpari verò ter terna, quæ ſunt nouem, ſuperficiem reddunt; & ter terna ter, id eſt, ter nouena, quæ ſunt viginti ſeptem, primum æque cubum alterius partis efficiunt. Vnde intelligi datur hos duos numeros, octo dico & ſeptem, qui ad mul-

tiplicationem annorum perfecti in republica viri conuenerunt; ſolos idoneos ad efficiendam mundi animam iudicatos: quia nihil poſt auctorem poteſt eſſe perfectius. Hoc quoq. notandum eſt. quod ſuperius aſſerentes communem numerorum omnium dignitatem, antiquiores eos ſuperficie & lineis eius omnibusq. corporibus oſtendimus: præcedens autem tractatus inuenit numeros & ante animam mundi fuiſſe, quibus illam contextam auguſtiſſima Timæi ratio naturæ ipſius conſcia & teſtis expreſſit. Hinc eſt quod pronuntiare non dubitauere ſapientes animam eſſe numerum ſe mouentem. nunc videamus cur ſeptenarius numerus ſuo ſeorſum merito plenus habeatur. cuius vt expreſſius plenitudo noſcatur, primum merita partium de quibus conſtat, tum demum quid ipſe poſſit, inueſtigemus. Conſtat ſeptenarius numerus vel ex vno & ſex, vel ex duobus & quinque, vel ex tribus & quatuor. Singularum compagum membra tractemus; ex quibus fatebimur nullum alium numerum tam varia eſſe maieſtate ſecundum. Ex vno & ſex compago prima componitur. vnum autem, quod μονὰς, id eſt, vnitas dicitur, & mas idem & femina eſt; par idem atque impar; ipſe non numerus, ſed fons & origo numerorum. Hæc monas initium finisque omnium neque ipſa principij aut finis ſciens ad ſummum refertur deum, eiusque intellectum a ſequentium numero rerum & poteſtatum ſequeſtrat: nec in inferiore poſt deum gradu eam fruſtra deſideraueris. Hæc illa eſt mens ex ſummo enata deo, quæ vices temporum neſciens in vno ſemper quod adeſt conſiſtit æuo; cumque, vt pote vna, non ſit ipſa numerabilis, innumeras tamen generum ſpecies & de ſe creat & intra ſe continet. inde quoque aciem paululum cogitationis inclinans hanc monadem reperies ad animam poſſe referri. anima enim aliena a ſilueſtris contagione materia tantum ſe auctori ſuo ac ſibi debens, ſimplicem ſortita naturam, cum ſe animanda immen-





ſitati vniuerſitatis infundat, nullum init tamen cum ſua vnitate diuortium. Vides vt hæc monas orta a prima rerum cauſa vſque ad animam vbique integra & ſemper indiuidua continuationem poteſtatis obtineat. Hæc de monade caſtigatius quam ſe copia ſuggerebat. Nec te remordeat quod, cum omni numero præeſſe videatur, in coniunctione præcipue ſeptenarij prædicetur. nulli enim aptius iungitur monas incorrupta, quàm virgini. Huic autem numero, id eſt ſeptenario, adeo opinio virginitatis inoleuit vt Pallas quoque vocitetur. nam virgo creditur, quia nullum ex ſe parit numerum duplicatus, qui intra denarium coartetur, quem primum limitem conſtat eſſe numerorum. Pallas ideo; quia ex ſolius monadis fetu, & multiplicatione proceſſit, ſicut Minerua ſola ex vno parente nata perhibetur. Senarius vero, qui cum vno coniunctus ſeptenarium facit, variæ ac multiplicis religionis & potentiæ eſt. primum quod ſolus ex omnibus numeris, qui infra decem ſunt, de ſuis partibus conſtat. habet enim medietatem & tertiam partem & ſextam partem: & eſt medietas tria; tertia pars duo, ſexta pars vnum: quæ omnia ſimul ſex faciunt. habet alia ſuæ venerationis indicia, ſed, ne longior faciat ſermo faſtidium, vnum ex omnibus eius officium perſequemur. quod ideo prætulimus, quia hoc commemorato, non ſenarij tantum ſed & ſeptenarij pariter dignitas adſtruetur. Humano partui frequentiorem vſum nouem menſium, certo numerorum modulamine natura conſtitit: ſed ratio ſub adſciti ſenarij numeri multiplicatione procedens etiam ſeptem menſes compulit vſurpari. quam breuiter abſoluteque dicemus duos eſſe primos omnium numerorum cubos, id eſt, à pari octo, ab impari viginti ſeptem: & eſſe imparem marem, parem feminam ſuperius expreſſimus. horum vterque ſi per ſenarium numerum multiplicetur, efficiunt dierum numerum, qui ſeptem menſibus explicantur. coëant

enim numeri mas ille qui memoratur & femina, octo ſci-
licet & viginti ſeptem; pariunt ex ſe quinque & triginta.
hæc ſexies multiplicata creant decem & ducentos: qui nu-
merus dierum menſem ſeptimum claudit. Ita eſt ergo na-
tura ſecundus hic numerus, vt primam humani partus per-
fectionem quaſi arbiter quidam maturitatis abſoluat. Diſ-
cretio vero futuri partus, ſicut Hippocrates refert, ſic in
vtero dinoſcitur. aut enim ſeptuageſimo aut nonageſimo
die conceptus mouetur. dies ergo motus, quicunque fuerit
de duobus, ter multiplicatus aut ſeptimum aut nonum ex-
plicat menſem. Hæc de prima ſeptenarij copulatione libata
ſint. Secunda de duobus & quinque eſt. ex his dyas, quia
poſt monadem prima eſt, primus eſt numerus. hæc ab illa
omni potentia ſolitaria in corporis intelligibilis lineam pri-
ma defluxit. ideo & ad vagas ſtellarum & luminum ſphæ-
ras refertur; quia hæ quoque ab illa, quæ ἀπλανὴς dicitur,
in numerum ſciſſæ & in varij motus contrarietatem re-
tortæ ſunt. hic ergo numerus cum quinario aptiſsime iungi-
tur, dum hic ad errãtes, vt diximus, ad cæli Zonas ille refe-
ratur: ſed ille ratione ſciſsionis, hic numero. Illa vero quinario
numero proprietas excepta potentia vltra ceteras eminen-
tis euenit, quod ſolus omnia quæque ſunt quæque videntur
eſſe complexus eſt. eſſe autem dicimus intelligibilia, videri
eſſe corporalia omnia ſeu diuinum corpus habeant ſeu cadu-
cum. Hic ergo numerus ſimul omnia & ſupera & ſubiecta
deſignat. aut enim deus ſummus eſt, aut mens ex eo nata
in qua ſpecies rerum continentur, aut mundi anima quæ
animarum omnium fons eſt, aut cæleſtia ſunt vſque ad
nos, aut terrena natura eſt: & ſic quinarius rerum om-
nium numerus impletur. de ſecunda ſeptenarij numeri con-
iunctione dicta hæc pro affectatæ breuitatis neceſsitate ſuf-
ficiant. Tertia eſt de tribus & quatuor. quæ quantum va-
leat reuoluamus. Geometrici corporis ab impari prima pla-
nicies



nicies in tribus lineis conſtat. his enim trigonalis forma
concluditur. a pari vero prima in quatuor inuenitur. item
ſcimus ſecundum Platonem, id eſt, ſecundum ipſius verita-
tis arcanum, illa forti inter ſe vinculo colligari, quibus in-
teriecta medietas præſtat vinculi firmitatem. cum vero me-
dietas ipſa geminatur: ea quæ extima ſunt non tenaciter
tantum ſed etiam inſolubiliter vinciuntur. Primo ergo ter-
nario contigit numero vt inter duo ſumma medium, quo
vinciretur, acciperet. quaternarius vero duas medietates
primus omnium nactus eſt, quas ab hoc numero deus mun-
danæ molis artifex conditorque mutuatus inſolubili inter
ſe vinculo elementa deuinxit: ſicut in Timæo Platonis aſſer-
tum eſt non aliter tam controuerſa ſibi ac repugnantia
& naturæ communionem abnuentia permiſceri, terram
dico & ignem, potuiſſe & per tam iugabilem competen-
tiam fœderari, niſi duobus mediis aëris & aquæ nexibus vin-
cirentur. ita enim elementa inter ſe diuerſiſsima opifex ta-
men deus ordinis oportunitate cõnexuit, vt facile iungeren-
tur. nam, cum bina eſſent in ſingulis qualitates, talem vni-
cuique de duobus alteram dedit, vt in eo, cui adhæreret,
cognatam ſibi & ſimilem reperiret. terra eſt ſicca & frigida:
aqua vero frigida & humecta eſt. hæc duo elementa, licet
ſibi per ſiccum humectumque contraria ſint, per frigidum
tamen commune iunguntur. aër humectus & calidus eſt:
&, cum aquæ frigidæ contrarius ſit calore, conciliatione ta-
men ſocij copulatur humoris. ſuper hunc ignis cum ſit ca-
lidus & ſiccus, humorem quidem aëris reſpuit ſiccitate, ſed
connectitur per ſocietatem caloris. & ita fit vt ſingula quæ-
que elementorum duo ſibi hinc inde vicina ſingulis qualita-
tibus velut quibuſdam amplectantur vlnis. aqua terram
frigore, aërem ſibi nectit humore. aër aquæ humecto ſimili
& igni calore ſociatur. ignis aëri miſcetur vt calido; terræ
iungitur ſiccitate. terra ignem ſicco patitur; aquam frigore
non

non reſpuit. Hæc tamen varietas vinculorum, ſi elementa duo forent, nihil inter ipſa firmitatis habuiſſet: ſi tria, minus quidem valido, aliquo tamen nexu vincienda nodaret. inter quatuor vero inſolubilis colligatio eſt; cum duæ ſummitates duabus interiectionibus vinciuntur. quod erit manifeſtius, ſi in medio poſuerimus ipſam continentiam ſenſus de Timæo Platonis exceptam. Diuini decoris, inquit, ratio poſtulabat talem fieri mundum, qui & viſum pateretur, & tactum. conſtabat autem neque videri aliquid poſſe ſine ignis beneficio, neque tangi ſine ſolido, & ſolidum nihil eſſe ſine terra. vnde mundi omne corpus de igni & terra inſtituere fabricator incipiens vidit duo conuenire ſine medio colligante non poſſe, & hoc eſſe optimum vinculum, quod & ſe pariter & a ſe liganda deuinciat: vnam vero interiectionem tunc ſolum poſſe ſufficere, cum ſuperficies ſine altitudine vincienda eſt: at, vbi artanda vinculis eſt alta dimenſio, nodum niſi gemina interiectione non connecti. inde aërem & aquam inter ignem terramque contexuit: & ita per omnia vna & ſibi conueniens iugabilis competentia occurrit elementorum diuerſitatem ipſa differentiarum æqualitate conſocians. nam quantum intereſt inter aquam & aërem cauſa denſitatis & ponderis, tantumdem inter aërem & ignem eſt. & rurſus quod intereſt inter aërem & aquam cauſa leuitatis & raritatis, hoc intereſt inter aquam & terram. item quod intereſt inter terram & aquam cauſa denſitatis & ponderis, hoc intereſt inter aquam & aërem: & quod inter aquam & aërem, hoc inter aërem & ignem. & contra quod intereſt inter ignem & aërem tenuitatis leuitatiſque cauſa, hoc inter aërem & aquam eſt: & quod eſt inter aërem & aquam, hoc inter aquam, intelligitur & terram. Nec ſolum ſibi vicina & cohærentia comparantur: ſed eadem alternis ſaltibus cuſtoditur æqualitas. nam quod eſt terra ad aërem, hoc eſt aqua ad ignem; &, quotiens verteris,

ris,



ris, eandem reperies iugabilem competentiam. ita ex ipſis quo inter ſe ſunt æqualiter diuerſa ſociantur. Hæc eo dicta ſint vt aperta ratione conſtaret neque planiciem ſine tribus neque ſoliditatem ſine quatuor poſſe vinciri. ergo ſeptenarius numerus geminam vim obtinet vinciendi: quia ambæ partes eius vincula prima ſortitæ ſunt; ternarius cum vna medietate, quaternarius cum duabus. hinc in alio loco eiuſdem ſomnij Cicero de ſeptenario dicit: Qui numerus rerum omnium fere nodus eſt. Item omnia corpora aut mathematica ſunt alumna geometriæ, aut talia quæ viſum tactumve patiantur. horum priora tribus incrementorum gradibus conſtant. aut enim linea eiicitur ex puncto, aut ex linea ſuperficies, aut ex planicie ſoliditas. Altera vero corpora quatuor elementorum collato tenore, in robur ſubſtantiæ corpulentæ concordi concretione coaleſcunt. Necnon omnium corporũ tres ſunt dimenſiones, longitudo, latitudo, profunditas: termini adnumerato effectu vltimo quatuor; punctum, linea, ſuperficies, & ipſa ſoliditas. item, cũ quatuor ſint elementa ex quibus conſtãt corpora, terra, aqua, aër, & ignis, tribus ſine dubio interſtitijs ſeparantur. quorum vnum eſt a terra vſque ad aquam, ab aqua vſq. ad aërem ſequens, tertium ab aëre vſque ad ignem. & a terra quidem vſq. ad aquam ſpatium, neceſſitas a phyſicis dicitur; quia vincire & ſolidare creditur, quod eſt in corporibus lutulentum. vnde Homericus cenſor cum Græcis imprecaretur, Vos omnes, inquit, in terram & aquam reſoluamini, in id dicens, quod eſt in natura humana turbidum, quo facta eſt homini prima concretio. illud vero quod eſt inter aquam & aërem, ἁρμονία dicitur; id eſt apta & conſonans conuenientia: quia hoc ſpatium eſt quod ſuperioribus inferiora conciliat, & facit diſſona conuenire. inter aërem vero & ignem obedientia dicitur: quia, ſicut lutulenta & grauia ſuperioribus neceſſitate iunguntur, ita ſuperiora lutulentis obedientia co-



pu-

*pulantur, harmonia media coniunctionem vtriuque præſtante. Ex quatuor igitur elementis & tribus eorum interſtitiis abſolutionem corporum conſtare manifeſtum eſt. ergo hi duo numeri, tria dico & quatuor, tam multiplici inter ſe cognationis neceſſitate ſociati efficiendis vtriuque corporibus conſenſu miniſtri fœderis obſequuntur. Nec ſolum explicandis corporibus hi duo numeri collatiuum præſtant fauorem: ſed quaternarium quidem Pythagorei quem τετρακτὺν vocant, adeo quaſi ad perfectionem animæ pertinentem inter arcana venerantur, vt ex eo & iuriſiurandi religionem ſibi fecerint,*

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν.

Iuro tibi per eum, qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum.

*Ternarius vero aſsignat animam tribus ſuis partibus abſolutam. quarum prima eſt ratio, quam λογιστικὸν appellant. ſecunda animoſitas, quam θυμικὸν vocant. tertia cupiditas, quæ ἐπιθυμητικὸν nuncupatur. item nullus ſapientum animam ex ſymphoniis quoque muſicis conſtitiſſe dubitauit. inter has non paruæ potentiæ eſt quæ dicitur διὰ πασῶν. hæc conſtat ex duabus, id eſt, διὰ τεσσάρων, & διὰ πέντε: fit autem diapente ex hemiolio, & fit diateſſaron ex epitrito. & eſt primus hemiolius tria, & primus epitritus quatuor. quod quale ſit, ſuo loco planius exſequemur. Ergo ex his duobus numeris conſtat diateſſaron & diapente, ex quibus diapaſon ſymphonia generatur, vnde Vergilius nullius diſciplinæ expers plenè & per omnia beatos exprimere volens, ait:*

O terque quaterque beati.

*Hæc de partibus ſeptenarij numeri ſectantes compendia diximus. de ipſo quoque pauca dicemus. Hic numerus ἑπτὰς nunc vocatur antiquato vſu primæ litteræ. apud veteres enim ſeptas vocitabatur, quod Græco nomine teſtabatur venerationem debitam numerò: nam primo omnium hoc numero anima mundana generata eſt, ſicut Timæus Platonis edocuit. monade enim in vertice locata terni numeri ab eadem ex vtraque parte fluxerunt; ab hac pares, ab illa impares: id*






*eſt, poſt monadem a parte altera duo, inde quatuor, deinde octo: ab altera vero parte tria, deinde nouem, & inde viginti ſeptem. & ex his numeris facta contextio generationem animæ imperio creatoris effecit. Non parua ergo hinc potentia numeri huius oſtenditur, quia mundanæ animæ origo ſeptem finibus continetur. ſeptem quoque vagantium ſphærarum ordinem illi ſtelliferæ & omnes continenti ſubiecit artifex fabricatoris prouidentia; quæ & ſuperioris rapidis motibus obuiarent, & inferiora omnia gubernarent. Lunam quoque quaſi ex illis ſeptimam numerus ſeptenarius mouet, curſumque eius ipſe diſpenſat. quod cum multis modis probetur, ab hoc incipiat oſtendi. Luna octo & viginti prope diebus totius zodiaci ambitum conficit. nam & ſi per triginta dies ad ſolem, a quo profecta eſt, remeat; ſolos tamen fere viginti octo in tota zodiaci circuitione conſumit: reliquis ſolem, qui de loco in quo eum reliquit abſceſſerat, comprehendit. Sol enim vnum de duodecim ſignis integro menſe metitur. ponamus ergo ſole in prima parte arietis conſtituto ab ipſius, vt ita dicam, orbe emerſiſſe lunam, quod eam naſci vocamus. hæc poſt viginti octo dies & horas ferè ſeptem ad primam*

mam partem arietis redit; ſed illic non inuenit ſolem. interea enim & ipſe progreſſionis ſuæ lege vlterius abſceſſit, & ideo ipſa nec dum putatur eò vnde profecta fuerat reuertiſſe: quia oculi noſtri tunc non a prima parte arietis ſed a ſole eam ſenſerant proceſſiſſe. hunc ergo diebus reliquis, id eſt, duobus, plus minusve conſequitur; & tunc orbi eius denuo ſuccedens ac denuo inde procedens rurſus dicitur naſci. inde ferè numquam in eodem ſigno bis continuo naſcitur niſi in geminis, vbi hoc nonnumquam euenit; quia dies in eo ſol duos ſupra triginta altitudine ſigni morante conſumit. rariſſimo in aliis, ſi circa primam ſigni partem a ſole procedat. huius ergo viginti octo dierum numeri ſeptenarius origo eſt. nam ſi ab vno vſque ad ſeptem, quantum ſinguli numeri exprimunt, tantum antecedentibus addendo procedas; inuenies viginti octo nata de ſeptem. Hunc etiam numerum, qui in quater ſeptenos æqua ſorte digeritur, ad totam zodiaci latitudinem emetiendam remetiendamque conſumit. nam ſeptem diebus ab extremitate ſeptemtrionalis oræ oblique per latum meando ad medietatem latitudinis peruenit; qui locus appellatur eclipticus: ſeptem ſequentibus a medio ad imum auſtrale delabitur: ſeptem aliis rurſus ad medium obliquata conſcendit: vltimis ſeptem ſeptemtrionali redditur ſummitati. ita iſdem quater ſeptenis diebus omnem zodiaci & longitudinem & latitudinem circum perque diſcurrit. ſimilibus quoque diſpenſationibus hebdomadum luminis ſui vices ſempiterna lege variando diſponit. primis enim ſeptem vſque ad medietatem velut diuiſi orbis excreſcit, & διχότομος tunc vocatur. ſecundis orbem totum renaſcentes ignes colligendo iam complet, & plena tunc dicitur. tertiis διχότομος rurſus efficitur, cum ad medietatem decreſcendo contrahitur. quartis vltima luminis ſui diminutione tenuatur. ſeptem quoque permutationibus, quas phaſis vocant Græci, toto menſe diſtinguitur;



cum naſcitur, cum ſit dichotomos, & cum ſit ἀμφίκυρτος, cum plena, & rurſus amphicyrtos, ac denuo dichotomos, & cum ad nos luminis vniuerſitate priuatur. amphicyrtos eſt autem, cum ſupra diametrum dichotomi eſt antequam orbis concluſione cingatur, vel de orbe iam minuens inter medietatem ac plenitudinem inſuper mediam luminis curuat eminentiam. Sol quoque ipſe, de quo vitam omnia mutuantur, ſeptimo ſigno vices ſuas variat. nam à ſolſtitio hiemali, ad æſtiuum ſeptimo peruenit ſigno; & à tropico verno vſque ad autumnale tropicum ſeptimi ſigni peragratione producitur. Tres quoque conuerſiones lucis ætheree per hunc numerum conſtant. eſt autem prima maxima, ſecunda media, minima eſt tertia. & maxima eſt anni ſecundum ſolem, media menſis ſecundum lunam, minima diei ſecundum ortum & occaſum. Eſt vero vnaquæque conuerſio quadripertita: & ita conſtat ſeptenarius numerus, id eſt, ex tribus conuerſionum, & ex quatuor modis, quibus vnaquæque conuertitur. hi ſunt autem quatuor modi. fit enim prima humida, deinde calida, inde ſicca, & ad vltimum frigida. & maxima conuerſio, id eſt, anni, humida eſt verno tempore, calida æſtiuo, ſicca autumno, frigida per hiemem. media autem conuerſio menſis per lunam ita fit; vt prima ſit hebdomas humida (quia naſcens luna humorem aſſolet concitare) ſecunda calida adoleſcente in ea iam luce de ſolis adſpectu: tertia ſicca quaſi plus ab ortu remota; quarta frigida, deficiente iam lumine. Tertia vero conuerſio, quæ eſt diei ſecundum ortum & occaſum, ita diſponitur; quod humida ſit vſque ad primam de quatuor partibus partem diei, calida vſque ad ſecundam, ſicca vſque ad tertiam, quarta iam frigida. Oceanus quoque in incremento ſuo hunc numerum tenet. nam primo naſcentis lunæ die fit copioſior ſolito; minuitur pauliſper ſecundo; minoremque videt eum tertius quám ſecundus; &

*dus; & ita decreſcendo ad diem ſeptimum peruenit. rurſus octauus dies manet ſeptimo par; & nonus fit ſimilis ſexto, decimus quinto; & vndecimus fit quarto par, tertio quoque duodecimus; & tertiusdecimus fit ſimilis ſecundo, quartusdecimus primo. tertia vero hebdomas eadem facit quæ prima, quarta eadem quæ ſecunda. Hic denique numerus eſt qui hominem concipi, formari, edi, viuere, ali, ac per omnes ætatum gradus tradi ſenectæ atque omnino conſtare facit. nam, vt illud taceamus, quod vterum nulla vi ſeminis occupatum hoc dierum numero natura conſtituit velut decreto exonerandæ mulieris vectigali menſe redeunte purgari: hoc tamen prætereundum non eſt, quia ſemen, quod poſt iactum ſui intra horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam pronuntiatur. verum ſemine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex natura molitur, vt die ſeptimo folliculum genuinum circumdet humori ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriore teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem. Hoc cum a phyſicis deprehenſum ſit; Hippocrates quoque ipſe, qui tam fallere quam falli neſcit, experimenti certus aſſeruit, referens in libro, qui de natura pueri inſcribitur, tale ſeminis receptaculum de vtero eius eiectum, quam ſeptimo poſt conceptum die grauidam intellexerat. Mulierem enim ſemine non effuſo ne grauida maneret orantem imperauerat ſaltibus concitari; aitque ſeptimo die ſaltum ſeptimum eÿciendo cum tali folliculo, qualem ſupra retulimus, ſuffeciſſe conceptui. hæc Hippocrates. Straton vero Peripateticus, & Diocles Caryſtius per ſeptenos dies concepti corporis fabricam hac obſeruatione diſpenſant, vt hebdomade ſecunda credant guttas ſanguinis in ſuperficie folliculi, de quo diximus, apparere, tertia demergi eas introrſum ad ipſum conceptionis humorem, quarta humorem ipſum coagulari, vt quiddam velut inter carnem & ſanguinem*

*guinem*



*guinem liquida adhuc ſoliditate conueniat; quinta vero interdum fingi in ipſa ſubſtantia humoris humanam figuram magnitudine quidem apis, ſed vt in illa breuitate membra omnia & deſignata totius corporis lineamenta conſiſtant. ideo autem adiecimus, interdum; quia conſtat, quotiens quinta hebdomade fingitur deſignatio iſta membrorum, menſe ſeptimo maturari partum: cum autem nono menſe abſolutio futura eſt, ſiquidem femina fabricatur, ſexta hebdomade membra diuidi; ſi maſculus, ſeptima. Poſt partum vero vtrum victurum ſit quod effuſum eſt, an in vtero ſit præmortuum vt tantummodo ſpirans naſcatur, ſeptima hora diſcernit. vltra hunc enim horarum numerum, quæ præmortua naſcuntur, aëris halitum ferre non poſſunt: quem quiſquis vltra ſeptem horas ſuſtinuerit, intelligitur ad vitam creatus, niſi alter forte, qualis perfectum poteſt, caſus eripiat. item poſt dies ſeptem iactat reliquias vmbilici; & poſt bis ſeptem incipit ad lumen viſus eius moueri, & poſt ſepties ſeptem libere iam & pupulas & totam faciem vertit ad motus ſingulos videndorum. Poſt ſeptem vero menſes dentes incipiunt mandibulis emergere, & poſt bis ſeptem ſedet ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem ſonus eius in verba prorumpit. & poſt quater ſeptem non ſolum ſtat firmiter ſed & incedit. Poſt quinquies ſeptem incipit lac nutricis horreſcere; niſi fortè ad patientiam longioris vſus continuata conſuetudine protrahatur. Poſt annos ſeptem dentes qui primi emerſêrant aliis aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt; eodemque anno, id eſt ſeptimo, plene abſoluitur integritas loquendi. vnde & ſeptem vocales litteræ a natura dicuntur inuentæ; licet Latinitas eaſdem modo longas modo breues pronunciando, quinque pro ſeptem tenere maluerit. Apud quos tamen, ſi ſonos vocalium non apices numerauerit, ſimiliter ſeptem ſunt. Poſt annos autem bis ſeptem ipſa ætatis neceſſitate pubeſcit.*

*tunc*

tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio feminarum. ideo & tutela puerili quaſi virile iam robur abſoluitur, de qua tamen feminæ, propter votorum feſtinationem, maturius biennio legibus liberantur. Poſt ter ſeptenos annos flore genas veſtit iuuenta: idemque annus finem in longum creſcendi facit. & quarta annorum hebdomas impleta in latum quoque creſcere vltra iam prohibet. quinta omne virium, quantæ ineſſe vnicuique poſſunt, complet augmentum: nulloque modo iam poteſt quiſquam ſe fortior fieri. inter pugiles denique hæc conſuetudo ſeruatur, vt, quos iam coronauere victoriæ, nihil de ſe amplius in incremento virium ſperent: qui vero expertes huius gloriæ vſque illo manſerunt, a profeſſione diſcedant. Sexies vero ſeptem anni ſeruant vires ante collectas, nec diminutionem niſi ex accidenti euenire patiuntur. Sed a ſexta vſque ad ſeptimam ſeptimanam fit quidem diminutio, ſed occulta, & quæ detrimentum ſuum aperta defectione non prodat. ideo nonnullarum rerum publicarum hic mos eſt, vt poſt ſextam ad militiam nemo cogatur. in pluribus datur remiſſio iuſta poſt ſeptimam. Notandum vero quod, cum numerus ſeptem ſe multiplicat, facit ætatem quæ proprie perfecta & habetur & dicitur: adeo vt illius ætatis homo (vtpote qui perfectionem & attigerit iam & necdum præterierit) & conſilio aptus ſit, nec ab exercitio virium alienus habeatur. Cum vero decas, qui & ipſe perfectiſſimus numerus eſt, perfecto numero, id eſt, ἑπτάδι, iungitur, vt aut decies ſeptem aut ſepties deni computentur anni: hæc à phyſicis creditur meta viuendi, & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatium terminatur. quod ſi quis exceſſerit; ab omni officio vacuus ſoli exercitio ſapientiæ vacat & omnem vſum ſui in ſuadendo habet, aliorum munerum vacatione reuerendus. à ſeptima enim vſque ad decimam ſeptimanam pro captu virium, quæ adhuc ſingulis perſeuerant, variantur officia.



officia. idem numerus totius corporis membra diſponit. ſeptem enim ſunt intra hominem, quæ a Græcis nigra membra vocitantur; lingua, cor pulmo, iecur, lien, renes duo. & ſeptem alia cum venis & meatibus, quæ adiacent ſingulis, ad cibum & ſpiritum accipiendum reddendumque ſunt deputata, guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina principalia tria: quorum vnum diſſiptum vocatur; quod ventrem & cetera inteſtina ſecernit. alterum medium; quod Græci μεσέντερον dicunt. tertium; quod veteres hiram vocarunt: habeturque præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi retrimenta deducit. De ſpiritu autem & cibo quibus accipiendis (vt relatum eſt) atque reddendis membra, quæ diximus, cum meatibus ſibi adiacentibus obſequuntur, hoc obſeruatum eſt quod ſine hauſtu ſpiritus vltra horas ſeptem, ſine cibi vltra totidem dies vita non durat. Septem ſunt quoque gradus in corpore, qui dimenſionem altitudinis ab imo in ſuperficiem complent; medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. hæc de interioribus. In aperto quoque ſeptem ſunt corporis partes; caput, pectus, manus, pedesque & pudendum. Item, quæ diuiduntur, non niſi ſeptem compagibus iuncta ſunt; vt in manibus eſt humerus, brachium, cubitus, vola & digitorum terni nodi: in pedibus vero femur, genu, tibia, pes ipſe ſub quo vola eſt, & digitorum ſimiliter nodi terni. Et, quia ſenſus eorumque miniſteria natura in capite, velut in arce, conſtituit; ſeptem foraminibus ſenſuum celebrantur officia: id eſt, oris, ac deinde oculorum, narium & aurium binis. vnde non immerito hic numerus totius fabricæ diſpenſator & dominus ægris quoque corporibus periculum ſanitatemve denuntiat. imo ideo & ſeptem motibus omne corpus agitatur. aut enim acceſſio eſt, aut receſſio, aut in læuam dextramve deflexio, aut ſurſum quis ſeu deorſum mouetur, aut in orbem rotatur. Tot virtutibus inſignitus ſeptenarius, quas

*quas vel de partibus ſuis mutuatur vel totus exercet, iure plenus & habetur & dicitur. Et abſoluta, vt arbitror, ratione iam conſtitit cur diuerſis ex cauſis octo & ſeptem pleni vocentur. Senſus autem hic eſt. Cum ætas tua quinquageſimum & ſextum annum compleuerit, quæ ſumma tibi fatalis erit: ſpes quidem ſalutis publicæ te videbit, & pro remediis communis bonorum omnium ſtatus virtutibus tuis dictatura debebitur; ſed ſi euaſeris inſidias propinquorum. nam per ſeptenos octies ſolis amfractus reditusque quinquaginta & ſex ſignificat annos, amfractum ſolis & reditum annum vocans: amfractum; propter zodiaci ambitum: reditum; quia eadem ſigna per annos ſingulos certa lege metitur.*

## CAP. VII.

Obſcura inuolutaque ſemper eſſe ſomnia ac ſigna de aduerſis; & tamen ſemper ſubeſſe aliquid, quo poſſit quoquomodo deprehendi veritas, modò diligens aſſit ſcrutator.

HIC *quidam mirantur quid ſibi velit iſta dubitatio;* ſi effugeris, *quaſi potuerit diuina anima & olim cælo reddita, atque hic maxime ſcientiam futuri profeſſa, neſcire, poſſit ne nepos ſuus an non poſſit euadere. ſed non aduertũt hanc habere legem omnia vel ſigna vel ſomnia vt de aduerſis obliquè aut denuntient, aut minentur, aut moneant. & ideo quædam cauendo tranſimus; alia exorando & litando vitantur. alia ſunt ineluctabilia, quæ nulla arte nullo auertuntur ingenio. nam, vbi admonitio eſt, vigilantia cautionis euaditur: quod apportant minæ, litatio propitiationis auertit: nunquam denuntiata vaneſcunt. Hic ſubijcies: Vnde igitur iſta diſcernimus, vt poſſit cauendumne an exorandum an vero patiendum ſit deprehendi? Sed*

*præſen-*



*præſentis operis fuerit inſinuari qualis ſoleat in diuinationibus eſſe affectata confuſio; vt deſinas de inſerta velut dubitatione mirari. ceterum in ſuo quoque opere artificis erit ſigna quærere quibus iſta diſcernat, ſi hoc vis diuina non impedit. nam illud:*

Prohibent nam cetera Parcæ
Scire,

*Maronis eſt ex intima diſciplinæ profunditate ſententia. Diuulgatis etiam docemur exemplis quam pæne ſemper cum prædicuntur futura, ita dubijs obſerantur, vt tamen diligens ſcrutator niſi diuinitus, vt diximus, impeditur, ſubeſſe reperiat apprehendenda veſtigia veritatis, vt ecce Homericum ſomnium a Ioue, vt dicitur, miſſum ad conſerendam futuro die cum hoſtibus manum. ſub aperta promiſſione victoriæ ſpem regis animauit. ille velut diuinum ſecutus oraculum, commiſſo prœlio, amiſſis ſuorum plurimis, vix ægreque in caſtra remeauit. num dicendum eſt deum mandaſſe mendacium? non ita eſt, ſed, quia illum caſum Græcis fata decreuerant, latuit in verbis ſomnij quod animaduerſum vel ad vere vincendum vel ad cauendum ſaltem potuiſſet inſtruere. habuit enim præceptio vt vniuerſus produceretur exercitus. at ille ſola pugnandi hortatione contentus non vidit quid de producenda vniuerſitate præceptum ſit: prætermiſſoque Achille, qui tunc recenti laceſſitus iniuria ab armis cum ſuo milite feriabatur, rex progreſſus in prœlium & caſum qui debebatur excepit, & abſoluit ſomnium inuidia mentiendi, non omnia de imperatis ſequendo. Parem obſeruantiæ diligentiam Homericã per omnia perfectionis imitator Maro in talibus quoque rebus obtinuit. nam apud illum Aeneas ad regionem inſtruendo regno fataliter eligendam, ſatis abundeque Delio inſtructus oraculo, in errorem tamen vnius verbi negligentia relapſus eſt. non quidem locorum fuerat, quæ petere deberet,*



*nomen*

nomen inſertum: ſed, cum origo vetus parentum ſequenda diceretur fuit in verbis quod inter Cretam & Italiam, quæ ipſius gentis auctores vtraque produxerant, magis oſtenderet; &, quod aiunt, digito demonſtraret Italiam. nam quum fuiſſent inde Teucer, hinc Dardanus; vox ſacra ſic alloquendo: Dardanidæ duri: aperte conſulentibus Italiam, de qua Dardanus profectus eſſet, obiecit appellando eos parentis illius nomine, cuius erat origo rectius eligenda. Et hic certæ quidem denunciationis eſt, quod de Scipionis fine prædicitur: ſed gratia conciliandæ obſcuritatis inſerta dubitatio dicto tamen quod indicio ſomnij continetur, abſoluitur. nam cum dicitur; circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint: vitari hunc finem non poſſe pronunciat. Quod autem Scipioni reliquos vitæ actus ſine offenſa dubitandi per ordinem retulit, & de ſola morte ſimilis eſt viſus ambigenti, hæc ratio eſt, quod ſiue dum humano vel mœrori parcitur vel timori; ſeu quia vtile eſt hoc maxime latere, pronius cetera oraculis quàm vitæ finis exprimitur, aut cum dicitur non ſine aliqua obſcuritate profertur.

## Cap. VIII.

Quatuor eſſe virtutum genera, politicas, purgatorias, animi purgati, & exemplares; & cum virtus beatos efficiat, ſitque primum illud virtutum genus in rerumpublicarum gubernatoribus, ideo hos vtique fore fœlices.

His aliqua ex parte tractatis, progrediamur ad reliqua. Sed, quo ſis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, ſic habeto: Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. nihil eſt enim illi principi deo, qui omnem mun-



mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia cœtuſque hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur, earum rectores & ſeruatores hinc profecti huc reuertuntur. Bene & oportune, poſtquam de morte prædixit, mox præmia bonis poſt obitum ſperanda ſubiecit: quibus adeo a metu prædicti interitus cogitatio viuentis erecta eſt, vt ad moriendi deſiderium vltro animaretur maieſtate promiſſæ beatitudinis & cæleſtis habitaculi. Sed de beatitate quæ debetur conſeruatoribus patriæ pauca dicenda ſunt, vt poſtea locum omnem, quem hic tractandum recepimus, reſoluamus. Solæ faciunt virtutes beatum: nullaque alia quiſquam via hoc nomen adipiſcitur. vnde, qui exiſtimant nullis niſi philoſophantibus ineſſe virtutes, nullos præter philoſophos beatos eſſe pronunciant. agnitionem enim rerum diuinarum ſapientiam propriè vocantes, eos tantummodo dicunt eſſe ſapientes, qui ſuperna acie mentis requirunt, & quærendi ſagaci diligentia comprehendunt, &, quantum viuendi perſpicuitas præſtat, imitantur. & in hoc ſolo eſſe aiunt exercitia virtutum: quarum officia ſic diſpenſant. Prudentiæ eſſe, mundum iſtum & omnia quæ in mundo inſunt diuinorum contemplatione deſpicere, omnemque animæ cogitationem in ſola diuina dirigere. temperantiæ; omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit. fortitudinis; non terreri animam a corpore quodammodo ductu philoſophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ ad ſuperna aſcenſionis horrere. iuſtitiæ; ad vnam ſibi huius propoſiti conſentire viam vniuſcuiuſque virtutis obſequium. atque ita fit, vt ſecundum hoc tam rigidæ definitionis abruptum, rerumpublicarum rectores beati eſſe non poſſint. Sed Plotinus inter philoſophiæ profeſſores cum Platone princeps, libro de virtutibus, gradus earum vera & naturali diuiſionis ratione compoſitos per ordinem digerit. Quatuor

ſunt, inquit, quaternarum genera virtutum. ex his primæ politicæ vocantur, ſecundæ purgatoriæ, tertiæ animi iam purgati, quartæ exemplares. Et ſunt politicæ hominis, quia ſociale animal eſt. his boni viri reipublicæ conſulunt, vrbes tuentur; his parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt; his ciuium ſalutem gubernant; his ſocios circumſpecta prouidentia protegunt, iuſta liberalitate deuinciunt:

Hiſque ſui memores alios fecere merendo.

Et eſt politici prudentiæ, ad rationis normam quæ cogitat quæque agit vniuerſa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque actibus tanquam diuinis arbitris, prouidere. Prudentiæ inſunt ratio, intellectus, circumſpectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis eſt; animum ſupra periculi metum agere, nihilque niſi turpia timere; tolerare fortiter vel aduerſa vel proſpera, fortitudo præſtat magnanimitatem, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem. temperantiæ; nihil appetere pænitendum, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam ſequuntur modeſtia, verecundia, abſtinentia, caſtitas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia. iuſtitiæ; ſeruare vnicuique quod ſuum eſt. De iuſtitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. his virtutibus vir bonus primum ſui, atque inde reipublicæ rector efficitur, iuſte ac prouide gubernans humana, diuina non deſerens. Secundæ, quas purgatorias vocant, hominis ſunt, qui diuini capax eſt; ſolumque animum eius expediunt, qui decreuit ſe a corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga ſolis ſe inſerere diuinis. hæ ſunt otioſorum, qui à rerumpublicarum actibus ſe ſequeſtrant. Harum quid ſingulæ velint ſuperius expreſſimus, cum de virtutibus philoſophantium diceremus; quas

ſolas



ſolas quidam exiſtimauerunt eſſe virtutes. Tertiæ ſunt purgati iam defæcatique animi & ab omni mundi huius aſpergine preſſe pureque deterſi. illic prudentiæ eſt diuina non quaſi in electione præferre, ſed ſola noſſe, & hæc, tanquam nihil ſit aliud intueri. temperantiæ; terrenas cupiditates non reprimere, ſed penitus obliuiſci. fortitudinis; paſſiones ignorare non vincere, vt neſciat iraſci, cupiat nihil. iuſtitiæ; ita cum ſupera & diuina mente ſociari; vt ſeruet perpetuum cum ea fœdus imitando. Quartæ exemplares ſunt, quæ in ipſa diuina mente conſiſtunt, quam diximus νοῦν vocari: a quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam ſi rerum aliarum, multo magis virtutum ideas eſſe in mente credendum eſt. Illic prudentia eſt mens ipſa diuina. temperantia; quod in ſe perpetua intentione conuerſa eſt. fortitudo; quod ſemper idem eſt, nec aliquando mutatur. iuſtitia; quod perenni lege a ſempiterna operis ſui continuatione non flectitur. Hæc ſunt quaternarum quatuor genera virtutum; quæ, præter cetera, maximam in paſſionibus habent differentiam ſui. paſſiones autem, vt ſcimus, vocantur, quod homines

Metuunt cupiunt gaudentque dolentque. has primæ molliunt, ſecundæ auferunt, tertiæ obliuiſcuntur: in quartis nefas eſt nominari. Si ergo hoc eſt officium & effectus virtutum, beare; conſtat autem & politicas eſſe virtutes: igitur ex politicis efficiuntur beati. iure ergo Tullius de rerumpublicarũ rectoribus dixit; vbi beati æuo ſempiterno fruantur. qui, vt oſtenderet alios otioſis alios negotioſis virtutibus fieri beatos, non dixit abſolutè nihil eſſe illi principi deo acceptius quam ciuitates; ſed adiecit, quod quidem in terris fiat, vt eos, qui ab ipſis cæleſtibus incipiunt, diſcerneret a rectoribus ciuitatum, quibus per terrenos actus iter paratur ad cælum. Illa autem definitione quid preſſius poteſt eſſe, quid cautius de nomine ciuitatum? quam

C 3 concilia,

concilia, *inquit*, cœtuſque hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur? *nam & ſeruilis quondam & gladiatoria manus concilia hominum & cœtus fuerunt, ſed non iure ſociati. illa autem ſola iuſta eſt multitudo, cuius vniuerſitas in legum conſentit obſequium.*

## CAP. IX.

Quo ſenſu rerumpublicarum rectores cælo deſcendiſſe eoque reuerti dicantur.

QVOD *vero ait:* Harum rectores & ſeruatores, hinc profecti, huc reuertuntur; *hoc modo accipiendum eſt. Animarum originem manare de cælo inter recte philoſophantes indubitatæ conſtat eſſe ſententiæ. & animæ, dum corpore vtitur, hæc eſt perfecta ſapientia, vt, vnde orta ſit, de quo fonte venerit, recognoſcat. hinc illud a quodam inter alia ſeu feſtiua ſeu mordacia ſerio tamen vſurpatum eſt:*

De cælo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.

*nam & Delphici vox hæc fertur oraculi conſulenti ad beatitatem quo itinere perueniret: Si te, inquit, agnoueris. ſed & ipſius fronti templi hæc inſcripta ſententia eſt. Homini autem, vt diximus, vna eſt agnitio ſui, ſi originis nataliſque principia atque exordia prima reſpexerit, nec ſe quæſierit extra. ſic enim anima virtutes ipſas conſcientia nobilitatis induitur, quibus poſt corpus euecta, eo vnde deſcenderat, reportatur: quia nec corporea ſordeſcit nec oneratur eluuie, quæ puro ac leui fonte virtutum rigatur; nec deſeruiſſe vnquam cælum videtur, quod reſpectu & cogitationibus poſſidebat. hinc anima, quam in ſe pronam corporis vſus effecit, atque in pecudem quodammodo reformauit ex homine, & abſolutionem corporis perhorreſcit, &, cum neceſſe eſt;*

Non niſi cum gemitu fugit indignata ſub vmbras,

*ſed nec*



*ſed nec poſt mortem facile corpus relinquit (quia* non funditus omnes corporeæ excedunt peſtes) *ſed aut ſuum oberrat cadauer, aut noui corporis ambit habitaculum, non humani tantummodo, ſed ferini quoque, electo genere moribus congruo quos in homine libenter exercuit; mauultque omnia perpeti vt cælum, quod vel ignorando vel diſſimulando vel potius prodendo deſeruit, euadat. ciuitatum vero rectores ceterique ſapientes cælum reſpectu vel cum adhuc corpore tenentur habitantes, facile poſt corpus cæleſtem, quam penè non reliquerant, ſedem repoſcunt. nec enim de nihilo aut de vana adulatione veniebat, quod quoſdam vrbium conditores aut claros in republica viros in numerum deorum conſecrarit antiquitas. ſed Heſiodus quoque diuinæ ſubolis aſſertor priſcos reges cum diis aliis enumerat; hiſque exemplo veteris poteſtatis etiam in cælo regendi res humanas aſſignat officium. &, ne cui faſtidioſum ſit, ſi verſus ipſos vt poëta Græcus protulit inſeramus, referemus eos vt ex verbis ſuis in Latina verba conuerſi ſunt.*

Indigetes diui fato ſummi Iouis hi ſunt:
Quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes,
Largi ac munifici, ius regum nunc quoque nacti.

*Hoc & Vergilius non ignorat; qui, licet argumento ſuo ſeruiens, heroas in inferos relegauerit, non tamen eos abducit a cælo: ſed æthera his deputat largiorem, & noſſe eos ſolem ſuum ac ſidera profitetur; vt geminæ doctrinæ obſeruationes præſtiterit, & poëticæ figmentum & philoſophiæ veritatem: &, ſi ſecundum illum res quoque leuiores quas viui exercuerant, etiam poſt corpus exercent,*

Quæ gratia curruum
Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos:

*multo magis rectores quondam vrbium recepti in cælum*



*curam*

curam regendorum hominum non relinquunt. Hæ autem animæ in vltimam ſphæram recipi creduntur, quæ aplanes vocatur. nec fruſtra hoc vſurpatum eſt; ſiquidem inde profectæ ſunt. animis enim necdum deſiderio corporis irretitis ſiderea pars mundi præſtat habitaculum, & inde labuntur in corpora. ideo his illo eſt reditio, qui merentur. rectiſſime ergo dictum eſt cum in galaxia, quem aplanes continet, ſermo iſte procedat, hinc profecti huc reuertuntur. Ad ſequentia tranſeamus.

## Cap. x.

Quid ſecundum priſcos illos theologos inferi; & quando ex eorum ſententia, anima aut viuere aut mori dicatur.

HIc ego, etſi eram perterritus non tam mortis metu quam inſidiarum a meis, quæſiui tamen, viueretne ipſe, & Paulus pater, & alij, quos nos exſtinctos eſſe arbitraremur. Vel fortuitis & inter fabulas elucent ſemina infixa virtutum, quæ nunc videas licet vt e pectore Scipionis vel ſomniantis emineant. in re enim vna politicarum virtutum omnium pariter exercet officium. Quod non labitur animo prædicta morte perterritus, fortitudo eſt. quod ſuorum terretur inſidiis, magiſque alienum facinus quam ſuum horreſcit exitium; de pietate & nimio in ſuos amore procedit. hæc autem diximus ad iuſtitiam referri, quæ ſeruat vnicuique quod ſuum eſt. quod ea quæ arbitratur non pro compertis habet, ſed ſpreta opinione, quæ minus cautis animis pro vero inoleſcit, quærit diſcere certiora; indubitata prudentia eſt. quod cum perfecta beatitas, & cæleſtis habitatio humanæ naturæ, in qua ſe nouerat eſſe, promittitur, audiendi tamen alia deſiderium frenat, temperat, & ſequeſtrat, vt de vita aui & patris interroget; quid niſi temperantia eſt? vt iam tum liqueret Africanum per

quietem



quietem ad ea loca quæ ſibi deberentur abductum. In hac autem interrogatione de animæ immortalitate tractatur. ipſius enim conſultationis hic ſenſus eſt: Nos, inquit, arbitramur animam cum fine morientis exſtingui, nec vlterius eſſe poſt hominem. ait enim: quos exſtinctos eſſe arbitraremur. quod autem exſtinguitur eſſe iam deſinit. Ergo velim iam dicas, inquit, ſi & pater Paulus tecum & alij ſuperſunt. Ad hanc interrogationem, quæ & de parentibus vt a pio filio & ceteris vt a ſapiente ac naturam ipſam diſcutiente proceſſit, quid ille reſpondit? Imo vero, inquit, hi viuunt, qui e corporum vinculis tamquam carcere euolauerunt. veſtra vero quæ dicitur eſſe vita, mors eſt. Si ad inferos meare mors eſt, & vita eſt eſſe cum ſuperis: facile diſcernis quæ mors animæ quæ vita credenda ſit, ſi conſtiterit qui locus habendus ſit inferorum, vt anima dum ad hunc truditur mori, cum ab hoc procul eſt vita frui & vere ſupereſſe credatur. Et quia totum tractatum, quem veterum ſapientia de inueſtigatione huius quæſtionis agitauit, in hac latentem verborum paucitate reperies; ex omnibus aliqua, quibus nos de rei quam quærimus abſolutione ſufficiet admoneri, amore breuitatis excerpſimus. Antequam ſtudium philoſophiæ circa naturæ inquiſitionem ad tantum vigoris adoleſceret, qui per diuerſas gentes auctores conſtituendis ſacris ceremoniarum fuerũt, aliud eſſe inferos negauerunt quam ipſa corpora, quibus incluſæ animæ carcerem fœdum tenebris horridum ſordibus & cruore patiuntur. hoc animæ ſepulchrum, hoc Ditis concaua, hoc inferos vocauerunt: & omnia, quæ illic eſſe credidit fabuloſa perſuaſio, in nobiſmetipſis, & in ipſis humanis corporibus aſſignare conati ſunt: obliuionis fluuium aliud nõ eſſe aſſerentes quam errorem animæ obliuiſcentis maieſtatem vitæ prioris, qua, antequam in corpus truderetur potita eſt, ſolamque eſſe in corpore vitam putantis. Pari interpretatione Phlegetontem


tontem

*fontem ardores irarum & cupiditatum putarunt; Acherontem, quicquid feciſſe dixiſſeve vſque ad triſtitiam humanæ varietatis more nos pænitet;* Cocytum, *quicquid homines in luctum lachrymaſque compellit; Stygem, quicquid inter ſe humanos animos in gurgitem mergit odiorum. ipſam quoque pœnarum deſcriptionem de ipſo vſu conuerſationis humanæ ſumptam crediderunt: vulturem iecur immortale tondentem, nihil aliud intelligi volentes, quàm tormenta malæ conſcientiæ obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis. ſemperque curas, ſi requieſcere fortè tentauerint excitantis, tanquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis, lege hac, qua* ſe iudice nemo nocens abſoluitur, *nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam. illos aiunt epulis ante ora poſitis excruciari fame, & inedia tabeſcere; quos magis magiſq. acquirẽdi deſiderium cogit præſentem copiam non videre; qui in affluentia inopes, egeſtatis mala in vbertate patiũtur, neſcientes parta reſpicere, dum egent habendis. illos radiis rotarum pendere diſtrictos; qui nihil conſilio prævidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, ſeque & actus omnes ſuos fortunæ permittentes caſibus & fortuitis ſemper rotantur: ſaxum ingens voluere, inefficacibus laborioſiſque conatibus vitam terentes: atram ſilicem lapſuram ſemper & cadenti ſimilem illorum capitibus imminere, qui arduas poteſtates & infauſtam ambiunt tyrannidem, nunquam ſine timore victuri; & cogentes ſubiectum vulgus odiſſe, dum metuat, ſemper ſibi videntur exitium, quod merentur, excipere. Nec fruſtra hoc theologi ſuſpicati ſunt. nam & Dionyſius aulæ Siculæ inclementiſſimus incubator, familiari quondam ſuo ſolam beatam exiſtimanti vitam tyranni, volens quam perpetuo metu miſera quamque impendentium ſemper periculorum plena eſſet oſtendere, gladium vagina raptum &*

*a capulo*



*a capulo de filo tenui pendentem, mucrone demiſſo, iuſſit familiaris illius capiti inter epulas imminere: cumque ille inter & Siculas & tyrannicas copias præſentis mortis periculo grauaretur, Talis eſt, inquit Dionyſius, vita quam beatam putabas: ſic nobis ſemper mortem imminentem videmus. æſtima quando eſſe felix poterit, qui timere non deſinit. Secundum hæc igitur, quæ a theologis aſſeruntur, ſi vere* quiſque ſuos patimur manes, *& inferos in his corporibus eſſe credimus; quid aliud intelligendum eſt quam mori animam, cum ad corporis inferna demergitur; viuere autem, cum ad ſupera poſt corpus euadit?*

## CAP. XI.

Quid & vbi inferi ſecundum Platonicos; quando horum ſententia aut viuere anima aut mori dicatur.

DICENDVM *eſt, quid his poſtea veri ſolicitior inquiſitor philoſophiæ cultus adiecerit. nam & qui primum Pythagoram & qui poſtea Platonem ſecuti ſunt, duas eſſe mortes, vnam animæ, animalis alteram prodiderunt: mori animal cum anima diſcedit e corpore, ipſam vero animam mori aſſerentes cum a ſimplici & indiuiduo fonte naturæ in membra corporea diſſipatur. Et quia vna ex his manifeſta & omnibus nota eſt; altera non niſi a ſapientibus deprehenſa ceteris eam vitam eſſe credentibus: ideo hoc ignoratur a plurimis cur eundem mortis deum, modo ditem modo immitem vocemus: cum per alteram, id eſt, animalis mortem abſolui animam & ad veras naturæ diuitias, atque ad propriam libertatem remitti, fauſtum nomen indicio ſit, per alteram vero, quæ vulgo vita exiſtimatur, animam de immortalitatis ſuæ luce ad quaſdam tenebras mortis impelli, vocabuli teſtemur horrore. nam, vt conſtet animal, neceſſe eſt vt in corpore anima vinciatur. ideo*

*corpus*

corpus δέμας, hoc eſt, vinculum, nuncupatur, & σῶμα, quaſi quoddam σῆμα, id eſt, animæ ſepulchrum. vnde Cicero pariter vtrunque ſignificans corpus eſſe vinculum, corpus eſſe ſepulchrum, quod carcer eſt ſepultorum, ait: Qui e corporum vinculis tanquam e carcere euolauerunt. Inferos autem Platonici non in corporibus eſſe, item non a corporibus incipere, dixerunt; ſed certam mundi ipſius partem Ditis ſedem, id eſt, inferos vocauerunt. de loci vero ipſius finibus inter ſe diſſona publicarunt. & in tres ſectas diuiſa ſententia eſt. alij enim mundum in duo diuiſerunt; quorum alterum facit, alterum patitur. & illud facere dixerunt, quod, cum ſit immutabile, alteri cauſas & neceſſitatem permutationis imponit: hoc pati; quod per mutationes variatur. & immutabilem quidem mundi partem a ſphæra, quæ aplanes dicitur, vſque ad globi lunaris exordium, mutabilem vero a luna ad terras vſque dixerunt: & viuere animas dum in immutabili parte conſiſtunt; mori autem, cum ad partem ceciderint permutationis capacem; atque ideo inter lunam terraſque locum mortis & inferorum vocari, ipſamque lunam vitæ eſſe mortiſque confinium, & animas inde in terram fluentes mori, inde ad ſupera meantes in vitam reuerti, non immerito exiſtimatum eſt. a luna enim deorſum natura incipit caducorum: ab hac animæ ſub numerum dierum cadere & ſub tempus incipiunt. denique illam æthercam terram phyſici vocauerunt. & habitatores eius lunares populos nuncuparunt. quod ita eſſe plurimis argumentis, quæ nunc longum eſt enumerare, docuerunt. nec dubium eſt, quin ipſa ſit mortalium corporum & auctor & conditrix; adeo vt nonnulla corpora ſub luminis eius acceſſu patiantur augmenta, & hac decreſcente minuantur. Sed ne de re manifeſta faſtidium prolixa aſſertione generetur: ad ea quæ de inferorum loco alij definiunt, tranſeamus. maluerunt enim mundum alij in elementa ter

quater-



quaterna diuidere; vt in primo numerentur ordine, terra, aqua, aër, ignis, quæ eſt pars liquidior aëris vicina lunæ: ſupra hæc rurſum totidem numero ſed naturæ purioris elementa; vt ſit luna pro terra quam æthercam terram à phyſicis diximus nominatam. aqua ſit ſphæra Mercurij, aër Veneris, ignis in Sole: Tertius vero elementorum ordo ita ad nos conuerſus habeatur; vt terram vltimam faciat, & cæteris in medium redactis, in terram deſinat tam ima quàm ſumma poſtremitas: igitur ſphæra Martia ignis habeatur, aër Iouis, Saturni aqua, terra vero aplanes, in qua Elyſios campos eſſe puris animis deputatos, antiquitas nobis intelligendum reliquit. de his campis anima, cum in corpus emittitur, per tres elementorum ordines, trina morte, ad corpus vſque deſcendit. hæc eſt inter Platonicos de morte animæ cum in corpus truditur, ſecunda ſententia. Alij vero (nam tres eſſe inter eos ſententiarum diuerſitates ante ſignauimus) in duas quidem & ipſi partes, ſicut primi faciunt, ſed non iſdem terminis diuidunt mundum.. hi enim cælum, quod aplanes ſphæra vocitatur, partem vnam, ſeptem vero ſphæras quæ vagæ vocantur, & quod inter illas ac terram eſt, terramque ipſam, alteram partem eſſe voluerunt. Secundum hos ergo, quorum ſecta amicior eſt ratio, animæ beatæ ab omni cuiuſcunque contagione corporis liberæ cælum poſſident. quæ vero appetentiam corporis & huius quam in terris vitam vocamus ab illa ſpecula altiſſima & perpetua luce deſpiciens deſiderio latenti cogitauerit, pondere ipſo terrenæ cogitationis paulatim in inferiora delabitur. nec ſubito hac perfecta incorporalitate luteum corpus induitur; ſed ſenſim per tacita detrimenta, & longiorum ſimplicis & abſolutiſſimæ puritatis receſſum in quædam ſiderei corporis incrementa turgeſcit; in ſingulis enim ſphæris, quæ cælo ſubiectæ ſunt, æthereæ obuolutione veſtitur; vt per eas gradatim ſocietati huius indumenti te-

ſtei con-

ſtei concilietur. & ideo totidem mortibus, quot ſphæras tranſit, ad hanc peruenit quæ in terris vita vocitatur.

## CAP. XII.

Quomodo anima ex ſuperiore mundi parte ad inferna hæc delabatur.

DESCENSVS vero ipſius, quo anima de cælo in huius vitæ inferna delabitur, ſic ordo digeritur: Zodiacum ita lacteus circulus obliquæ circumflexionis occurſu ambiendo complectitur, vt eum, qua duo tropica ſigna Capricornus & Cancer feruntur, interſecet. Has Solis portas phyſici vocauerunt; quia in vtraque obuiante ſolſtitio vlterius ſolis inhibetur acceſſio, & fit ei regreſſus ad zonæ viam cuius terminos nunquam relinquit. per has portas animæ de cælo in terras meare & de terris in cælum remeare creduntur. ideo hominum vna, altera deorum vocatur. hominum; cancer, quia per hunc in inferiora deſcenſus eſt. Capricornus deorum; quia per illum animæ in propriæ immortalitatis ſedem & in deorum numerum reuertuntur. Et hoc eſt quod Homeri diuina prouidentia in antri Ithaceſii deſcriptione ſignificat. hinc & Pythagoras putat a lacteo circulo deorſum incipere Ditis imperium, quia animæ inde lapſæ videntur iam a ſuperis receſſiſſe. ideo primam naſcentibus offerri ait lactis alimoniam; quia primus eis motus a lacteo incipit in corpora terrena labentibus. Vnde & Scipioni de animis beatorum oſtenſo lacteo dictum eſt: Hinc profecti huc reuertuntur. Ergo deſcenſuræ cum adhuc in cancro ſunt, quoniam illic poſitæ necdum lacteum reliquerunt, adhuc in numero ſunt deorum. cum vero ad leonem labendo peruenerint, illic conditionis futuræ auſpicantur exordium. & quia in leone ſunt rudimenta naſcendi & quædam humanæ naturæ tyrocinia; aquarius autem aduerſus leoni eſt,

& illo



& illo oriente mox occidit: ideo, cum ſol aquarium tenet, manibus parentatur; vtpote in ſigno quod humanæ vitæ contrarium vel aduerſum feratur. illinc ergo, id eſt, a confinio quo ſe zodiacus lacteuſque contingunt, anima deſcendens a tereti, quæ ſola forma diuina eſt, in conum defluendo producitur: ſicut à puncto naſcitur linea & in longum ex indiuiduo procedit, ibique a puncto ſuo, quod eſt monas, venit in dyadem, quæ eſt prima protractio. Et hæc eſt eſſentia, quam indiuiduam eandemque diuiduam Plato in Timæo, cum de mundanæ animæ fabrica loqueretur, expreſſit. animæ enim ſicut mundi, ita & hominis vnius modo diuiſionis reperientur ignaræ, ſi diuinæ naturæ ſimplicitas cogitetur; modo capaces, cum illa per mundi, hæc per hominis membra diffunditur. anima ergo cum trahitur ad corpus, in hac prima ſui productione ſilueſtrem tumultum, id eſt, hylen influentem ſibi incipit experiri. &, hoc eſt, quod Plato notauit in Phædone animam in corpus trahi noua ebrietate trepidantem, volens nouum potum materialis alluuionis intelligi, quo delibuta & grauata deducitur. arcani huius indicium eſt & crater Liberi patris ille ſidereus in regione quæ inter cancrum eſt & leonem locatus, ebrietatem illic primum deſcenſuris animis euenire ſilua influente ſignificans. vnde & comes ebrietatis obliuio illic animis incipit latenter obrepere. nam ſi animæ memoriam rerum diuinarum, quarum in cælo erant conſciæ, ad corpora vſque deferrent: nulla inter homines foret de diuinitate diſſenſio. ſed obliuionem quidem omnes deſcendendo hauriunt; aliæ vero magis, minus aliæ. & ideo in terris verum cum non omnibus liqueat, tamen opinantur omnes: quia opinionis ortus eſt memoriæ defectus. hi tamen hoc magis inueniunt, qui minus obliuionis hauſerunt: quia facile reminiſcuntur quod illic ante cognouerant. hinc eſt quod, quæ apud Latinos lectio, apud Græcos vocatur repetita cognitio: quia cum

vera

*vera diſcimus, ea recognoſcimus quæ naturaliter noueramus priusquam materialis influxio in corpus venientes animas ebriaret. hæc eſt autem hyle, quæ omne corpus mundi, quod vbicumque cernimus, ideis impreſſa formauit. ſed altiſſima & puriſſima pars eius, qua vel ſuſtentantur diuina vel conſtant, nectar vocatur, & creditur eſſe potus deorum: inferior vero & turbidior, potus animarum. & hoc eſt quod veteres Lethæum fluuium vocauerunt. ipſum autem Liberum Patrem Orphaici τὸν ὑλικὸν ſuſpicantur intelligi; qui ab illo indiuiduo natus in ſingulos ipſe diuiditur, ideo in illorum ſacris traditur Titanio furore in membra diſcerptus, & fruſtis ſepultis rurſus vnus & integer emerſiſſe; quia νοῦς, quem diximus mentem vocari, ex indiuiduo præbendo ſe diuidendum, & rurſus ex diuiſo ad indiuiduum reuertendo & mundi implet officia & naturæ ſuæ arcana non deſerit. Hoc ergo primo pondere de zodiaco & lacteo ad ſubiectas vſque ſphæras anima delapſa dum & per illas labitur in ſingulis non ſolum (vt iam diximus) luminoſi corporis amicitur acceſſu; ſed & ſingulos motus, quos in exercitio eſt habitura, producit: in Saturni, ratiocinationem & intelligentiam, quod λογιστικὸν & θεωρητικὸν vocant: in Iouis, vim agendi, quod πρακτικὸν dicitur: in Martis, animoſitatis ardorem, quod θυμικὸν nuncupatur: in Solis, ſentiendi opinandique naturam, quod αἰσθητικὸν & φανταστικὸν appellant: deſiderij vero motum, quod ἐπιθυμητικὸν vocatur, in Veneris: pronuntiandi & interpretandi quæ ſentiat, quod ἑρμηνευτικὸν dicitur, in orbe Mercurij.: φυτικὸν vero, id eſt, naturam plantandi & agendi corpora, ingreſſu globi lunaris exercet. & eſt hæc ſicut a diuinis vltima, ita in noſtris terreniſque omnibus prima. corpus enim hoc ſicut fæx rerum diuinarum eſt; ita animalis eſt prima ſubſtantia. Et hæc eſt differentia inter terrena corpora & ſupera, cæli dico & ſiderum aliorumque elementorum; quod illa quidem ſurſum arceſſita ſunt ad animæ ſedem & immortalitatem ex ipſa natura regionis & ſublimitatis imitatione emeruerunt: ad hæc vero terrena corpora anima ipſa deducitur, & ideo mori creditur cum in caducam regionem & in ſedem mortalitatis includitur. Nec moueat quod de anima, quam eſſe immortalem dicimus, mortem totiens nominamus. etenim ſua morte anima non exſtinguitur ſed ad tempus obruitur. nec temporali demerſione beneficium perpetuitatis eximitur: cum rurſus è corpore vbi meruerit contagione vitiorum penitus elimata purgari, ad perennis vitæ lucem reſtituta in integrum reuertatur. Plene, vt arbitror, de vita & morte animæ definitio liquet; quam de adytis philoſophiæ doctrina & ſapientia Ciceronis elicuit.*



## CAP. XIII.

Hominem duplici ratione mori; primum ſi anima corpus relinquat; deinde ſi anima in corpore adhuc manens corporeas illecebras contemnat voluptateſque & affectiones omnes exuat: ex his mortibus poſteriorem hanc omnibus appetendam; priorem accerſendam non eſſe, ſed exſpectandum donec deus ipſe animam a corpore diſſoluat.

SED *Scipio per quietem & cælo, quod in præmium cedit beatis, & promiſſione immortalitatis animatus tam glorioſam ſpem tamque inclutam magis magiſque firmauit viſo patre; de quo vtrum viueret, cum adhuc videretur dubitare quæſiuerat. mortem igitur malle cœpit, vt viueret. nec fleſſe contentus viſo parente, quem crediderat exſtinctum, vbi loqui poſſe cœpit, hoc primum probare voluit nihil ſe magis deſiderare, quam vt cum eo moraretur. nec tam apud ſe quæ deſiderabat facienda conſtituit, quam ante conſuleret: quorum vnum prudentia, alterum pietatis aſſertio eſt. Nunc ipſa vel conſulentis vel præci-*

*præcipientis verba tractemus.* Quæſo, inquam, pater ſanctiſſime atque optime, quoniam hæc eſt vita, vt Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita, inquit. niſi enim cum Deus hic, cuius hoc templum eſt omne quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non poteſt. homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum quem in templo hoc medium vides, quæ terra dicitur: hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis; quæ globoſæ & rotundæ diuinis animatæ mentibus circus ſuos orbeſq. conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi & piis omnibus retinẽdus animus eſt in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius a quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt; ne munus aſſignatum a deo defugiſſe videamini. *Hac ſecta & præceptio Platonis eſt, qui in Phædone definit homini non eſſe ſua ſponte moriendum. ſed in eodem tamen dialogo idem dicit mortem philoſophantibus appetendã, & ipſam philoſophiam meditationem eſſe moriendi. hæc ſibi ergo contraria videntur, ſed non ita eſt. nam Plato duas mortes hominis nouit. nec hoc nunc repeto quod ſuperius dictum eſt duas eſſe mortes; vnam animæ, animalis alteram: ſed ipſius quoque animalis, hoc eſt hominis, duas aſſerit mortes; quarum vnam natura, virtutes alteram præſtant. homo enim moritur, cum anima corpus relinquit ſolutum lege naturæ: mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore conſtituta corporeas illecebras philoſophia docente contemnit, & cupiditatum dulces inſidias reliquaſque omnes exuitur paſſiones. & hoc eſt quod ſuperius ex ſecundo virtutum ordine, quæ ſolis philoſophantibus aptæ ſunt, euenire ſignauimus. Hanc ergo mortem dicit Plato ſapientibus appetendam: illam vero,*





*quam omnibus natura conſtituit, cogi, vel inferri vel accerſiri vetat, docens expectandam eſſe naturam; & has cauſas huius aperiens ſanctionis, quas ex vſu rerum, quæ in quotidiana conuerſatione ſunt, mutuatur. ait enim eos, qui poteſtatis imperio truduntur in carcerem, non oportere inde diffugere, priuſquam poteſtas ipſa quæ clauſit abire permiſerit. non enim vitari pœnam furtiua diſceſſione, ſed creſcere. hoc quoque addit nos eſſe in dominio deorum, quorum tutela & prouidentia gubernamur. nihil autem eſſe inuito domino de his quæ poſſidet ex eo loco, in quo ſuum conſtituerat, auferendum: & ſicut qui vitam mancipio extorquet alieno, crimine non carebit, ita eum qui finem ſibi, domino necdum iubente, quæſiuerit nõ abſolutionem conſequi ſed reatum. hæc Platonicæ ſectæ ſemina altius Plotinus exſequitur. Oportet, inquit, animam poſt hominem liberam corporeis paſſionibus inueniri, quam qui de corpore violenter extrudit liberam eſſe non patitur. qui enim ſibi ſua ſponte necem comparat, aut pertæſus neceſſitatis aut metu cuiuſquam ad hoc deſcendit aut odio; quæ omnia inter paſſiones habentur. ergo & ſi ante fuit his ſordibus pura, hoc ipſo tamen quo exit extorta ſordeſcit. deinde mortem debere ait animæ a corpore ſolutionem eſſe, non vinculum: exitu autem coacto animam circa corpus magis magiſque vinciri. & reuera ideo ſic extortæ animæ diu circa corpus eiuſve ſepulturam vel locum in quo iniectæ manus eſt peruagantur: cum contra illæ animæ, quæ ſe in hac vita a vinculis corporeis philoſophiæ morte diſſoluunt, adhuc exſtante corpore cælo & ſideribus inſerantur. & ideo illam ſolam de voluntariis mortibus ſignificat eſſe laudabilem, quæ comparatur, vt diximus, philoſophiæ, ratione non ferro; prudentia, non veneno. Addit etiam illam ſolam eſſe naturalem mortem, vbi corpus animam non anima corpus relinquit. conſtat enim numerorum certam conſtitutam-*

*que rationem animas ſociare corporibus. hi numeri dum ſuperſunt; perſeuerat corpus animari. cum vero deficiunt; mox arcana illa vis ſoluitur, qua ſocietas ipſa conſtabat. & hoc eſt quod ſatum & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipſa non deficit, quippe quæ immortalis atque perpetua eſt; ſed impletis numeris corpus fatiſcit: nec anima laſſatur animando; ſed officium ſuum deſerit corpus, cum iam non poßit animari. hinc illud eſt doctiſsimi vatis:*

Explebo numerum reddarque tenebris.

*hæc eſt igitur naturalis vere mors, cum finem corporis ſolus numerorum ſuorum defectus apportat; non cum extorquetur vita corpori adhuc idoneo ad continuationem ferendi. Nec leuis eſt differentia vitam vel natura vel ſponte ſoluendi. anima enim, cum a corpore deſeritur, poteſt in ſe nihil retinere corporeum, ſi ſe purè cum in hac vita eſſet, inſtituit: cum verò ipſa de corpore violenter extruditur, quia exit rupto vinculo non ſoluto: fit ei ipſa neceßitas occaſio paßionis; & malis, vinculum dum rumpit, inficitur. Hanc quoque ſuperioribus adijcit rationem non ſponte pereundi. Cum conſtet, inquit, remunerationem animis illic eſſe tribuendam pro modo perfectionis, ad quam in hac vita vnaquæque peruenit: non eſt præcipitandus vitæ finis cum adhuc proficiendi eſſe poßit acceßio. Nec fruſtra hoc dictum eſt, nam in arcanis de animæ reditu diſputationibus fertur in hac vita delinquentes ſimiles eſſe ſuper æquale ſolum cadentibus, quibus denuo ſine difficultate præſto ſit ſurgere: animas verò ex hac vita cum delictorum ſordibus recedentes, æquandas his, qui in abruptum ex alto præcipitique delapſi ſunt, vnde facultas numquam ſit reſurgendi. ideo ergo conceßis vtendum vitæ ſpatijs, vt ſit perfecta purgationis maior facultas. Ergo, inquies, qui iam perfecte purgatus eſt manum ſibi debet inferre, cum non ſit ei cauſa remanendi: quia profectum vlterius non requirit, qui ad ſupera*



*pera peruenit. Sed hoc ipſo, quo ſibi celerem finem ſpe fruendæ beatitatis arceßit, irretitur laqueo paßionis: quia ſpes, ſicut timor, paßio eſt. ſed & cetera, quæ ſuperior ratio diſſeruit, incurrit. Et hoc eſt quod Paulus filium ſpe vitæ verioris ad ſe venire properantem prohibet ac repellit: ne feſtinatum abſolutionis aſcenſionisque deſiderium magis eum hac ipſa paßione vinciat ac retardet. nec dicit, quod niſi mors naturalis aduenerit emori non poteris, ſed, huc venire non poteris.* niſi enim, cum deus, *inquit*, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non poteſt: *quia ſcit iam receptus in cælum niſi perfectæ puritati cœleſtis habitaculi aditum non patere. pari autem conſtantia mors nec veniens per naturam timenda eſt, nec contra ordinem cogenda naturæ. Ex his quæ Platonem quæque Plotinum de voluntaria morte pronunciaſſe retulimus nihil in verbis Ciceronis, quibus hanc prohibet, remanebit obſcurum.*

## CAP. XIIII.

Cur mundus hic vniuerſus, dei vocetur templum: quotuplici ſenſu accipiatur nomen animi: & quomodo mens homini cum ſideribus communis eſſe dicatur: tum variæ de animi natura ſententiæ: quid inter ſtellam & ſidus interſit: quid ſphæra, quid orbis, quid circus, ſtellæ errantes vnde nomen acceperint.

SED *illa verba, quæ præter hoc ſunt inſerta, repetamus:* Homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in templo hoc medium vides, quæ terra dicitur: hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis; quæ globoſæ & rotundæ diuinis animatæ mentibus, circos ſuos orbeſque conficiunt celeritate mirabili. *De terra, cur globus dicatur in medio mundo poſitus, ple-*

tus, plenius diſſeremus cum de nouem ſphæris loquemur. Bene autem vniuerſus mundus dei templum vocatur; propter illos qui æſtimant nihil eſſe aliud deum, niſi cælum ipſum & cæleſtia iſta quæ cernimus. ideo vt ſummi omnipotentiam dei oſtenderet poſſe vix intelligi, numquam poſſe videri; quicquid humano ſubiicitur aſpectui, templum eius vocauit, qui ſola mente concipitur; vt, qui hæc veneratur vt templa, cultum tamen maximum debeat conditori; ſciatque quiſquis in vſum templi huius inducitur ritu ſibi viuendum ſacerdotis. vnde & quaſi quodam publico præconio tantam humano generi diuinitatem ineſſe teſtatur, vt vniuerſos ſiderei animi cognatione nobilitet. Notandum eſt, quod hoc loco animum & vt proprie & vt abuſiue dicitur poſuit. animus enim proprie mens eſt. quam diuiniorem anima nemo dubitauit. ſed nonnumquam ſic & animam vſurpantes vocamus. cum ergo dicit; hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus: mentem præſtat intelligi, quæ nobis proprie cum cælo ſideribuſque communis eſt. cum vero ait; retinendus animus eſt in cuſtodia corporis: ipſam tunc animam nominat quæ vincitur cuſtodia corporali, cui mens diuina nō ſubditur. Nunc qualiter nobis animus, id eſt mens, cum ſideribus communis ſit ſecundum theologos diſſeramus. Deus qui prima cauſa eſt & vocatur, vnus omnium quæque ſunt quæque videntur eſſe, princeps & origo eſt. hic ſuper abundanti maieſtatis fecunditate de ſe mentem creauit. Hæc mens, quæ νοῦς vocatur, qua patrem inſpicit, plenam ſimilitudinem ſeruat auctoris: animam vero de ſe creat poſteriora reſpiciens. Rurſus anima partem quam intuetur induitur; ac paulatim regrediente reſpectu in fabricam corporum, in corporea ipſa degenerat. habet ergo & puriſſimam ex mente, de qua eſt nata, rationem, quod λογικὸν vocatur; & ex ſua natura accipit præbendi ſenſus præ-





bendique incrementi ſeminarium. quorum vnum αἰσθητικὸν, alterum φυτικὸν nuncupatur. ſed ex his primum, id eſt λογικὸν, quod innatum ſibi ex mente ſumpſit, ſicut verè diuinum eſt, ita ſolis diuinis aptum. reliqua duo, αἰσθητικὸν & φυτικὸν, vt à diuinis recedunt, ita conuenientia ſunt caducis. Anima ergo creans condenſque corpora (nam ideo ab anima natura incipit, quam ſapientes de deo & mente νοῦν nominant) ex illo mero ac puriſſimo fonte mentis, quem naſcendo de originis ſuæ hauſerat copia, corpora illa diuina vel ſupera, cæli dico & ſiderum, quæ prima condebat, animauit: diuinæque mentes omnibus corporibus, quæ in formam teretem, id eſt, in ſphæræ modum, formabantur infuſæ ſunt. & hoc eſt quod cum de ſtellis loqueretur, ait; quæ diuinis animatæ mentibus. in inferiora vero ac terrena degenerans fragilitatem corporum caducorum deprehendit meram diuinitatem mentis ſuſtinere non poſſe; imo partem eius vix ſolis humanis corporibus conuenire: quia & ſola videntur erecta, tanquam ad ſupera ab imis recedant, & ſola cælum facile tamquam ſemper erecta ſuſpiciunt; ſoliſque ineſt vel in capite ſphæræ ſimilitudo, quam formam diximus, ſolam mentis capacem. ſoli ergo homini rationem, id eſt, vim mentis infudit, cui ſedes in capite eſt. ſed & geminam illam creſcendi ſentiendique naturam, quia caducum eſt corpus, inſeruit. Et hinc eſt, quod homo & rationis compos eſt & ſentit & creſcit, ſolaque ratione meruit præſtare cæteris animalibus: quæ quia ſemper prona ſunt & ex ipſa quoque ſuſpiciendi difficultate a ſuperis receſſerunt, nec vllam diuinorum corporum ſimilitudinem aliqua ſui parte meruerunt, nihil ex mente ſortita ſunt; & ideo ratione caruerunt: duo quoque tantum adepta ſunt, ſentire vel creſcere. Nam ſi quid in illis ſimilitudinem rationis imitatur, non ratio ſed memoria eſt; & memoria non illa ratione mixta, ſed quæ hebetudinem

ſenſuum quinque comitatur. de qua plura nunc dicere, quoniam ad præſens opus non attinet, omittemus. Terrenorum corporum tertius ordo in arboribus & herbis eſt, quæ carent tam ratione quam ſenſu, & quia creſcendi tantummodo vſus in his viget, hac ſola viuere parte dicuntur. Hunc rerum ordinem & Vergilius expreſſit, nam & mundo animam dedit, &, vt puritati atteſtaretur, mentem vocauit. Cælum enim, ait, & terras, & maria, & ſidera ſpiritus intus alit, id eſt, anima. ſicut alibi pro ſpiramento animam dicit:

Quantum ignes animæque valent.

&, vt illius mundanæ animæ aſſereret dignitatem, mentem eſſe teſtatur:

Mens agitat molem.

necnon, vt oſtenderet ex ipſa anima conſtare & animari vniuerſa quæ viuunt, addidit:

Inde hominum pecudumque genus.

& cetera. vtque aſſereret eundem ſemper in anima eſſe vigorem, ſed vſum eius hebeſcere in animalibus corporis denſitate, adiecit: Quantum non noxia corpora tardant, & reliqua. Secundum hæc ergo cum ex ſummo deo mens, ex mente anima ſit; anima vero & condat, & vita compleat omnia quæ ſequuntur, cunctaque hic vnus fulgor illuminet, & in vniuerſis appareat, vt in multis ſpeculis per ordinem poſitis vultus vnus; cumque omnia continuis ſucceſſionibus ſe ſequantur, degenerantia per ordinem ad imum meandi: inuenietur preſſius intuenti a ſummo deo vſque ad vltimam rerum fæcem vna mutuis ſe vinculis religans & nuſquam interrupta connexio. & hæc eſt Homeri catena aurea, quam pendere de cœlo in terras deum iuſſiſſe commemorat. His ergo dictis, ſolum hominem conſtat ex terrenis omnibus mentis, id eſt animi, ſocietatem cum cælo & ſideribus habere communem. & hoc eſt quod ait: hiſque





animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis. nec tamen ex ipſis cæleſtibus & ſempiternis ignibus nos dicit animatos. ignis enim ille licet diuinum, tamen corpus eſt. nec ex corpore quamuis diuino poſſemus animari; ſed vnde ipſa illa corpora quæ diuina & ſunt & videntur animata ſunt, id eſt, ex ea mundanæ animæ parte quam diximus de pura mente conſtare. & ideo poſtquam dixit: hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis: mox adiecit; quæ diuinis animatæ mentibus; vt per ſempiternos ignes, corpus ſtellarum; per diuinas vero mentes, earum animas manifeſta deſcriptione ſignificet, & ex illis in noſtras venire animas vim mentis oſtendat. Non ab re eſt vt hæc de anima diſputatio in fine ſententias omnium, qui de anima videntur pronuntiaſſe, contineat. Plato dixit animam eſſentiam ſe mouentem, Xenocrates numerum ſe mouentē; Ariſtoteles ἐντελέχειαν; Pythagoras & Philolaus harmoniam; Poſſidonius ideam; Aſclepiades quinq. ſenſuum exercitium ſibi conſonum; Hippocrates ſpiritū tenuem per corpus omne diſperſum; Heraclitus Ponticus lucem; Heraclitus phyſicus ſcintillam ſtellaris eſſentiæ; Zenon cōcretum corpori ſpiritū; Democritus ſpiritum inſertum atomis, hac facilitate motus, vt corpus illi omne ſit peruium; Critolaus peripateticus conſtare eam de quinta eſſentia; Hipparchus ignē; Anaximenes aëra; Empedocles & Critias ſanguinem; Parmenides ex terra & igne; Xenophanes ex terra & aqua; Boëthos ex aëre & igne; Epicurus ſpeciem ex igne, & aëre & ſpiritu mixtam. Obtinuit tamen non minus de incorporalitate eius quam de immortalitate ſententia. Nunc videamus quæ ſint hæc duo nomina quorum pariter meminit cum dicit: quæ ſidera & ſtellas vocatis. neque enim hic res vna gemina appellatione monſtratur, vt enſis & gladius: ſed ſunt ſtellæ quidem ſingulares, vt erratica quinque & cete-

*ræ, quæ non admixtæ aliis ſolæ feruntur. ſidera vero: quæ in aliquod ſignum ſtellarum plurium compoſitione formantur: vt aries, taurus, Andromeda, Perſeus, vel corona, & quæcunque variarum genera formarum in cælum recepta creduntur. ſic & apud Græcos aſter & aſtron diuerſa ſignificant. & aſter ſtella vna eſt; aſtron ſignum ſtellis coactum, quod nos ſidus vocamus. Cum vero ſtellas globoſas & rotundas dicat, non ſingularium tantum exprimit ſpeciem, ſed & earum quæ in ſigna formanda conuenerant. omnes enim ſtellæ inter ſe, & ſi in magnitudine aliquam, nullam tamen habent in ſpecie differentiam. Per hæc autem duo nomina, ſolida ſphæra deſcribitur, quæ nec ex globo ſi rotunditas deſit, nec ex rotunditate, ſi globus deſit, efficitur; cum alterum a forma, alterum ſoliditate corporis deſeratur. Sphæras autem hic dicimus ipſarum ſtellarum corpora, quæ omnia hac ſpecie formata ſunt. dicuntur præterea ſphæræ & aplanes illa quæ maxima eſt, & ſubiectæ ſeptem per quas duo lumina & quinque vaga diſcurrunt. circi vero & orbes duarum ſunt rerum duo nomina. & his nominibus quidem alibi aliter eſt vſus. nam &* orbem, *pro,* circulo *poſuit: vt* orbem lacteum. *&* orbem, *pro* , ſphæra: *vt,* nouem tibi orbibus vel potius globis. *ſed & circi vocantur qui ſphæram maximam cingunt, vt eos ſequens tractatus inueniet, quorum vnus eſt lacteus, de quo ait:* inter flammas circus elucens. *ſed hic horum nihil neque circi neque orbis nomine voluit intelligi. ſed eſt* orbis *in hoc loco ſtellæ vna integra & peracta conuerſio, id eſt, ab eodem loco poſt emenſum ſphæræ, per quam mouetur, ambitum in eundem locum regreſſus. Circus autem eſt hic linea ambiens ſphæram, ac veluti ſemitam faciens, per quam lumen vtrinque diſcurrit, & inter quam vagantium ſtellarum error legitimus coërcetur. Quas ideo veteres errare dixerunt: quia & curſu ſuo feruntur, & contra ſphæræ maximæ, id eſt, ipſius cæli, impetum contrario motu ad orientem ab occidente voluuntur. & omnium quidem par celeritas, motus ſimilis & idem eſt modus meandi, ſed non omnes eodem tempore circos ſuos orbeſque conficiunt. & ideo eſt celeritas ipſa mirabilis. quia cum ſit eadem omnium, nec vlla ex illis aut concitatior eſſe poßit aut ſegnior; non eodem tamen temporis ſpatio omnes ambitum ſuum peragunt. cauſam vero ſub eadem celeritate diſparis ſpatij aptius nos ſequentia docebunt.*



## CAP. XV.

### De vndecim circulis cælum ambientibus.

HIS *de ſiderum natura & ſiderea hominum mente narratis, rurſus filium pater, vt in deos pius, vt in homines iuſtus eſſet hortatus, præmium rurſus adiecit, oſtendens lacteum circulum virtutibus debitum & beatorum cœtu refertum. cuius meminit his verbis,* Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circulus elucens. quem vos, vt à Graiis accepiſtis, orbem lacteum nuncupatis. Orbis *hic idem quod* circus *in lactei appellatione ſignificat. eſt autem lacteus vnus e circis, qui ambiunt cælum: & ſunt præter eum numero decem. de quibus quæ dicenda ſunt proferamus, cum de hoc competens ſermo proceſſerit. Solus ex omnibus hic ſubiectus eſt oculis; ceteris circulis magis cogitatione quam viſu comprehendendis. de hoc lacteo multi inter ſe diuerſa ſenſerunt: cauſaſque eius alij fabuloſas, naturales alij protulerunt. ſed nos fabuloſa reticentes, ea tantum, quæ ad naturam eius viſa ſunt pertinere, dicemus. Theophraſtus lacteum dixit eſſe compagem, qua de duobus hemiſphæriis cæli ſphæra ſolidata eſt; & vbi oræ vtrinque conuenerant notabilem claritatem videri: Diodorus ignem eſſe denſatæ concretæque naturæ*

naturæ in vnam curui limitis ſemitam, diſcretione mundanæ fabricæ coaceruante concretum; & ideo viſum intuentis admittere, reliquo igne cæleſti lucem ſuam nimia ſubtilitate diffuſam non ſubijciente conſpectui: Democritus innumeras ſtellas breueſque omnes, quæ ſpiſſo tractu in vnum coactæ ſpatiis, quæ anguſtiſſima interiacent, opertis vicinæ ſibi vndique & ideo paſſim diffuſæ, lucis aſpergine continuum iuncti luminis corpus oſtendunt. ſed Poſſidonius, cuius definitioni plurium conſenſus acceſſit, ait lacteum caloris eſſe ſiderei infuſionem; quam ideo aduerſa zodiaco curuitas obliquauit, vt, quoniam ſol numquam zodiaci excedendo terminos expertem feruoris ſui partem cæli reliquam deſerebat, hic circus a via ſolis in obliquum recedens vniuerſitatem flexu calido temperaret. quibus autem partibus zodiacum interſecet, ſuperius iam relatum eſt. hæc de lacteo. Decem autem alij, vt diximus, circi ſunt; quorum vnus eſt ipſe zodiacus, qui ex his decem ſolus potuit latitudinem hoc modo, quem referemus, adipiſci. Natura cæleſtium circulorum incorporalis eſt linea; quæ ita mente concipitur, vt ſola longitudine cenſeatur, latum habere non poſſit. ſed in zodiaco latitudinem ſignorum capacitas exigebat. quantum igitur ſpatij lata dimenſio porrectis ſideribus occupabat, duabus lineis limitatum eſt: & tertia ducta per medium, ecliptica vocatur, quia cum curſum ſuum in eadem linea pariter ſol & luna conficiunt, alterius eorum neceſſe eſt venire defectum: ſolis; ſi ei tunc luna ſuccedat: lunæ; ſi tunc aduerſa ſit Soli. ideo nec Sol vmquam deficit, niſi, cum triceſimus lunæ dies eſt; & niſi quintodecimo curſus ſui die neſcit luna defectum. ſic enim euenit vt aut luna contra ſolem poſita ad mutuandum ab eo ſolitum lumen, ſub eadem inuentus linea terræ conus obſiſtat, aut Soli ipſa ſuccedens obiectu ſuo ab humano aſpectu lumen eius repellat. In defectu ergo Sol ipſe nil patitur, ſed noſter fraudatur adſpectus.





Luna vero circa proprium defectum laborat non accipiendo Solis lumen, cuius beneficio noctem colorat. quod ſciens Vergilius diſciplinarum omnium peritiſſimus, ait:

Defectus Solis varios, lunæque labores.

quamuis igitur trium linearum ductus zodiacum & claudat & diuidat; vnum tamen circum auctor vocabulorum dici voluit antiquitas. Quinque alij, circuli paralleli vocantur. horum medius & maximus eſt æquinoctialis. duo extremitatibus vicini atque ideo breues: quorum vnus ſeptemtrionalis dicitur alter auſtralis. inter hos & medium duo ſunt tropici, maiores vltimis, medio minores; & ipſi ex vtraque parte zonæ vſtæ terminum faciunt. Præter hos alij duo ſunt coluri; quibus nomen dedit imperfecta conuerſio. ambientes enim ſeptemtrionalem verticem atque inde in diuerſa diffuſi & ſe in ſummo interſecant, & quinque parallelos in quaternas partes æqualiter diuidunt, zodiacum ita interſecantes, vt vnus eorum per arietem & libram, alter per cancrum atque capricornum meando decurrat: ſed ad auſtralem verticem non peruenire creduntur. duo, qui ad numerum prædictum ſuperſunt; meridianus & horizon, non ſcribuntur in ſphæra; quia certum locum habere non poſſunt, ſed pro diuerſitate circumſpicientis habitantisve variantur. Meridianus eſt enim, quem ſol cum ſuper hominum verticem venerit ipſum diem medium efficiendo deſignat. &, quia globoſitas terræ habitationes omnium æquales ſibi eſſe non patitur, non eadem pars cæli omnium verticem deſpicit. & ideo vnus omnibus meridianus eſſe non poterit: ſed ſingulis gentibus ſuper verticem ſuum proprius meridianus efficitur. ſimiliter ſibi horizontem facit circumſpectio ſingulorum. horizon eſt enim velut quodam circo deſignatus terminus cœli, quod ſuper terram videtur. & quia ad ipſum verè finem non poteſt humana acies peruenire; quantum quiſque oculos circumferendo

*conſpexerit proprium ſibi cæli quod ſuper terra eſt, terminum facit. hinc horizon, quem ſibi vniuſcuiuſque circumſcribit adſpectus, vltra trecentos & ſexaginta ſtadios longitudinem in ſe continere non poterit. centum enim & octoginta ſtadios non excedit acies contra videntis. ſed viſus cum ad hoc ſpatium venerit acceſſu deficiens in rotunditatem recurrendo curuatur. atque ita ſit vt hic numerus ex vtraque parte geminatus trecentorum ſexaginta ſtadiorum ſpatium, quod intra horizontem ſuum continetur efficiat; ſemperque quantum ex huius ſpatij parte poſtera procedendo dimiſeris, tantum tibi de anteriore ſumetur: & ideo horizon ſemper quantacunque locorum tranſgreſſione mutatur. hunc autem, quem diximus, admittit adſpectum. aut in terris æqua planities, aut pelagi tranquilla libertas, quæ nullam oculis obijcit offenſam. Nec te moueat quod ſæpe in longiſſimo poſitum montem videmus, aut quod ipſa cæli ſuperna ſuſpicimus. aliud eſt enim cum ſe oculis ingerit altitudo; aliud cum per planum ſe porrigit & extendit intuitus: in quo ſolo horizontis circus efficitur. Hæc de circis omnibus, quibus cælum cingitur, dicta ſufficiant. tractatum ad ſequentia transferamus.*

## CAP. XVI.

Qui fiat vt quædam ſtellæ numquam a nobis videantur, & quanta ſtellarum omnium magnitudo.

Ex quo mihi omnia contemplanti præclara cetera & mirabilia videbantur. Erant autem hæ ſtellæ quas nunquam ex hoc loco vidimus, & eæ magnitudines omnium quas eſſe numquam ſuſpicati ſumus. ex quibus erat ea minima, quæ vltima a cælo citima terris luce lucebat aliena. ſtellarũ autem globi terræ magnitudinem facile vincebant. *Dicendo*; Ex quo mihi



quo mihi omnia contemplanti, *id eſt, quod ſupra retulimus affirmat; in ipſo lacteo Scipionis & parentum per ſomnium contigiſſe conuentum. duo ſunt autem præcipua, quæ in ſtellis ſe admiratum refert; aliquarum nouitatem, & omnium magnitudinem. Ac prius de nouitate, poſt de magnitudine differemus. Plene & docte adiiciendo*, quas numquam ex hoc loco vidimus, *cauſam cur a nobis non videantur oſtendit. locus enim noſtræ habitationis ita poſitus eſt, vt quædam ſtellæ ex ipſo numquam poſſint videri. quia ipſa pars cæli, in qua ſunt, numquam poteſt hic habitantibus apparere. pars enim hæc terræ, quæ incolitur ab vniuerſis hominibus, qui nos inuicem ſcire poſſumus, ad ſeptemtrionalem verticem ſurgit: & ſphæralis conuexitas auſtralem nobis verticem in ima demergit. cum ergo ſemper circa terram ab ortu in occaſum cæli ſphæra voluatur; vertex hic, qui ſeptemtriones habet, quoquo verſum mundana volubilitate vertatur, quoniam ſuper nos eſt, ſemper a nobis videtur, ac ſemper oſtendit*

Arctos Oceani metuentes æquore tingui. *Auſtralis contra, quaſi ſemel nobis pro habitationis noſtræ poſitione demerſus, nec ipſe nobis vmquam videtur, nec ſidera ſua, quibus & ipſe ſine dubio inſignitur, oſtendit. & hoc eſt quod poëta naturæ ipſius conſcius dixit:*

Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Maneſque profundi.

*Sed cum hanc diuerſitatem cæleſtibus partibus vel ſemper vel numquam apparendi terræ globoſitas habitantibus faciat: ab eo qui in cælo eſt omne ſine dubio cælum videtur non impediente aliqua parte terræ, quæ tota puncti locum pro cæli magnitudine vix obtinet. Cui ergo auſtralis verticis ſtellas numquam de terris videre contigerat, vbi circumſpectu libero ſine offenſa terreni obicis viſæ ſunt, iure quaſi noua*

nouæ admirationem dederunt. &, quia intellexit cauſam propter quam eas numquam ante vidiſſet, ait; erant autem hæ ſtellæ quas numquam ex hoc loco vidimus. hunc locum demonſtratiue terram dicens, in qua erat dum iſta narraret. ſequitur illa diſcuſſio, quid ſit quod adiecit; & hæ magnitudines omnium, quas eſſe numquam ſuſpicati ſumus. cur autem magnitudines, quas vidit in ſtellis, nunquam homines ſuſpicati ſint, ipſe patefecit addendo: ſtellarum autem globi terræ magnitudinem facile vincebant. nam quando homo, niſi quem doctrina philoſophiæ ſupra hominem, imo vere hominem, fecit, ſuſpicari poteſt ſtellam vnam omni terra eſſe maiorem, cum vulgo ſingulæ vix facis vnius flammam æquare poſſe videantur? ergo tunc earum vere magnitudo aſſerta credetur, ſi maiores ſingulas, quam eſt omnis terra, eſſe conſtiterit. quod hoc modo licebit recognoſcas. Punctum dixerunt eſſe geometræ quod ob incomprehenſibilem breuitatem ſui in partes diuidi non poſſit; nec ipſum pars aliqua, ſed tantummodo ſignum eſſe dicatur. phyſici, terram ad magnitudinem circi, per quem ſol voluitur, puncti modum obtinere docuerunt. Sol autem quanto minor ſit circo proprio deprehenſum eſt. manifeſtiſſimis enim dimenſionum rationibus conſtat menſuram ſolis ducenteſimam ſextamdecimam partem habere magnitudinis circi, per quem ſol ipſe diſcurrit. cum ergo ſol ad circum pars certa ſit; terra vero ad circum ſolis punctum ſit, quod pars eſſe non poſſit: ſine cunctatione iudicij ſolem conſtat terra eſſe maiorem, ſi maior eſt pars eo quod partis nomen nimia breuitate ſui non capit. verum ſolis circo ſuperiorum ſtellarum circos certum eſt eſſe maiores, ſi, eo quod continetur, id quod continet maius eſt; cum hic ſit cæleſtium ſphærarum ordo, vt a ſuperiore vnaquæque inferior ambiatur. vnde & lunæ ſphæram quaſi a cælo vltimā & vicinam terræ minimam dixit; cum



cum terra ipſa in punctum quaſi vere iam poſtrema deficiat. ſi ergo ſtellarum ſuperiorum circi, vt diximus, circo ſolis ſunt grandiores; ſingulæ autem huius ſunt magnitudinis vt ad circum vnaquæque ſuum modum partis obtineant: ſine dubio ſingulæ terra ſunt ampliores, quam ad ſolis circum qui ſuperioribus minor eſt, punctum eſſe prædiximus. De luna, ſi vere luce lucet aliena, ſequentia docebunt.

## CAP. XVII.

Cælum quamobrem ſemper & in orbem moueatur: quo ſenſu ſummus vocetur deus: & ecquid ſtellæ, quas fixas vocant, ſuo etiam proprioque motu agantur.

HAEC cum Scipionis obtutus non ſine admiratione percurrens ad terras vſque fluxiſſet, & illic familiarius hæſiſſet: rurſus aui monitu ad ſuperiora reuocatus eſt, ipſum a cæli exordio ſphærarum ordinem in hæc verba monſtrantis: Nouem tibi orbibus vel potius globis connexa ſunt omnia, quorum vnus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe deus arcens & continens ceteros; in quo ſunt infixi illi qui voluuntur ſtellarum curſus ſempiterni: huic ſubiecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro contrario motu atque cælum. e quibus vnum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant. deinde eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor qui dicitur Iouis; tum rutilus horribiliſque terris, quem Martium dicitis. deinde ſubter mediam fere regionem ſol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine vt cuncta ſua luce luſtret & compleat. hunc vt comites conſequuntur Veneris alter; alter

Mercurij curſus: infimoque orbe luna radiis ſolis accenſa conuertitur. infra autem eam nihil eſt niſi mortale & caducum, pręter animos munere deorum hominum generi datos. ſupra lunam ſunt æterna omnia. nam ea, quæ eſt media & nona tellus, neque mouetur & infima eſt, & in eam referuntur omnia nutu ſuo pondera. *Totius mundi a ſummo in imum diligens in hunc locum collecta deſcriptio eſt; & integrum quoddam vniuerſitatis corpus effingitur, quod quidam τὸ πᾶν, id eſt, omne, dixerunt. vnde & hic dicit:* connexa ſunt omnia. *Vergilius vero magnum corpus vocauit:*

Et magno ſe corpore miſcet.

*Hoc autem loco Cicero rerum quærendarum iactis ſeminibus, multa nobis excolenda legauit. de ſeptem ſubiectis globis ait;* qui verſantur retro contrario motu atque cælum. *quod cum dicit; admonet, vt quæramus, ſi verſatur cælum: & ſi illi ſeptem & verſantur & contrario motu mouentur; aut ſi hunc eſſe ſphærarum ordinem, quem Cicero refert, Platonica conſentit auctoritas: &, ſi vere ſubiectæ ſint: quo pacto ſtellæ earum omnium zodiacum luſtrare dicantur, cum zodiacus & vnus & in ſummo cælo ſit: quave ratio in vno Zodiaco aliarum curſus breuiores aliarum faciat longiores. hæc enim omnia in exponendo earum ordine neceſſe eſt aſſerantur. & poſtremo, qua ratione in terram referantur, ſicut ait,* omnia nutu ſuo pondera. *Verſari cælum mundanæ animæ natura & vis & ratio docet. cuius æternitas in motu eſt; quia numquam motus relinquit, quod vita non deſerit: nec ab eo vita diſcedit, in quo viget ſemper agitatus. igitur & cæleſte corpus, quod mundi anima futurum ſibi immortalitatis particeps fabricata eſt, ne vmquam viuendo deficiat ſemper in motu eſt & ſtare neſcit: quia nec ipſa ſtat anima qua impellitur. nam cum animæ, quæ incorpo-*





*rea eſt, eſſentia ſit in motu; primum autem omnium cæli corpus anima fabricata ſit: ſine dubio in corpus hoc primum ex incorporeis motus natura migrauit. cuius vis integra & incorrupta non deſerit, quod primum cœpit mouere. ideo vero cæli motus neceſſario volubilis eſt; quia cum ſemper moueri neceſſe ſit; vltra autem locus nullus ſit quo ſe tendat acceſſio; continuatione perpetuæ in ſe reditionis agitatur. ergo in quo poteſt vel habet, currit, & accedere eius reuolui eſt: quia ſphæræ ſpatia & loca complectentis omnia vnus eſt curſus, rotari. ſed & ſic animam ſequi ſemper videtur, quæ in ipſa vniuerſitate diſcurrit. Dicemus ergo quod eam numquam reperiat ſi ſemper hanc ſequitur. imo ſemper eam reperit; quia vbique tota vbique perfecta eſt. cur ergo ſi quam quærit reperit non quieſcit? quia & illa requietis eſt inſcia. ſtaret enim ſi vſquam ſtantem animam reperiret. cum vero illa, ad cuius appetentiam trahitur, ſemper in vniuerſa ſe fundat; ſemper & corpus ſe in ipſam, & per ipſam retorquet. hæc de cæleſtis volubilitatis arcano pauca de multis Plotino auctore reperta ſufficiant. Quod autem hunc iſtum extimum globum, qui ita voluitur, ſummum deum vocauit; non ita accipiendum eſt, vt ipſe prima cauſa & deus ille omnipotentiſſimus exiſtimetur: cum globus ipſe, quod cælum eſt, animæ ſit fabrica; anima ex mente proceſſerit; mens ex deo qui vere ſummus eſt procreata ſit. ſed ſummum quidem dixit ad ceterorum ordinem, qui ſubiecti ſunt: vnde mox ſubiecit;* arcens & continens ceteros. *deum vero, quod non modo immortale animal ac diuinum ſit plenum inclytæ ex illa puriſſima mente rationis; ſed quod & virtutes omnes, quæ illam primæ omnipotentiam ſummitatis ſequuntur, aut ipſe faciat aut ipſe contineat, ipſum denique Iouem veteres vocauerunt, & apud theologos Iupiter eſt mundi anima. hinc illud eſt:*

Ab Ioue principium Muſæ. Iouis omnia plena.
*quod de Arato poëta alij mutuati ſunt, qui de ſideribus locuturus a cælo, in quo ſunt ſidera, exordium ſumendum eſſe decernens, ab Ioue incipiendum eſſe memorauit. hinc Iuno & ſoror eius & coniunx vocatur. eſt autem Iuno aër: & dicitur ſoror, quia iſdem ſeminibus, quibus cælum, etiam aër eſt procreatus: coniunx, quia aër ſubiectus eſt cælo. his illud adiiciendum eſt; quod præter duo lumina & ſtellas quinque, quæ appellantur vagæ, reliquas omnes alij infixas cælo nec niſi cum cælo moueri; alij, quorum aſſertio vero propior eſt, has quoque dixerunt ſuo motu, præter quod cum cæli conuerſione feruntur, accedere: ſed propter immenſitatem extimi globi excedentia credibilem numerum ſecula in vna eas curſus ſui ambitione conſumere; & ideo nullum earum motum ab homine ſentiri: cum non ſufficiat humanæ vitæ ſpatium ad breue ſaltem punctum tam tardæ acceſſionis deprehēdendum. hinc Tullius nullius ſectæ inſcius veteribus approbatæ ſimul attigit vtramque ſententiam dicendo:* in quo ſunt infixi illi qui voluuntur ſtellarum curſus ſempiterni. *nam & infixos dixit, & curſus habere non tacuit.*

## Cap. XVIII.

Stellas errantes contrario quam cælum motu verſari.

N*VNC vtrum illi ſeptem globi, qui ſubiecti ſunt, contrario, vt ait, quam cælum vertitur motu ferantur, argumentis ad verum ducentibus requiramus. Solem ac lunam, & ſtellas quinque quibus ab errore nomen eſt, præter quod ſecum trahit ab ortu in occaſum cæli diurna conuerſio, ipſa ſuo motu in orientem ab occidente procedere non ſolum litterarum profanis, ſed multis quoque doctrina initiatis abhorrere a fide ac monſtro ſimile iudicatum eſt: ſed apud preſſius intuentes ita verum eſſe conſtabit, vt non ſolum mente concipi, ſed oculis quoque ipſis poſſit probari. tamen vt nobis de hoc ſit cum pertinaciter negante tractatus, age, quiſquis tibi hoc liquere diſſimulas, ſimul omnia quæ vel contentio ſibi fingit detractans fidem, vel quæ ipſa veritas ſuggerit in diuiſionis membra mittamus. Has erraticas cum luminibus duobus aut infixas cælo, vt alia ſidera, nullumque ſui motum noſtris oculis indicare, ſed ferri mundanæ conuerſionis impetu aut moueri ſua quoque acceſſione dicemus. rurſus, ſi mouentur: aut cæli viam ſequuntur ab ortu in occaſum & communi & ſuo motu meantes; aut contrario receſſu in orientem ab occidentis parte verſantur. præter hæc, vt opinor, nihil poteſt vel eſſe vel fingi. nunc videamus quid ex his poterit verum probari. Si infixæ eſſent: numquam ab eadem ſtatione diſcederent; ſed in iſdem locis ſemper, vt aliæ, viderentur. ecce enim de infixis vergiliæ nec a ſui vnquam ſe copulatione diſpergunt; nec hyadas, quæ vicinæ ſunt, deſerunt; aut Orionis proximam regionem relinquunt. ſeptemtrionum quoque compago non ſoluitur. anguis qui inter eos labitur ſemel circumfuſum non mutat amplexum. hæ vero modo in hac modo in illa cæli regione viſuntur. & ſæpe cum in vnum locum duæ pluresve conuenerint, & a loco tamen in quo ſimul viſæ ſunt & a ſe poſtea ſeperantur. ex hoc eas non eſſe cælo infixas oculis quoque approbantibus conſtat. igitur mouentur. nec negare hoc quiſquam poterit, quod viſus affirmat. quærendum eſt ergo vtrum ab ortu in occaſum an in contrarium motu proprio reuoluantur. ſed & hoc quærentibus nobis non ſolum manifeſtiſſima ratio ſed viſus quoque ipſe monſtrabit. conſideremus enim ſingulorum ordinem, quibus zodiacum diuiſum vel diſtinctum videmus, & ab vno ſigno quolibet ordinis eius ſumamus exordium. Cum aries exoritur; poſt ipſum taurus emergit, hunc gemini ſequuntur, hos*

*tur, bos cancer, & per ordinem reliqua ſigna. ſi iſtæ ergo in occidentem ab oriente procederent: non ab ariete in taurum, qui retro locatus eſt; nec a tauro in geminos ſignum poſterius voluerentur: ſed a geminis in taurum, & a tauro in arietem recta & mundanæ volubilitatis conſona acceſſione prodirent. cum vero a primo in ſignum ſecundum, a ſecundo ad tertium, & inde ad reliqua, quæ poſteriora ſunt, reuoluantur; ſigna autem infixa cælo ferantur: ſine dubio conſtat, has ſtellas non cum cælo ſed contra cælum moueri. hoc vt plene liqueat, adſtruamus de lunæ curſu, qui & claritate ſui & velocitate notabilior eſt. Luna, poſtquam a ſole diſcedens nouata eſt, ſecundo fere die circa occaſum videtur, & quaſi vicina ſoli quem nuper reliquit. poſtquam ille demerſus eſt; ipſa cœli marginem tenet antecedenti ſuperoccidens. tertio die tardius occidit quam ſecundo; & ita quotidie longius ab occaſu recedit, vt ſeptimo die circa ſolis occaſum in medio cælo ipſa videatur: poſt alios vero ſeptem, cum ille mergit, hæc oritur: adeo media parte menſis dimidium cælum, id eſt, vnum hemiſphærium, ab occaſu in orientem recedendo metitur. rurſus poſt ſeptem alios circa ſolis occaſum latentis hemiſphærij verticem tenet. & huius rei indicium eſt, quod medio noctis exoritur: poſtremo totidem diebus exemptis ſolem denuo comprehendit, & vicinus videtur ortus amborum, quamdiu ſoli ſuccedens rurſus nouetur, & rurſus recedens paulatim ſemper in orientem regrediendo relinquat occaſum. Sol quoque ipſe non aliter quam ab occaſu in orientem mouetur; &, licet tardius receſſum ſuum quam luna conficiat (quippe qui tanto tempore ſignum vnum emetiatur, quanto totum zodiacum luna diſcurrit) manifeſta tamen & ſubiecta oculis motus ſui præſtat indicia. hunc enim in ariete eſſe ponamus. quod, quia æquinoctiale ſignum eſt, pares horas ſomni & diei facit. in hoc ſigno cum occidit; libram, id eſt, ſcorpij* chelas



*chelas mox oriri videmus: & apparet taurus vicinus occaſui. nam & vergilias & hyadas partes tauri clariores non multo poſt ſole mergente videmus. ſequenti menſe ſol in ſignum poſterius, id eſt, in taurum recedit: & ita ſit vt neque vergiliæ neque alia pars tauri illo menſe videatur. ſignum enim, quod cum ſole oritur & cum ſole occidit, ſemper occultur. adeo vt & vicina aſtra ſolis propinquitate celentur. nam & canis tunc, quia vicinus tauro eſt, non videtur tectus lucis propinquitate. & hoc eſt quod Vergilius ait;*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & aduerſo cedens canis occidit aſtro.

*non enim vult intelligi tauro oriente cum ſole, mox in occaſum ferri canem, qui proximus tauro eſt; ſed occidere eum dixit tauro geſtante ſolem: quia tunc incipit non videri ſole vicino. tunc tamen occidente ſole libra adeo ſuperior inuenitur; vt totus ſcorpius ortus appareat: gemini vero vicini tunc videntur occaſui. rurſus, poſt tauri menſem gemini non videntur; quod in eos ſolem migraſſe ſignificat. poſt geminos recedit in cancrum: & tunc, cum occidit, mox libra in medio cælo videtur. adeo conſtat ſolem tribus ſignis peractis, id eſt, ariete & tauro & geminis, ad medietatem hemiſphærij receſſiſſe. denique, poſt tres menſes ſequentes, tribus ſignis quæ ſequuntur emenſis, cancrum dico, leonem & virginem, inuenitur in libra, quæ rurſus æquat noctem diei, &, dum in ipſo ſigno occidit, mox oritur aries, in quo ſol ante ſex menſes occidere ſolebat. ideo autem occaſum magis eius quam ortum eligimus proponendum; quia ſigna poſteriora poſt occaſum videntur, &, dum ad hæc quæ ſole mergente videri ſolent, ſolem redire monſtramus, ſine dubio eum contrario motu recedere, quam cælum mouetur, oſtendimus. Hæc autem, quæ de ſole & luna diximus, etiam quinque ſtellarum receſſum aſſignare ſufficient.*


cient.

*cient. pari enim ratione in poſteriora ſigna migrando ſemper mundanæ volubilitati contraria receſſione verſantur.*

## CAP. XIX.

Quem Cicero & quem Plato Soli inter errantes ſtellas aſſignauerint ordinem: cur luna lumen ſuum mutuetur a ſole, ſicque luceat vt tamen non calefaciat. dehinc cur ſol non abſolute ſed fere medius inter planetas eſſe dicatur. vnde ſideribus nomina: & cur ſtellarum errantium aliæ aduerſæ nobis ſint, aliæ proſperæ.

HIS *aſſertis de ſphærarum ordine pauca dicenda ſunt. in quo diſſentire a Platone Cicero videri poteſt: cum hic ſolis ſphæram quartam de ſeptem, id eſt, in medio, locatam dicat, Plato a luna ſurſum ſecundam, hoc eſt, inter ſeptem a ſummo locum ſextum tenere commemoret. Ciceroni Archimedes & Chaldæorum ratio conſentit. Plato Aegyptios omnium philoſophiæ diſciplinarum parentes ſecutus eſt; qui ita ſolem inter lunam & Mercurium locatum volunt, vt ratione tamen deprehenderint & edixerint cur a nonnullis ſol ſupra Mercurium ſupraque Venerem eſſe credatur. nam nec illi, qui ita æſtimant, a ſpecie veri procul aberrant. opinionem vero iſtius permutationis huiuſmodi ratio perſuaſit. A Saturni ſphæra, quæ eſt prima de ſeptem, vſque ad ſphæram Iouis a ſummo ſecundam interiecti ſpatij tanta diſtantia eſt, vt zodiaci ambitum ſuperior triginta annis, duodecim vero annis ſubiecta conficiat. rurſus tantum a Ioue ſphæra Martis recedit, vt eundem curſum biennio peragat. Venus autem tanto eſt regione Martis inferior, vt ei annus ſatis ſit ad zodiacum peragrandum. iam vero ita Veneri proxima eſt ſtella Mercurij, & Mercurio ſol propinquus; vt hi tres cælum ſuum pari temporis ſpatio, id eſt, anno, plus minusve circumeant. igitur & Cicero hos duos curſus comites ſolis vocauit, quia in ſpatio pari longe a ſe numquam recedunt. luna autem tantum ab his deorſum recedit, vt, quod illi anno, viginti octo diebus ipſa conficiat, ideo neque de trium ſuperiorum ordine, quem manifeſte clareque diſtinguit immenſa diſtantia, neque de lunæ regione, quæ ab omnibus multum receſſit, inter veteres aliqua fuit diſſenſio. horum vero trium ſibi proximorum Veneris, Mercurij & Solis ordinem vicinia confudit; ſed apud alios. nam AEgyptiorum ſollertiam ratio non fugit: quæ talis eſt. Circulus, per quem ſol diſcurrit, a Mercurij circulo vt inferior ambitur. illum quoque ſuperior circulus Veneris includit: atque ita fit vt hæ duæ ſtellæ, cum per ſuperiores circulorum ſuorum vertices currunt, intelligantur ſupra ſolem locatæ: cum vero per inferiora commeant circulorum; ſol eis ſuperior æſtimetur. Illis ergo qui ſphæras earum ſub ſole dixerunt hoc viſum eſt ex illo ſtellarum curſu qui nonnumquam, vt diximus, videtur inferior; qui & vere notabilior eſt, quia tunc liberius apparet. nam cum ſuperiora tenent, magis radiis occuluntur. & ideo perſuaſio iſta conualuit; & ab omnibus pæne hic ordo in vſum receptus eſt. perſpicacior tamen obſeruatio meliorem ordinem deprehendit, quem præter indaginem viſus hac quoque ratio commendat; quod lunam, quæ luce propria caret & de ſole mutuatur, neceſſe eſt fonti luminis ſui eſſe ſubiectam. hæc enim ratio facit lunam non habere lumen proprium, ceteras omnes ſtellas lucere ſuo, quod illæ ſupra ſolem locatæ in ipſo puriſſimo æthere ſunt, in quo omne, quicquid eſt, lux naturalis & ſua eſt: quæ tota cum igne ſuo ita ſphæræ ſolis incumbit, vt cæli zonæ, quæ procul a ſole ſunt, perpetuo frigore oppreſſæ ſint, ſicut infra oſtendetur. luna vero, quia ſola ipſa ſub ſole eſt & caducorum iam regioni luce ſua carenti proxima, lucem niſi de ſuperpoſito ſole, cui reſplendet, habere non potuit. denique quia totius mundi vna pars terra eſt, ætheris autem vna pars luna eſt; lunam quoque*

terram ſed ætheream vocauerunt, immobilis tamen, vt terra, eſſe non potuit, quia in ſphæra, quæ voluitur, nihil manet immobile præter centrum. mundanæ autem ſphæræ terra centrum eſt; ideo ſola immobilis perſeuerat. rurſus terra accepto ſolis lumine clareſcit tantummodo non relucet: luna ſpeculi inſtar, lumen quo illuſtratur emittit; quia illa aeris & aquæ, quæ per ſe concreta & denſa ſunt, fæx habetur: & ideo extrema vaſtitate denſata eſt, nec vltra ſuperficiem quauis luce penetratur. Hæc licet & ipſa finis eſt, ſed liquidiſſimæ lucis & ignis ætherei: ideo quamuis denſius corpus ſit quam cetera cæleſtia, vt multo tamen terreno purius ſit acceptæ luci penetrabile, adeo vt eam de ſe rurſus emittat, nullum tamen ad nos perferentem ſenſum caloris, quia lucis radius, cum ad nos de origine ſua, id eſt, de ſole peruenit, naturam ſecum ignis de quo naſcitur deuehit: cum vero in lunæ corpus infunditur & inde reſplendet: ſolam refundit claritudinem non calorem. nam & ſpeculum, cum ſplendorem de ſe vi oppoſiti eminus ignis emittit, ſolam ignis ſimilitudinem carentem ſenſu caloris oſtendit. Quem ſoli ordinem Plato dederit vel eius auctores, quosve Cicero ſecutus quartum locum globo eius aſſignauerit, vel quæ ratio perſuaſionem huius diuerſitatis induxerit, & cur dixerit Tullius, infimoque orbi luna radiis ſolis accenſa conuertitur, ſatis dictum eſt. ſed his hoc adiiciendum eſt, cur Cicero, cum quartum de ſeptem ſolem velit, quartus autem inter ſeptem non fere medius ſed omnimodo medius & ſit & habeatur, non abrupte medium ſolem ſed fere medium dixerit his verbis: deinde ſubter mediam fere regionem ſol obtinet. ſed non vacat adiectio, quam hæc pronunciatio temperat. nam ſol quartum locum obtinens mediam regionem tenebit numero, ſpatio non tenebit. ſi inter ternos enim ſummos & imos locatur, ſine dubio medius eſt numero: ſed totius ſpatij, quod ſeptem ſphæræ occupant,



cupant, dimenſione perſpecta, regio ſolis non inuenitur in medio ſpatio locata; quia magis a ſummo ipſe quam ab ipſo receſſit ima poſtremitas, quod ſine vlla diſceptationis ambage compendioſa probabit aſſertio. Saturni ſtella, quæ ſumma eſt, zodiacum triginta annis peragrat; ſol medius anno vno; luna vltima vno menſe non integro. tantum ergo intereſt inter ſolem & Saturnum, quantum inter vnum & triginta; tantum inter lunam ſolemque, quantum inter duodecim & vnum. Ex his apparet totius a ſummo in imum ſpatij certam ex media parte diuiſionem ſolis regione non fieri. ſed quia hic de numero loquebatur, in quo vere qui quartus, & medius eſt; ideo pronunciauit quidem medium, ſed, propter latentem ſpatiorum diuiſionem, verbum quo hanc definitionem temperaret adiecit. Notandum; quod eſſe ſtellam Saturni & alteram Iouis, Martis aliam; non naturæ conſtitutio ſed humana perſuaſio eſt; quæ ſtellis numeros & nomina fecit. non enim ait illam, quæ Saturnia eſt, ſed quam in terris Saturniam nominant; &, ille fulgor qui dicitur Iouis, &, quem Martium dicitis. adeo expreſſit in ſingulis nomina hac non eſſe inuenta naturæ ſed hominum commenta ſignificationi diſtinctionis accommoda. Quod vero fulgorem Iouis humano generi proſperum & ſalutarem, contra Martis rutilum & terribilem terris vocauit; alterum tractum eſt ex ſtellarum colore (nam fulget Iouis, rutilat Martis) alterum ex tractatu eorum, qui de his ſtellis ad hominum vitam manare volunt aduerſa vel proſpera. nam plerumque de Martis ſtella terribilia, de Iouis ſalutaria euenire definiunt. cauſam ſi quis forte altius quærat, vnde diuinis maliuolentia vt ſtella malefica eſſe dicatur (ſicut de Martis & Saturni ſtellis exiſtimatur) aut cur notabilior benignitas Iouis & Veneris inter genethliacos habeatur, cum ſit diuinorum vna natura; in medium proferam rationem apud vnum omnino, quod ſciam,

*ſciam, lectam. nam Ptolemæus in libris tribus, quos de harmonia compoſuit, patefecit cauſam quam breuiter explicabo. Certi ſunt numeri, per quos inter omnia, quæ ſibi conueniunt iunguntur & aptantur, fit iugabilis competentia; nec quicquam poteſt alteri niſi per hos numeros conuenire. ſunt autem epitritus, hemiolius, epogdous, duplaris, triplaris, quadruplus. quæ hoc loco interim quaſi nomina numerorum accipias volo. in ſequentibus vero, cum de harmonia cæli loquemur, quid ſint hi numeri quidve poſsint opportunius aperiemus. modo hoc noſſe ſufficiat, quia ſine his numeris nulla colligatio, nulla poteſt eſſe concordia. vitam vero noſtram præcipue ſol & luna moderantur. nam cum ſint caducorum corporum hæc duo propria, ſentire vel creſcere;* αἰσθητικὸν, *id eſt, ſentiendi natura, de ſole;* φυτικὸν *autem, id eſt, creſcendi natura, de lunari ad nos globoſitate perueniunt. ſic vtriuſque luminis beneficio hæc nobis conſtat vita, qua fruimur. Conuerſatio tamen noſtra & prouentus actuum tam ad ipſa duo lumina, quam ad quinque vagas ſtellas refertur. ſed harum ſtellarum alias interuentus numerorum, quorum ſupra fecimus mentionem, cum luminibus bene iungit ac ſociat; alias nullus applicat numeri nexus ad lumina. ergo Veneria & Iouialis ſtella per hos numeros lumini vtrique ſociantur: ſed Iouialis ſoli per omnes, lunæ vero per plures, & Veneria lunæ per omnes, ſoli per plures numeros aggregatur. Hinc, licet vtraque benefica credatur, Iouis tamen ſtella cum ſole accommodatior eſt, & Veneria cum luna: atque ideo vitæ noſtræ magis commodant, quaſi luminibus vitæ noſtræ auctoribus numerorum ratione concordes. Saturni autem Martiſque ſtellæ ita non habent cum luminibus competentiam, vt tamen aliqua vel extrema numerorum linea Saturnus ad ſolem, Mars aſpiciat ad lunam. ideo minus commodi vitæ humanæ exiſtimantur, quaſi cum vitæ auctoribus apta numerorum ratione non iuncti. cur tamen & ipſi nonnumquam opes vel claritatem hominibus præſtare credantur ad alterum debet pertinere tractatum: quia hic ſufficit aperuiſſe rationem cur alia terribilis alia ſalutaris exiſtimetur. Et Plotinus quidem in libro qui inſcribitur,* Si faciunt aſtra, *pronunciat nihil vi vel poteſtate eorum hominibus euenire; ſed ea quæ decreti neceſsitas in ſingulos ſancit ita per horum ſeptem tranſitum ſtatione receſſuve monſtrari, vt aues ſeu præteruolando ſeu ſtando futura pennis vel voce ſignificant neſcientes. ſic quoque tamen iure vocabitur hic ſalutaris, ille terribilis; cum per hunc proſpera per illum ſignificentur incommoda.*



## CAP. XX.

De diuerſis nominibus Solis deque eiuſdem magnitudine.

IN HIS *autem tot nominibus, quæ de ſole dicuntur, non fruſtra nec ad laudis pompam laſciuit oratio: ſed res vere vocabulis exprimitur.* Dux & princeps, *ait,* & moderator luminum reliquorum mens mundi & temperatio. *Plato in Timæo, cum de octo ſphæris loqueretur, ſic ait: Vt autem per ipſos octo circuitus celeritatis & tarditatis certa menſura & ſit & noſcatur; deus in ambitu ſupra terram ſecundum lumen accendit, quod nunc ſolem vocamus. Vides vt hæc definitio vult eſſe omnium ſphærarum lumen in ſole. ſed Cicero ſciens etiam ceteras ſtellas habere lumen ſuum, ſolamque lunam, vt ſæpe iam diximus, proprio carere; obſcuritatem definitionis huius liquidius abſoluens & oſtendens in ſole maximum lumen eſſe, non ſolum ait,* dux & princeps & moderator luminum reliquorum *(adeo & ceteras ſtellas ſcit eſſe lumina,) ſed hunc ducem & principem, quem Heraclitus fontem cæleſtis lucis appellat. dux ergo eſt, quia omnes luminis maie-*

*nis maieſtate præcedit. princeps; quia ita eminet, vt propterea quod talis ſolus appareat ſol vocetur; moderator reliquorum dicitur, quia ipſe curſus eorum recurſusque certa definitione ſpatij moderatur. nam certa ſpatij definitio eſt, ad quam cum vnaquæque erratica ſtella recedens a ſole peruenerit, tamquam vltra prohibeatur accedere, agi retro videtur, & rurſus cum certam partem recedendo contigerit ad directi curſus conſueta reuocatur. ita ſolis vis & poteſtas motus reliquorum luminum conſtituta dimenſione moderatur. mens mundi ita appellatur; vt phyſici eum cor cæli vocauerunt. inde nimirum; quod omnia, quæ ſtatuta ratione per cælum fieri videmus, diem noctemque & migrantes inter vtrumque prolixitatis breuitatisque vices & certis temporibus æquam vtriusque menſuram, dein veris clementem teporem, torridum cancri ac leonis æſtum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter vtramque temperiem, omnia hæc ſolis curſus & ratio diſpenſat. iure ergo cor cæli dicitur, per quem fiunt omnia quæ diuina ratione fieri videmus. Eſt & hæc cauſa, propter quam iure cor cæli vocetur; quod natura ignis ſemper in motu perpetuoque agitatu eſt. Solem autem ignis ætherei fontem dictum eſſe retulimus. hoc eſt ergo ſol in æthere, quod in animali cor: cuius iſta natura eſt, ne vmquam ceſſet a motu; aut breuis eius quocumque caſu ab agitatione ceſſatio mox animal interimat. hæc de eo quod ſolem mundi mentem vocauit. Cur vero & temperatio mundi dictus ſit, ratio in aperto eſt. ita enim non ſolum terram ſed ipſum quoque cælum, quod vere mundus vocatur, temperari a ſole certiſſimum eſt, vt extremitates eius, quæ a via ſolis longiſſime receſſerunt, omni careant beneficio caloris, & vna frigoris perpetuitate torpeſcant. quod ſequentibus apertius explicabitur. Reſtat vt & de magnitudine eius, quam veriſſima prædicatione, pauca & non prætereunda dicamus. Phyſici hoc ma-*

*xime*



*xime conſequi in omni circa magnitudinem ſolis inquiſitione voluerunt, quanto maior eſſe poſſit quam terra. & Eratoſthenes in libris dimenſionum ſic ait: Menſura terræ ſepties & vicies multiplicata menſuram ſolis efficiet. Poſſidonius dicit multo multoque ſæpius multiplicatam ſolis ſpatium efficere: & vterque lunaris defectus argumentum pro ſe aduocat. ita cum ſolem volunt terra maiorem probare; teſtimonio lunæ deficientis vtuntur: cum defectum lunæ conantur aſſerere; probationem de ſolis magnitudine mutuantur. & ſic euenit vt, dum vtrumque de altero adſtruitur, neutrum probabiliter adſtruatur, ſemper in medio viciſſim nutante mutuo teſtimonio. quid enim per rem adhuc probandam probetur? ſed AEgyptij nihil ad coniecturam loquentes ſequeſtrato ac libero argumento nec in patrocinium ſibi lunæ defectum vocantes, quanta menſura ſol terra maior ſit probare voluerunt, vt tum demum per terræ magnitudinem oſtenderent cur luna deficiat. hoc autem nequaquam dubitabatur non poſſe aliter deprehendi, niſi menſura & terræ & ſolis inuenta, vt fieret ex collatione diſcretio. & terrena quidem dimenſio oculis rationem iuuantibus de facili conſtabat. ſolis vero menſuram aliter niſi per menſuram cæli per quod diſcurrit, inueniri non poſſe viderunt. ergo primum metiendum ſibi cælum illud, id eſt, iter ſolis, conſtituerunt, vt per id poſſent modum ſolis agnoſcere. ſed quæſo ſi quis vmquam tam ocioſus tamque ab omni erit ſerio feriatus, vt hæc quoque in manus ſumat; ne talem veterum promiſſionem quaſi inſaniæ proximam aut horreſcat aut rideat. etenim ad rem, quæ natura incomprehenſibilis videbatur, viam ſibi fecit ingenium: & per terram qui cæli modus ſit repererunt. vt autem liquere poſſit ratio commenti, prius regulariter pauca dicenda ſunt, vt ſit rerum ſequentium aditus inſtructior. In omni orbe vel ſphæra medietas centrum vocatur: nihilque aliud eſt cen-*

*trum,*

*trum, niſi punctum quo ſphæræ aut orbis medium certiſſima obſeruatione diſtinguitur. item ducta linea de quocunque loco circuli, qui deſignat ambitum, in quacumque eiusdem circuli ſummitate orbis partem aliquam diuidat neceſſe eſt. ſed non omni modo medietas eſt orbis quam ſeparat iſta diuiſio. illa enim tantum linea in partes æquales orbem medium diuidit, quæ a ſummo in ſummum ita ducitur, vt neceſſe ſit eam tranſire per centrum. & hæc linea, quæ orbem ſic æqualiter diuidit, diametros nuncupatur. item omnis diametros cuiuscumque orbis triplicata cum adiectione ſeptimæ partis ſuæ menſuram facit circuli, quo orbis includitur: id eſt, ſi vncias ſeptem teneat diametri longitudo, & velis ex ea noſſe quot vncias orbis ipſius circulus teneat, triplicabis ſeptem, & faciunt viginti vnum. his adiicies ſeptimam partem, hoc eſt, vnum; & pronunciabis in viginti & duabus vncijs huius circuli eſſe menſuram, cuius diametros ſeptem vnciis extenditur. Hæc omnia geometricis euidentiſſimisque rationibus probare poſſemus, niſi & neminem de ipſis dubitare arbitraremur & caueremus iuſto prolixius volumen extendere. Sciendum & hoc eſt, quod vmbra terræ quam ſol poſt occaſum in inferiore hemiſphærio currens ſurſum cogit emitti, ex qua ſuper terram ſit obſcuritas quæ nox vocatur, ſexagies in altum multiplicatur ab ea menſura, quam terræ diametros habet. & hac longitudine ad ipſum circulum, per quem ſol currit, erecta, concluſione luminis tenebras in terram refundit. Prodendum eſt igitur, quanta diametros terræ ſit, vt conſtet quid poſſit ſexagies multiplicata colligere. vnde, his prælibatis, ad tractatum menſurarum quas promiſit oratio reuertatur. Euidentiſſimis & indubitabilibus dimenſionibus conſtitit vniuerſæ terræ ambitum, quæ quibuscumque vel incolitur vel inhabitabilis iacet, habere ſtadiorum milia ducenta quinquaginta duo. cum ergo tantum ambitus teneat;*

*tus teneat;*



*tus teneat; ſine dubio octaginta milia ſtadiorum vel non multo amplius diametros habet, ſecundum triplicationem cum ſeptimæ partis adiectione, quam ſuperius de diametro & circulo regulariter diximus. & quia ad efficiendam terrenæ vmbræ longitudinem non ambitus terræ ſed diametri menſura multiplicanda eſt (ipſa eſt enim quam ſurſum conſtat excreſcere) ſexagies multiplicanda tibi erunt octaginta milia quæ terræ diametros habet; quæ faciunt quadragies octies centena milia ſtadiorum eſſe a terra vſque ad ſolis curſum, quo vmbram terræ diximus peruenire. terra autem in medio cæleſtis circuli, per quem ſol currit, vt centrum locata eſt. Ergo menſura terrenæ vmbræ medietatem diametri cæleſtis efficiet; &, ſi ab altera quoque parte terræ par vſque ad dimidium circuli menſura tendatur, integra circuli, per quem ſol currit, diametros inuenitur. duplicatis igitur illis quadragies octies centenis milibus, erit integra diametros cæleſtis circuli nonagies ſexies centenis milibus ſtadiorum: & inuenta diametros facile menſuram nobis ipſius quoque ambitus prodit. hanc enim ſummam, quam diametros fecit, debes ter multiplicare, adiecta parte ſeptima, vt ſæpe iam dictum eſt: & ita inuenies totius circuli, per quem ſol currit, ambitum ſtadiorum habere trecenties centena milia, & inſuper centum ſeptuaginta milia. His dictis, quibus menſura quam terræ vel ambitus vel diametros habet, ſed & circuli modus per quem ſol currit vel diametri eius oſtenditur: nunc quam ſolis eſſe menſuram vel quemadmodum illi prudentiſſimi deprehenderint indicemus. nam ſicut ex terrena vmbra potuit circuli per quem ſol meat deprehendi magnitudo; ita per ipſum circulum menſura ſolis inuenta eſt, in hunc modum procedente inquiſitionis ingenio. Æquinoctiali die ante ſolis ortum æquabiliter locatum eſt ſaxeum vas in hemiſphærij ſpeciem cauata ambitione curuatum, infra per lineas deſignato duodecim*



*decim*

decim diei horarum numero, quas ſtyli prominentis vmbra cum tranſitu ſolis prætereundo diſtinguit. hoc eſt autem, vt ſcimus, huiuſmodi vaſis officium, vt tanto tempore a priore eius extremitate ad alteram vſque ſtyli vmbra percurrat, quanto ſol medietatem cæli ab ortu in occaſum vnius ſcilicet hemiſphærij conuerſione metitur. nam totius cæli integra conuerſio diem noctemque concludit. & ideo conſtat, quantum ſol in circulo ſuo meat, tantum in hoc vaſe vmbram meare. huic igitur æquabiliter collocato circa tempus ſolis ortui propinquantis inhæſit diligens obſeruantis obtutus: & cum ad primum ſolis radium, quem de ſe emiſit prima ſummitas orbis, emergens de vmbra ſtyli decidens ſummitate primam curui labri eminentiam contigit; locus ipſe, qui vmbræ primitias excepit, notæ impreſſione ſignatus eſt; obſeruatumque quamdiu ſuper terram ita ſolis orbis integer appareret, vt ima eius ſummitas adhuc horizonti videretur inſidere, & mox locus ad quem vmbra tunc in vaſe migrauerat, adnotatus eſt: habitaque dimenſione inter ambas vmbrarum notas, quæ integrum ſolis orbem, id eſt, diametrum, nata de duabus eius ſummitatibus metiuntur; pars nona reperta eſt eius ſpatij, quod a ſummo vaſis labro vſque ad horæ primæ lineam continetur. & ex hoc conſtitit, quod in curſu ſolis vnam temporis æquinoctialis horam faciat repetitus nouies orbis eius acceſſus. & quia conuerſio cæleſtis hemiſphærij peractis horis duodecim diem condidit; nouies autem duodecim efficiunt centum octo; ſine dubio ſolis diametros centeſima & octaua pars hemiſphærij æquinoctialis eſt. ergo æquinoctialis totius circuli ducenteſima ſexta decima pars eſt. ipſum autem circulum habere ſtadiorum trecenties centena milia & inſuper centum & ſeptuaginta milia antelatis probatum eſt. Ergo ſi eius ſummæ ducenteſimam ſextamdecimam partem perfecte coſideraueris; menſuram diametri ſolis inuenies. eſt autem pars



tem pars illa fere in centum quadraginta milibus. diametros igitur ſolis centum quadraginta milium fere ſtadiorum eſſe dicenda eſt: vnde pæne duplex quam terræ diametros inuenitur. conſtat autem geometricæ rationis examine, cum de duobus orbibus altera diametros duplo alteram vincit, illum orbem cuius diametros dupla eſt, orbe altero octies eſſe maiorem. ergo ex his dicendum eſt ſolem octies terra eſſe maiorem. Hæc de ſolis magnitudine breuiter de multis excerpta libauimus.

## CAP. XXI.

Qua ratione inferiorum ſphærarum ſtellæ in zodiaci ſignis meare dicantur, cum in iis non ſint: curque ex illis aliæ breuiori aliæ longiori tempore zodiaci ſigna percurrant; & quomodo circulus zodiacus in duodecim partes diuiſus ſit.

SED quoniam ſeptem ſphæras cælo diximus eſſe ſubiectas, exteriore quaque quas interius continet ambiente, longeque & a cælo omnes & a ſe ſingulæ receſſerunt: nunc quærendum eſt, cum Zodiacus vnus ſit & is conſtet cælo ſideribus infixis, quemadmodum inferiorum ſphærarum ſtellæ in ſignis zodiaci meare dicantur. nec longum eſt inuenire rationem, quæ in ipſo veſtibulo excubat quæſtionis. verum eſt enim neque ſolem lunamve, neque de vagis vllam ita in ſignis zodiaci ferri, vt eorum ſideribus miſceantur; ſed in illo ſigno eſſe vnaquæque perhibetur, quod habuerit ſupra verticem in ea, quæ illi ſigno ſubiecta eſt, circuli ſui regione diſcurrens. quia ſingularum ſphærarum circulos in duodecim partes æque vt zodiacum ratio diuiſit: &, quæ in eam partem circuli ſui venerit, quæ ſub parte zodiaci eſt arieti deputata, in ipſum arietem veniſſe conceditur: ſimiliſque obſeruatio in ſingulas partes migrantibus ſtellis

bus ſtellis tenetur. Et quia facilior ad intellectum per oculos via eſt, id quod ſermo deſcripſit, viſus aßignet. eſto enim zodiacus circulus, cui adſcriptum eſt, a. intra hunc ſeptem alij orbes locentur: & zodiacus ab a, per ordinem affixis notis, quibus adſcribentur litteræ ſequentes, in partes duodecim diuidatur: ſitque ſpatium, quod inter a, & b, clauditur, arieti deputatum; quod intra, b, & c, tauro; quod inter c, & d, geminis; cācro quod ſequitur, & reliquis per ordinem cetera. his conſtitutis iam de ſingulis zodiaci notis & litteris ſingulæ deorſum lineæ per omnes circulos ad vltimum vſq. ducantur: proculdubio per orbes ſingulos duodenas partes diuidet tranſitus linearum. in quocumq. igitur circulo ſeu ſol in illo ſeu luna vel de vagis quæcumq. diſcurrat, cum ad ſpatium venerit quod inter lineas clauditur ab a, & b, notis & litteris defluentes, in ariete eſſe dicetur: quia illic conſtituta ſpatium arietis in zodiaco deſignatum ſuper verticem, ſicut deſcripſimus, habebit. ſimiliter in quācumque migrauerit partem in ſigno ſub quo fuerit, eſſe dicetur.

Atque hæc ipſa deſcriptio eodem compendio nos docebit cur eumdem zodiacum eademque ſigna aliæ tempore longiore aliæ breuiore percurrant. Quotiens enim plures orbes intra ſe locantur, ſicut maximus eſt ille qui primus eſt & minimus qui locum vltimum tenet, ita de mediis, qui ſummo propior eſt, inferioribus maior, qui vicinior eſt vltimo, breuior ſuperioribus habetur. & inter has igitur ſeptem ſphæras gradum celeritatis ſuæ ſingulis ordo poſitionis adſcripſit. ideo ſtellæ, quæ per ſpacia grandiora diſcurrunt, ambitum ſuum tempore prolixiore conficiunt; quæ per anguſta, breuiore. conſtat enim nullam inter eas celerius ceteris tardiuſve procedere. ſed cum ſit omnibus idem motus meandi; tantam eis diuerſitatem temporis ſola ſpaciorum diuerſitas facit. nam, vt de mediis nunc prætermittamus, ne eadem ſæpe repetantur, quod eadem ſigna Saturnus annis triginta

ginta



ginta, luna diebus viginti octo ambit & permeat, ſola cauſa in quantitate eſt circulorum: quorum alter maximus alter minimus. ergo & ceterarum ſingulæ pro ſpatij ſui modo tempus meandi aut extendunt aut contrahunt. Hoc loco diligens rerum diſcuſſor inueniet quod requirat. inſpectis enim zodiaci notis, quas monſtrat in præſidium fidei aduocata deſcriptio, Quis vero, inquiet, circi cæleſtis duodecim partes aut inuenit aut fecit, maxime cum nulla oculis ſubiiciantur exordia ſingularum? Huic igitur tam neceſſariæ interrogationi hiſtoria ipſa reſpondeat factum referens, quo a veteribus & tentata eſt tam difficilis & effecta diuiſio. Aegyptiorum enim retro maiores, quos conſtat primos omnium cælum ſcrutari & metiri auſos, poſtquam perpetuæ apud ſe ſerenitatis obſequio cælum ſemper ſuſpectu libero intuentes deprehenderunt, vniuerſis vel ſtellis vel ſideribus infixis cælo, cum ſole ſolas & luna quinque ſtellas vagari; nec has tamen per omnes cæli partes paßim ac ſine certa erroris ſui lege diſcurrere; numquam denique ad ſeptemtrionalem verticem deuiare; numquam ad auſtralis poli ima demergi; ſed intra vnius obliqui circi limitem omnes habere diſcurſus; nec omnes tamen ire pariter & redire; ſed alias aliis ad eundem locum peruenire temporibus: rurſus ex his alias accedere; retro agi alias, viderique ſtare nonnunquam. poſtquam, inquam, hæc inter eas agi viderunt: certas ſibi partes decreuerunt in ipſo circo conſtituere & diuiſionibus annotare; vt certa eſſent locorum nomina, in quibus eas morari, vel de quibus exiſſe, ad quæve rurſus eſſe venturas, & ſibi inuicem annunciarent & ad poſteros noſcenda tranſmitterent. Duobus igitur vaſis æneis præparatis, quorū alteri fundus erat in modum clepſydræ foratus; illud quod erat integrum vacuū ſubiecerunt pleno aquæ altero ſuperpoſito; ſed meatu ante munito & quālibet de infixis vnam clariſſimam ſtellam lucideque notabilem orientem obſerua-



obſerua-

obſeruauerunt. quæ vbi primū cœpit emergere: mox muni-
tione ſubducta permiſerunt ſubiecto vaſi aquā ſuperioris in-
fluere, fluxitq. in noctis ipſius & ſequentis diei finem, atque
in id noctis ſecūdæ; quamdiu eadem ſtella ad ortum rurſus re-
uerteret: quæ vbi apparere vix cæpit; mox aqua quæ influe-
bat amota eſt. cum igitur obſeruatæ ſtellæ itus ac reditus in-
tegram ſignificaret cæli conuerſionem: menſuram ſibi cæli
aquæ de illo fluxu ſuſceptæ quantitate poſuerūt. hac ergo in
partes æquas duodecim ſub fida dimenſione diuiſa alia duo
huius capacitatis procurata ſunt vaſa; vt ſingula tantū ſingu-
las de illis duodecim partibus ferrent: totaque rurſus aqua in
vas ſuum priſtinum foramine prius clauſo refuſa eſt; & de
duobus illis vaſis capacitatis minoris alterū ſubiecerūt pleno,
alterum iuxta expeditum paratumq. poſuerunt. his præpa-
ratis, nocte alia in illa iam cæli parte, per quam ſolem lunam-
que & quinque vagas meare diuturna obſeruatione didi-
cerant, quamque poſtea zodiacum vocauerunt, aſcenſu-
rum obſeruauerunt ſidus, cui poſtea nomen arietis indide-
runt. huius incipiente ortu ſtatim ſubiecto vaſi ſuperpoſitæ
aquæ fluxum dederūt. quod vbi completum eſt; mox eo ſub-
lato effuſoque alterum ſimile ſubiecerunt, certis ſignis obſer-
uanter ac memoriter annotatis, inter eius loci ſtellas quæ o-
riebantur cum primū vas eſſet impletum, intelligentes quod
eo tempore, quo totius aquæ duodecima pars fluxit, pars cæli
duodecima conſcendit. Ab illo ergo loco, quo oriri incipien-
te aqua in primum vas cœpit influere, vſque ad locum qui
oriebatur cum idem primum vas impleretur, duodecimam
partem cæli, id eſt, vnum ſignum, eſſe dixerunt. item ſe-
cundo vaſe impleto & mox retracto illo, ſimile quod olim
effuſum parauerant, iterum ſubdiderunt, notato ſimiliter
loco qui emergebat, cum ſecundum vas eſſet impletum: &
a fine primi ſigni vſque ad locum, qui ad ſecundæ aquæ fi-
nem oriebatur, ſecundum ſignum notatum eſt. atque ita
vicißim



vicißim vaſa mutando & per ſingulas influentis aquæ par-
tes ſingulos ſibi aſcendentium cæli partium limites anno-
tando, vbi conſummata iam omni per duodecim partes
aqua ad primi ſigni exordia peruentum eſt: ſine dubio iam
diuiſas certiſque ſibi obſeruationibus & indiciis annotatas
duodecim cæli partes tantæ compotes machinationis habue-
runt. quod non nocte vna ſed duabus effectum eſt. quia om-
ne cælum vna nocte non voluitur; ſed per diem vertitur
pars eius media & medietas reliqua per noctem. Nec ta-
men cælum omne duarum ſibi proximarum noctium du-
ſit inſpectio: ſed diuerſorum temporum nocturna dimenſio
vtrumque hemiſphærium paribus æque vicibus annotauit.
& has ipſas duodecim partes ſigna appellari maluerunt:
certaque ſingulis vocabula gratia ſignificationis adiecta
ſunt: &, quia ſigna Græco nomine ζώδια nūcupantur, cir-
cum ipſum zodiacum quaſi ſigniferum vocauerunt. Hanc
autem rationem iidem illi cur arietem, cum in ſphæra nihil
primum nihilque poſtremum ſit, primum tamen dici ma-
luerint prodiderunt. aiunt incipiente die illo, qui primus
omnium luxit, id eſt, quo in hunc fulgorem cælum & ele-
menta purgata ſunt, qui ideo mundi natalis iure vocitatur,
arietem in medio cælo fuiſſe: &, quia medium cælum qua-
ſi mundi vertex eſt, arietem propterea primum inter om-
nes habitum, qui vt mundi caput in exordio lucis apparuit.
ſubnectunt etiam cauſam, cur hæc ipſa duodecim ſigna aſſi-
gnata ſint diuerſorum numinum poteſtati. aiunt enim in
hac ipſa genitura mundi ariete, vt diximus, medium cælum
tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis, cancro geſtante
tunc lunam. poſt hunc ſol cum leone oriebatur, cum Mer-
curio virgo, libra cum Venere; Mars erat in ſcorpio; ſagit-
tarium Iupiter obtinebat; in capricorno Saturnus meabat.
ſic factum eſt vt ſinguli eorum ſignorum domini eſſe di-
cantur, in quibus, cum mundus naſceretur, fuiſſe creduntur. ſed

tur. ſed duobus quidem luminibus ſingula tantum ſigna, in quibus tunc fuerant, aßignauit antiquitas, cancrum lunæ, ſoli leonem. quinque vero ſtellis præter illa ſigna, quibus tunc inhærebant, quinque reliqua ſic adiecit vetuſtas, vt in aßignandis a fine prioris ordinis ordo ſecundus inciperet. ſuperius enim diximus in capricorno Saturnum poſt omnes fuiſſe. ergo ſecunda adiectio eum primum fecit, qui vltimus fuerat: ideo aquarius, qui capricornum ſequitur, Saturno datur; Ioui, qui ante Saturnum erat, piſces dicantur; aries Marti, qui præceſſerat Iouem, taurus Veneri quam Mars ſequebatur, gemini Mercurio, poſt quem Venus fuerat, deputati ſunt. Notandum hoc loco quod in genitura mundi vel ipſa rerum prouidentia vel vetuſtatis ingenium hunc ſtellis ordinem dedit, quem Plato aßignauit ſphæris earum; vt eſſet luna prima, ſol ſecundus, ſuper hunc Mercurius, Venus quarta, hinc Mars, inde Iupiter, & Saturnus vltimus. ſed ſine huius tamen rationis patrocinio abunde Platonicum ordinem prior ratio commendat. Ex his, quæ de verbis Ciceronis proximè prælatis quærenda propoſuimus, qua licuit breuitate a ſumma ſphæra, quæ aplanes dicitur, vſque ad lunam, quæ vltima diuinorum eſt, omnia iam, vt opinor, abſoluimus. nam & cælum volui, & cur ita voluatur oſtendimus; ſeptemque ſphæras contrario motu ferri ratio indubitata patefecit; & de ipſo ſphærarum ordine quid diuerſi ſenſerit vel quid inter eos diſſenſionem fecerit, quæve magis ſequenda ſit ſententia, tractatus inuenit. nec hoc tacitum eſt cur inter omnes ſtellas ſola ſine fratris radiis luna non luceat. ſed & quæ ſpaciorum ratio ſolem ab his quoque, qui eum inter ſeptem quartum locarunt, non tamen abrupte medium ſed fere medium dici coëgerit publicatum eſt. quid ſignificent nomina, quibus ita vocatur vt laudari tantum putetur, innotuit. magnitudo quoque eius ſed & cæleſtis per quem diſcurrit circuli terræ-

que pari-



que pariter quanta ſit vel quemadmodum deprehenſa monſtratum eſt, ſubiectarum ſphærarum ſtellæ quemadmodum Zodiaco, qui ſupra omnes eſt ferri dicantur, vel quæ ratio diuerſarum faciat ſeu celerem ſeu tardum recurſum; ſed & ipſe zodiacus in duodecim partes qua ratione diuiſus ſit, curque aries primus habeatur, & quæ ſigna in quorum numinum ditione ſint, abſolutum eſt. Sed omnia hæc, quæ de ſummo ad lunam vſque perueniunt, ſacra, incorrupta, diuina ſunt: quia in ipſis eſt æther ſemper idem nec vnquam recipiens inæqualem varietatis æſtum. infra lunam & aër & natura permutationis pariter incipiunt. & ſicut ætheris & aëris, ita diuinorum & caducorum luna confinium eſt. Quod autem ait: nihil infra lunam eſſe diuinum, præter animos munere deorum hominum generi datos; non ita accipiendum eſt, animos hic eſſe vt hic naſci putentur: ſed ſicut ſolem in terris eſſe dicere ſolemus, cuius radius aduenit & recedit; ita animorum origo cæleſtis eſt, ſed lege temporalis hoſpitalitatis hic exſulat. hæc ergo regio diuinum nihil habet ipſa, ſed recipit; &, quia recipit, etiam remittit. proprium autem habere diceretur, ſi ei ſemper tenere licuiſſet. Sed quid mirum, ſi animus de hac regione non conſtat, cum nec corpori fabricando ſola ſuffecerit? nam quia terra, aqua, & aër infra lunam ſunt; ex his ſolis corpus fieri non potuit quod idoneum eſſet ad vitam: ſed opus fuit præſidio ignis ætherei, qui terrenis membris vitam & animam ſuſtinendi commodaret vigorem, qui vitalem calorem & faceret & ferret. Hæc & de aëre dixiſſe nos ſatis ſit. reſtat vt de terra, quæ ſphærarum nona & mundi vltima eſt dictu neceſſaria diſſeramus.

## CAP. XXII.

**Terra qua de cauſa immobilis ſit, & omnia in eam ſuo nutu ferantur pondera.**

NAM ea quæ eſt media & nona tellus, *inquit*, neque mouetur & infima eſt, in eam feruntur omnia nutu ſuo pondera. *Illæ vero inſolubiles cauſæ ſunt quæ mutuis inuicem nexibus vinciuntur, &, dum altera alteram facit, ac viciſſim de ſe naſcuntur, numquam a naturalis ſocietatis amplexibus ſeperantur. talia ſunt vincula quibus terram natura conſtrinxit. nam ideo in eam feruntur omnia, quia vt media non mouetur: ideo autem non mouetur, quia infima eſt: nec poterat infima non eſſe, in quam omnia feruntur. Horum ſingula quæ inſeperabiliter inuoluta rerum in ſe neceſſitas vinxit tractatus expediat.* Non mouetur, *ait. eſt enim centron, in ſphæra autem ſolum centron diximus non moueri; quia neceſſe eſt vt circa aliquid immobile ſphæra moueatur. adiecit;* infima eſt. *recte hoc quoque. nam quod centron eſt medium eſt, in ſphæra vero hoc ſolum conſtat eſſe imum, quod medium eſt, & ſi terra ima eſt, ſequitur vt vere dictum ſit in eam ferri omnia. ſemper enim natura pondera in imum deducit. nam & in ipſo mundo, vt eſſet terra ſic factum eſt. Quicquid ex omni materia, de qua facta ſunt omnia, puriſſimum ac liquidiſſimum fuit, id tenuit ſummitatem; & æther vocatus eſt. pars illa cui minor puritas & inerat aliquid leuis ponderis, aër extitit; & in ſecunda delapſus eſt: poſt hæc, quod adhuc quidem liquidum ſed iam vſque ad tactus offenſam corpulentum erat, in aquæ fluxum coagulatum eſt. iam vero, quod de omni ſilueſtri tumultu vaſtum, impenetrabile, denſatum ex defæcatis abraſum reſedit elementis, hæſit in imo: quod demerſum eſt ſtringente*





*perpetuo gelu, quod eliminatum in vltimam mundi partem, longinquitas ſolis coaceruauit. quod ergo ita concretum eſt terræ nomen accepit. hanc ſpiſſus aër & terreno frigori propior quam ſolis calori ſtupore ſpiraminis denſioris vndique verſum fulcit & continet: nec in receſſum aut acceſſum moueri eam patitur vel vis circumuallantis & ex omni parte vigore ſimili librantis auræ vel ipſa ſphæralis extremitas; quæ, ſi paululum a medio deuiauerit, fit cuicumque vertici propior, & imum relinquit. quod ideo in ſolo medio eſt; quia ipſa ſola pars a quouis ſphæræ vertice pari ſpacio recedit. In hanc igitur, quæ & ima eſt & quaſi media & non mouetur, quia centron eſt, omnia pondera ferri neceſſe eſt: & quia & ipſa in hunc locum quaſi pondus relapſa eſt. cuius cum alia innumera ſunt argumenta; tum præcipue imbres, qui in terram ex omni aëris parte labuntur. nec enim in hanc ſolam quam habitamus ſuperficiem decidunt: ſed & in latera, quibus in terra globoſitas ſphæralis efficitur, & in partem alteram, quæ ad nos habetur inferior, idem imbrium caſus eſt. nam ſi aër terreni frigoris exhalatione denſatus in nubem cogitur, & ita abrumpit imbres, aër autem vniuerſam terram circumfuſus ambit: proculdubio ex omni parte aëris, præter vſtam calore perpetuo, liquor pluuialis emanat, qui vndique in terram, quæ vnica eſt ſedes ponderum, defluit. Quod qui reſpuit, ſupereſt vt æſtimet extra hanc vnam ſuperficiem, quam incolimus, quicquid niuium imbriumve vel grandinum cadit, hoc totum in cælum de aëre defluere. cælum enim ab omni parte terræ æquabiliter diſtat; & vt a noſtra habitatione, ita & a lateribus & a parte quæ ad nos habetur inferior pari altitudinis immenſitate ſuſpicitur. Niſi ergo omnia pondera ferrentur in terram; imbres qui extra latera terræ defluunt non in terram ſed in cælum caderent. quod vilitatem ieci ſcurrilis excedit. Eſto enim terræ ſphæra, cui adſcripta ſunt*

*a, b, c, d.*

*a, b, c, d. circa hanc ſit aëris orbis, cui adſcripta ſunt e, f, g, l. m. & vtrumque orbem, id eſt, terræ & aëris, diuidat linea ducta ab e, vſque ad l, erit ſuperior iſta quam poßidemus, & illa ſub pedibus. Niſi ergo caderet omne pondus in terram; paruam nimis imbrium partem terra ſuſciperet ab a, vſque ad c. latera vero aëris, id eſt, ab f, vſque ad e, & a g, vſque ad l, humorem ſuum in aërem cælumque deiicerent: de inferiore autem cæli hemiſphærio pluuia in exteriora, & ideo naturæ incognita deflueret, ſicut oſtendit ſubiecta deſcriptio.* Sed hoc vel refellere dedignatur ſermo ſobrius: quod ſic abſurdum eſt, vt ſine argumentorum patrocinio ſubruatur. reſtat ergo vt indubitabili ratione monſtratum ſit, in terram ferri omnia nutu ſuo pondera. Iſta autem, quæ de hoc dicta ſunt, opitulantur nobis & ad illius loci diſputationem quæ antipodas eſſe commemorat. Sed hic inhibita continuatione tractatus ad ſecundi commentarij volumen diſputationem ſequentium reſeruemus.*

Commentarij libri primi finis.



# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & *inluſtris*

## COMMENTARIVS EX CICERONE IN Somnium Scipionis.

## LIBER SECVNDVS.

### CAP. I.

Concentum quemdam effici motu cæleſtium corporum & quomodo ratio eius concentus a Pythagora ſit deprehenſus: tum qui numeri apti ſint conſonantiis muſicis, quotque conſonantiæ ſint.

SVPERIORE *commentario, Euſtathi, luce mihi dilectior fili, vſque ad ſtelliferæ ſphæræ curſum & ſubiectarum ſeptem ſermo proceſſerat. nunc iam de muſica earum modulatione diſputetur.* Quis hic, inquam, quis eſt, qui complet aures meas tantus & tam dulcis ſonus? Hic eſt, inquit, ille qui interuallis diſiunctus imparibus, ſed tamen pro rata parte ratione diſtinctis impulſu & motu ipſorum orbium efficitur, & acuta cum grauibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt: & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter ex altera autem acute ſonent. Quam ob cauſam ſummus ille cæli ſtellifer curſus, cuius conuerſio eſt concitatior,

citatior, acute excitato mouetur ſono, grauiſſimo autem hic lunaris atque infimus. nam terra nona immobilis manens ima ſede ſemper hæret complexa mundi medium locum. illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt modorum, ſeptem efficiunt diſtinctos interuallis ſonos: qui numerus rerum omnium fere nodus eſt, quod docti homines neruis imitati atq. cantibus aperuerunt ſibi reditum in hunc locum. *Expoſito ſphærarum ordine motuque deſcripto quo ſeptem ſubiectæ in cõtrarium cælo feruntur; conſequens eſt vt qualem ſonum tantarum molium impulſus efficiat hic requiratur. ex ipſo enim circumductu orbium ſonum naſci neceſſe eſt: quia percuſſus aër ipſo interuentu ictus vim de ſe fragoris emittit, ipſa cogente natura vt in ſonum deſinat duorum corporum violenta colliſio. ſed is ſonus, qui ex qualicumque aëris ictu naſcitur, aut dulce quiddam in aures & muſicum defert, aut ineptum & aſperum ſonat. nam, ſi ictum obſeruatio numerorum certa moderetur, compoſitum ſibique conſentiens modulamen editur. at, cum increpat tumultuaria & nullis modis gubernata colliſio, fragor turbidus & inconditus offendit auditum. in cælo autem conſtat nihil fortuitum nihil tumultuarium prouenire; ſed vniuerſa illic diuinis legibus & ſtata ratione procedere. Ex his inexpugnabili ratiocinatione collectum eſt, muſicos ſonos de ſphærarum cæleſtium conuerſione procedere: quia & ſonum ex motu fieri neceſſe eſt, & ratio, quæ diuinis ineſt, fit ſono cauſa modulaminis. Hoc Pythagoras primus omnium Graiæ gentis hominum mente concepit: & intellexit quidem compoſitum quiddam de ſphæris ſonare propter neceſſitatem rationis, quæ a cæleſtibus non recedit; ſed quæ eſſet illa ratio vel quibus obſeruanda modis non facile deprehendebat: cumque eum fruſtra tantæ tamque ar-*

*canæ rei*



*canæ rei diuturna inquiſitio fatigaret: fors obtulit quod cogitatio alta non reperit. cum enim caſu præteriret in publico fabros ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures eius malleorum ſoni certo ſibi reſpondentes ordine repente ceciderunt: in quibus ita grauitati acumina conſonabant, vt vtrumque ad audientis ſenſum ſtata dimenſione remearet; & ex variis impulſibus vnum ſibi conſonans naſceretur. hic, occaſionem ſibi oblatam ratus deprehendendi oculis & manibus, quod olim cogitatione quærebat, fabros adit, & imminens operi curioſius intuetur annotans ſonos, qui de ſingulorum lacertis conficiebantur. quos cum ferientium viribus adſcribendos putaret; iubet vt inter ſe malleolos mutent. quibus mutatis ſonorum diuerſitas ab hominibus recedens malleolos ſequebatur. tunc omnem curam ad pondera eorum examinanda vertit: cumque ſibi diuerſitatem ponderis, quod habebatur in ſingulis, annotaſſet; aliis ponderibus in maius minusve excedentibus fieri malleos imperauit: quorum ictibus ſoni nequaquam prioribus ſimiles nec ita ſibi conſonantes exaudiebantur: tunc animaduertit concordiam vocis lege ponderum prouenire; collectiſque omnibus numeris, quibus conſentiens ſibi diuerſitas ponderum continebatur, ex malleis ad fides vertit examen; & inteſtina ouium vel boum neruos tam varijs ponderibus illigatis tetendit, qualia in malleis fuiſſe didicerat: taliſque ex his concentus euenit, qualem prior obſeruatio non fruſtra animaduerſa promiſerat, adiecta dulcedine quam natura fidium ſonora præſtabat. hic Pythagoras tanti ſecreti compos deprehendit numeros ex quibus ſoni ſibi conſoni naſcerentur: adeo vt fidibus ſub hac numerorum obſeruatione compoſitis certæ certis, aliæque aliis conuenientium ſibi numerorum concordia tenderentur; vt vna impulſa plectro alia licet longe poſita ſed numeris conueniens ſimul ſonaret. ex omni autem innumera varietate numerorum pauci & numera-*

*mera-*

merabiles inuenti ſunt, qui ſibi ad efficiendum muſicam conuenirent. Sunt autem hi ſex omnes; epitritus, hemiolius, duplaris, triplaris, quadruplus & epogdous. & eſt epitritus, cum de duobus numeris maior habet totum minorem & inſuper eius tertiam partem; vt ſunt quatuor ad tria. nam in quatuor ſunt tria, & tertia pars trium, id eſt, vnum. & is numerus eſt vocatus epitritus: deque eo naſcitur ſymphonia quæ appellatur διὰ τεσσάρων. hemiolius eſt; cum de duobus numeris maior habet totum minorem, & inſuper eius medietatem; vt ſunt tria ad duo. nam in tribus ſunt duo & media pars eorum, id eſt, vnum. & ex hoc numero, qui hemiolius dicitur, naſcitur ſymphonia quæ appellatur διὰ πέντε. duplaris numerus eſt, cum de duobus numeris minor bis in maiore numeratur; vt ſunt quatuor ad duo. & ex hoc duplari naſcitur ſymphonia, cui nomen eſt διὰ πασῶν. triplaris autem cum de duobus numeris minor ter in maiore numeratur; vt ſunt tria ad vnum. & ex hoc numero ſymphonia procedit quæ dicitur διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. quadruplus eſt, cum de duobus numeris minor quater in maiore numeratur; vt ſunt quatuor ad vnum; qui numerus facit ſymphoniam quam dicunt δὶς διὰ πασῶν. epogdous eſt numerus, qui intra ſe habet minorem & inſuper eius octauam partem; vt nouem & octo. quia in nouem & octo ſunt & inſuper octaua pars eorum, id eſt, vnum. hic numerus ſonum parit, quem tonon muſici vocauerunt. ſonum vero tono minorem veteres quidem ſemitonium vocitare voluerunt. ſed non ita accipiendum eſt, vt dimidius tonus putetur; quia nec ſemiuocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. deinde tonus per naturam ſui in duo diuidi ſibi æqua non poterit. cum enim ex nouenario numero conſtet, nouem autem numquam æqualiter diuiduntur; tonus in duas diuidi medietates recuſat. ſed ſemitonium vocauerunt ſonum tono minorem: quem tam paruo diſtare a to-



no deprehenſum eſt, quantum hi duo numeri inter ſe diſtant, id eſt, ducenta quadraginta tria & ducenta quinquaginta ſex. Hoc ſemitonium Pythagorici quidem veteres dieſin nominabant: ſed ſequens vſus ſonum ſemitonio minorem dieſin conſtituit nominandum. Plato ſemitonium limma vocitauit. Sunt igitur ſymphoniæ quinque, id eſt, διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, καὶ δὶς διὰ πασῶν. ſed hic numerus ſymphoniarum ad muſicam pertinet, quam vel flatus humanus intendere vel capere poteſt humanus auditus. vltra autem ſe tendit harmoniæ cæleſtis acceſſio, id eſt, vſque ad quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. nunc interim de his, quas nominauimus, diſſeramus. Symphonia diateſſaron conſtat de duobus tonis & ſemitonio; vt minutias, quæ in additamento ſunt, relinquamus ne difficultatem creemus: & fit ex epitrito. diapente conſtat ex tribus tonis & hemitonio; & fit de hemiolio. diapaſon conſtat de ſex tonis; & fit de duplari. verum διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε conſtat ex nouem tonis & hemitonio, & fit de triplari numero. dis autem diapaſon continet tonos duodecim, & fit ex quadruplo.

## CAP. II.

Plato quem in modum animam mundi ex numeris fabricatam eſſe docuerit; & quod hinc etiam probari poſſit concentum quemdam eſſe cæleſtium corporum.

HINC Plato poſtquam & Pythagoricæ ſucceſſione doctrinæ & ingenij proprij diuina profunditate cognouit nullam eſſe poſſe ſine his numeris iugabilem competentiam: in Timæo ſuo mundi animam per iſtorum numerorum contextionem ineffabili prouidentia dei fabricatoris inſtituit. cuius ſenſus, ſi huic operi fuerit appoſitus, plurimum nos, ad verborum Ciceronis, quæ circa diſciplinam



muſicæ

*muſicæ videntur obſcura, intellectum iuuabit. Sed ne, quod in patrocinium alterius expoſitionis adhibetur, ipſum per ſe difficile credatur; pauca nobis præmittenda ſunt, quæ ſimul vtriusque intelligentiam faciant lucidiorem. Omne ſolidum corpus trina dimenſione diſtenditur. habet enim longitudinem, latitudinem, profunditatem. nec poteſt inueniri in quolibet corpore quarta dimenſio: ſed his tribus omne corpus ſolidum continetur. geometræ tamen alia ſibi corpora proponunt, quæ appellant mathematica, cogitationi tantum ſubiicienda non ſenſui. dicunt enim punctum corpus eſſe indiuiduum, in quo neque longitudo neque latitudo neque altitudo deprehendatur: quippe quod in nullas partes diuidi poſſit. hoc protractum efficit lineam, id eſt, corpus vnius dimenſionis. longum eſt enim ſine lato, ſine alto; & duobus punctis ex vtraque parte ſolam longitudinem terminantibus continetur. Hanc lineam ſi geminaueris, alterum mathematicum corpus efficies, quod duabus dimenſionibus æſtimatur longo latoque; ſed alto caret. (& hoc eſt quod apud illos ſuperficies vocatur) punctis autem quatuor continetur, id eſt, per ſingulas lineas binis. ſi vero hæ duæ lineæ fuerint duplicatæ, vt ſubiectis duabus duæ ſuperponantur: adiicietur profunditas; & hinc ſolidum corpus efficietur, quod ſine dubio octo angulis continebitur: quod videmus in teſſera, quæ Græco nomine cubus vocatur. his geometricis rationibus applicatur natura numerorum. & μονὰς punctum putatur; quia ſicut punctum corpus non eſt ſed ex ſe facit corpora; ita monas numerus eſſe non dicitur ſed origo numerorum. Primus ergo numerus in duobus eſt; qui ſimilis eſt lineæ de puncto ſub gemina puncti terminatione productæ. hic numerus,* duo, *geminatus de ſe efficit quatuor; ad ſimilitudinem mathematici corporis quod ſub quatuor punctis longo latoque diſtenditur. quaternarius quoque ipſe geminatus octo efficit; qui numerus ſolidum*





*corpus imitatur: ſicut duas lineas diximus duabus ſuperpoſitas octo angulorum dimenſione integram corporis ſoliditatem creare. & hoc eſt quod apud geometras dicitur, bis bina bis corpus eſſe iam ſolidum. Ergo a pari numero acceſſio vſque ad octo ſoliditas eſt corporis. ideo inter principia huic numero plenitudinem deputauit. Nunc oportet ex impari quoque numero quemadmodum idem efficiatur inſpicere. & quia tam paris quam imparis numeri monas origo eſt; ternarius numerus prima linea eſſe credatur. hic triplicatus nouenarium numerum facit: qui & ipſe quaſi de duabus lineis longum latumque corpus efficit; ſicut quaternarius ſecundum de paribus efficit. item nouenarius triplicatus tertiam dimenſionem præſtat: & ita a parte imparis numeri in viginti ſeptem, quæ ſunt ter terna ter, ſolidum corpus efficitur; ſicut in numero pari bis bina bis, qui eſt octonarius, ſoliditatem creauit. Ergo ad efficiendum vtrobique ſolidum corpus monas neceſſaria eſt, & ſex alij numeri, id eſt, terni, a pari & impari. a pari quidem; duo, quatuor, octo. ab impari autem; tria, nouem, viginti ſeptem. Timæus igitur Platonis in fabricanda mundi anima conſilium diuinitatis enuncians ait illam per hos numeros fuiſſe contextam; qui & a pari & ab impari cubum, id eſt, perfectionem ſoliditatis efficiunt: non quia aliquid ſignificaret illam habere corporeum; ſed vt poſſit vniuerſitatem animando penetrare & mundi ſolidum corpus implere per numeros ſoliditatis effecta eſt. Nunc ad ipſa Platonis verba veniamus. nam cum de deo animam mundi fabricante loqueretur, ait: Primam ex omni fermento partem tulit. hinc ſumpſit duplam partem prioris; tertiam vero ſecundæ hemioliam ſed primæ triplam, & quartam duplam ſecundæ, quintam tertiæ triplam, ſextam primæ octauam, & ſeptimam vicies ſepties a prima multiplicatam. poſt hoc, ſpatia quæ inter duplos & triplos numeros hiabant, inſertis partibus adimplebat; vt*

*bina medietates ſingula ſpatia colligarent. ex quibus vinculis hemiolij & epitriti & epogdoi naſcebantur. Hæc Platonis verba ita a nonnullis excepta ſunt, vt primam partem monada crederent, ſecundam, quam dixi duplam prioris, dualem numerum eſſe conſiderent; tertiam, ternarium numerum, qui ad duo hemiolius eſt, ad vnum triplus; & quartam, quatuor, qui ad ſecundum, id eſt, ad duo duplus eſt; quintam, nouenarium, qui ad tertium, id eſt, ad tria triplus eſt; ſextam autem octonarium qui primum octies continet. at vero pars ſeptima in viginti & ſeptem fuit; quæ faciunt, vt diximus, augmentum tertium imparis numeri. alternis ſaltibus enim, vt animaduertere facile eſt, proceſſit illa contextio: vt poſt monadem, quæ & par & impar eſt, primus par numerus poneretur, id eſt, duo; deinde ſequeretur primus impar, id eſt, tria; quarto loco ſecundus par; id eſt, quatuor; quinto loco ſecundus impar, id eſt, nouem; ſexto loco tertius par, id eſt, octo; ſeptimo loco tertius impar, id eſt, viginti & ſeptem: vt, quia impar numerus mas habetur & par femina, ex pari & impari, id eſt, ex mari & femina naſceretur, quæ erat vniuerſa paritura, & ad vtriuſque ſoliditatem vſque procederet quaſi ſolidum omne penetratura. deinde ex his numeris fuerat componenda, qui ſoli continent iugabilem competentiam, quia omni mundo ipſa erat iugabilem præſtatura concordiam. nam duo ad vnum dupla ſunt; de duplo autem diapaſon ſymphoniam naſci iam diximus. tria vero ad duo hemiolium numerum faciunt, hinc oritur diapente. quatuor ad tria epitritus numerus eſt. ex hoc componitur diateſſaron. item quatuor ad vnum in quadrupli ratione cenſentur: ex quo ſymphonia diſdiapaſon naſcitur. Ergo mundi anima, quæ ad motum hoc quod videmus vniuerſitatis corpus impellit, contexta numeris muſicam de ſe creantibus concinentiam neceſſe eſt vt ſonos muſicos de motu, quem proprio impulſu præſtat efficiat;*



*efficiat; quorum originem in fabrica ſuæ contextionis inuenit. ait enim Plato, vt ſupra retulimus, auctorem animæ deum, poſt numerorum inter ſe imparium contextionem, hemioliis, epitritis, & epogdois, & limmate hiantia interualla ſuppleſſe. ideo doctiſſime Tullius in verbis ſuis oſtendit Platonici dogmatis profunditatem.* Quid hic, inquam, quis eſt qui complet aures meas tantus & tam dulcis ſonus? Hic eſt, inquit, ille qui interuallis diſiunctus imparibus, ſed tamen pro rata parte ratione diſtinctis impulſu & motu ipſorum orbium efficitur. *Vides vt interualla commemorat, & hæc inter ſe imparia eſſe teſtatur; nec diffitetur rata ratione diſtincta: quia ſecundum Timæum Platonis imparium inter ſe interualla numerorum, ratis ad ſe numeris, hemioliis ſcilicet, epitritis, & epogdois hemitoniiſque diſtincta ſunt; quibus omnis canora ratio continetur. Hinc enim animaduertitur quia hæc verba Ciceronis numquam profecto ad intellectum paterent, niſi hemioliorum, epitritorum & epogdoorum ratione præmiſſa quibus interualla numerorum diſtincta ſunt, & niſi Platonicis numeris quibus mundi anima eſt contexta patefactis, & ratione præmiſſa cur ex numeris muſicam creantibus anima intexta ſit. hæc enim omnia & cauſam mundani motus oſtendunt, quem ſolus animæ præſtat impulſus, & neceſſitatem muſicæ concinentiæ, quam motui a ſe facto inſerit anima innatam ſibi ab origine.*

## CAP. III.

Aliis præterea indiciis ac rationibus concentum illum motuum cæleſtium poſſe oſtendi: quodque interualla ea, quæ eſſe in anima ratione ſola intelliguntur, reuera in ipſo mundi corpore deprehendantur.

HINC *Plato in repub. ſua, cum de ſphærarum cæleſtium volubilitate tractaret, ſingulas ait Sirenas ſingulis or-*

gulis orbibus inſidere, ſignificans ſphærarum motu cantum numinibus exhiberi. nam Siren dea canens Græco intellectu valet. theologi quoque nouem muſas, octo ſphærarum muſicos cantus & vnam maximam concinentiam quæ conſit ex omnibus eſſe voluere. Vnde Heſiodus in theogonia ſua octauam muſam Vraniam vocat: quia poſt ſeptem vagas, quæ ſubiectæ ſunt, octaua ſtellifera ſphæra ſuperpoſita proprio nomine cælum vocatur: &, vt oſtenderet nonam eſſe & maximam, quam conficit ſonorum concors vniuerſitas, adiecit;

Καλλιόπη θ᾽ ἣ δὴ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων;

ex nomine oſtendens ipſam vocis dulcedinem nonam Muſam vocari (nam Καλλιόπη optimæ vocis Græca interpretatio eſt) &, vt ipſam eſſe quæ conſit ex omnibus preſſius indicaret, aſſignauit illi vniuerſitatis vocabulum; videlicet, ἣ δὴ προφερεστάτη ἁπασέων. nam & Apollinem ideo Μουσηγέτην vocant, quaſi ducem & principem orbium ceterorum, vt ipſe Cicero refert: Dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio. Muſas eſſe mundi cantum etiam ſciunt, qui eas Camenas quaſi canenas a canendo dixerunt. Ideo canere cælum etiam theologi comprobantes ſonos muſicos ſacrificiis adhibuerunt; qui apud alios lyra vel cythara apud nonnullos tibiis aliisve muſicis inſtrumentis fieri ſolebant. in ipſis quoque hymnis deorum per ſtropham & antiſtropham metra canoris verſibus adhibebantur; vt per ſtropham rectus orbis ſtelliferi motus, per antiſtropham diuerſus vagarum regreſſus prædicaretur. ex quibus duobus motibus primus in natura hymnus dicandus deo ſumpſit exordium. mortuos quoque ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt, perſuaſione hac; quia poſt corpus animæ ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt, ad cælum redire credantur. nam ideo in hac vita om-



vita omnis anima muſicis ſonis capitur; vt non ſoli qui ſunt habitu cultiores verum vniuerſæ quoque barbaræ nationes cantus, quibus vel ad ardorem virtutis animentur vel ad mollitiem voluptatis reſoluantur, exerceant: quia anima in corpus defert memoriam muſicæ cuius in cælo fuit conſcia; & ita delinimentis canticis occupatur, vt nullum ſit tam immite tam aſperum pectus quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. hinc æſtimo & Orphei vel Amphionis fabulam, quorum alter animalia ratione carentia alter ſaxa quoque trahere cantibus referebantur, ſumpſiſſe principium: quia primi forte gentes vel ſine rationis cultu barbaras vel ſaxi inſtar nullo affectu mobiles ad ſenſum voluptatis canendo traxerunt. ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, vt & ad bellum progreſſui & item receptui canatur cantu & excitante & rurſus ſedante virtutem: dat ſomnos adimitque; necnon curas & immittit & retrahit: iram ſuggerit, clementiam ſuadet, corporum quoque morbis medetur. nam hinc eſt, quod ægris remedia præſtantes præcinere dicuntur. &, quid mirum ſi inter homines muſicæ tanta dominatio eſt, cum aues quoque, vt luſciniæ, vt cygni aliæve id genus, cantum veluti quadam diſciplina artis exerceant; nonnullæ vero vel aues vel terrenæ ſeu aquatiles beluæ inuitante cantu in retia ſponte decurrant; & paſtoralis fiſtula ad paſtum progreſſis quietem imperet gregibus? nec mirum. ineſſe enim mundanæ animæ cauſas muſicæ, quibus eſt intexta, prædiximus. ipſa autem mundi anima viuentibus omnibus vitam miniſtrat.

Hinc hominum pecudumque genus vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Iure igitur muſica capitur omne quod viuit; quia cæleſtis anima, qua animatur vniuerſitas, originem ſumpſit ex mu-

ex muſica. Hæc dum ad ſphæralem motum mundi corpus impellit ſonum efficit, qui interuallis eſt diſiunctus imparibus, ſed tamen pro rata parte ratione diſtinctis, ſicut a principio ipſa contexta eſt. ſed hæc interualla, quæ in anima quippe incorporea ſola æſtimantur ratione non ſenſu, quærendum eſt vtrum & in ipſo mundi corpore dimenſio librata ſeruauerit. & Archimedes quidem ſtadiorum numerum deprehendiſſe ſe credidit, quibus a terræ ſuperficie luna diſtaret & a luna Mercurius, a Mercurio Venus, ſol a Venere, Mars a ſole, a Marte Iupiter, Saturnus a Ioue. ſed & a Saturni orbe vſque ad ipſum ſtelliferum cælum omne ſpatium ſe ratione emenſum putauit. quæ tamen Archimedis dimenſio a Platonicis repudiata eſt quaſi dupla & tripla interualla non ſeruans: & ſtatuerunt hoc eſſe credendum vt, quantum eſt a terra vſque ad lunam duplum ſit a terra vſque ad ſolem; quantumque eſt a terra vſque ad ſolem, triplum ſit a terra vſque ad Venerem; quantumque eſt a terra vſque ad Venerem quater tantum ſit a terra vſque ad Mercurij ſtellam; quantumque eſt ad Mercurium a terra, nouies tantum ſit a terra vſque ad Martem; & quantum a terra vſque ad Martem eſt, octies tantum ſit a terra vſque ad Iouem; quantumque eſt a terra vſque ad Iouem, ſepties & vicies tantum ſit a terra vſque ad Saturni orbem. Hanc Platonicorum perſuaſionem Porphyrius libris ſuis inſeruit, quibus Timæi obſcuritatibus nonnihil lucis infudit; aitque eos credere ad imaginem contextionis animæ eſſe in corpore mundi interualla, quæ epitritis, hemioliis & epogdois hemitoniiſque complentur & limmate; & ita prouenire concentum. cuius ratio in ſubſtantia animæ contexta mundano quoque corpori, quod ab anima mouetur, inſerta eſt. vnde ex omni parte docta & perfecta eſt Ciceronis aſſertio qui interuallis imparib. ſed tamē pro rata parte ratione diſtinctis cæleſtem ſonum dicit eſſe diſiunctum.





## CAP. IIII.

Qui fiat vt inter ſonos cæleſtis illius concentus alius acutior ſit, alius grauior: quodnam ibi melodiæ ſit genus; & cur ſonus ille a nobis non audiatur.

NVNC locus admonet vt de grauitate & acumine ſonorum diuerſitates quas aſſerit reuoluamus. Et natura fert vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute ſonent; quam ob cauſam ſummus ille cæli ſtellifer curſus, cuius conuerſio eſt concitatior, acute excitato mouetur ſono, grauiſſimo autem hic lunaris atque infimus. Diximus numquam ſonum fieri niſi aëre percuſſo. vt autem ſonus ipſe aut acutior aut grauior proferatur, ictus efficit: qui, dum ingens & celer incidit, acutum ſonum præſtat; ſi tardior lentiorve, grauiorem. indicio eſt virga; quæ, dum auras percutit ſi impulſu cito feriat, ſonum acuit; ſi leniore, in grauius ferit auditum. in fidibus quoque idem videmus: quæ, ſi tractu artiore tenduntur, acute ſonant; ſi laxiore grauius. Ergo & ſuperiores orbes, dum pro amplitudine ſua impetu grandiore voluuntur, dumque ſpiritu vt in origine ſua fortiore tenduntur, propter ipſam, vt ait, concitatiorem conuerſionem acute excitato mouentur ſono; grauiſſimo autem hic lunaris atque infimus: quoniam ſpiritu vt in extremitate langueſcente iam voluitur, &, propter anguſtias quibus penultimus orbis artatur impetu leniore conuertitur. Nec ſecus probamus in tibiis; de quarum foraminibus vicinis ori inflantis ſonus acutus emittitur; de longinquis autem & termino longiore poſitis grauior: item acutior per patentiora foramina, grauior per anguſta. & vtriuſque cauſæ ratio vna eſt; quia ſpiritus vbi incipit fortior eſt, defectior vbi deſinit: & quia maiorem impetum per maius foramen

impellit; contra autem in anguſtis contingit & eminus po-
ſitis. Ergo orbis altiſsimus & vt in immenſum patens & vt
ſpiritu eo fortiore, quo origini ſuæ vicinior eſt, incitatus ſo-
norum de ſe acumen emittit. Vox vltimi & pro ſpatij bre-
uitate & pro longinquitate iam frangitur. Hinc quoque a-
pertius approbatur ſpiritum, quantum ab origine ſua deor-
ſum recedit, tantum circa impulſum fieri leniorem; vt cir-
ca terram, quæ vltima ſphærarum eſt, tam concretus tam
denſus habeatur, vt cauſa ſit terræ in vna ſede ſemper hæ-
rendi; nec in quamlibet partem permittatur moueri obſeſſa
vndique circumfuſi ſpiritus denſitate. in ſphæra autem vl-
timum locum eſſe qui medius eſt antecedentibus iam proba-
tum eſt. Ergo vniuerſi mundani corporis ſphæræ nouem
ſunt. prima illa ſtellifera, quæ proprio nomine cælum dicitur
& aplanes apud Græcos vocatur, arcens & continens cete-
ras. hæc ab oriente ſemper voluitur in occaſum. ſubiectæ
ſeptem, quas vagas dicimus, ab occidente in orientem fe-
runtur. nona terra ſine motu. Octo ſunt igitur quæ mouen-
tur: ſed ſeptem ſoni ſunt, qui concinentiam de volubilitate
conficiunt; propterea quia Mercurialis & Venerius orbis
pari ambitu comitati ſolem viæ eius tamquam ſatellites ob-
ſequuntur, & ideo a non nullis aſtronomiæ ſtudentibus
eamdem vim ſortiri exiſtimantur. vnde ait: illi autem
octo curſus, in quibus eadem vis eſt duorum, ſeptem
efficiunt diſtinctos interuallis ſonos; qui numerus re-
rum omnium fere nodus eſt: Septenarium autem nu-
merum rerum omnium nodum eſſe plene cum de numeris
ſuperius loqueremur expreſsimus. ad illuminandum, vt
æſtimo, obſcuritatem verborum Ciceronis de muſica tra-
ctatus ſuccinctus a nobis qua licuit breuitate ſufficiet. nam
netas & hypatas aliarumque fidium vocabula percurrere,
& tenorum vel limmatum minuta ſubtilia, & quid in ſo-
nis pro littera, quid pro ſyllaba, quid pro integro nomine ac-
cipiatur



cipiatur aſſerere, oſtentantis eſt non docentis. nec enim, quia
fecit in hoc loco Cicero muſicæ mentionem, occaſione hac
eundum eſt per vniuerſos tractatus, qui poſſunt eſſe de
muſica: quos, quantum mea fert opinio, terminum habere
non æſtimo: ſed illa ſunt perſequenda, quibus verba, quæ
explananda receperis, poſſint liquere: quia in re naturaliter
obſcura qui in exponendo plura quam neceſſe eſt ſuperfun-
dit, addit tenebras non adimit denſitatem. vnde finem de
hac tractatus parte faciemus, adiecto vno quod ſcitu di-
gnum putamus: quia, cum ſint melodiæ muſicæ tria gene-
ra, enarmonium, diatonum & chromaticum, primum qui-
dem propter nimiam ſui difficultatem ab vſu receſsit; ter-
tium vero eſt infame mollitie. vnde medium, id eſt, diato-
num, mundanæ muſicæ doctrina Platonis adſcribitur. Nec
hoc inter prætereunda ponemus, quod muſicam perpetua
cæli volubilitate naſcentem ideo claro non ſentimus auditu,
quia maior ſonus eſt quam vt humanarum aurium perci-
piatur anguſtiis. nam, ſi Nili catadupa ab auribus incola- v. Philostrati in vita Apollo. Tyan.
rum amplitudinem fragoris excludunt, quid mirum ſi no-
ſtrum ſonus excedit auditum quem mundanæ molis impul-
ſus emittit? nec enim de nihilo eſt quod ait: qui complet
aures meas tantus & tam dulcis ſonus? ſed voluit in-
telligi, quod ſi eius, qui cæleſtibus meruit intereſſe ſecretis,
completæ aures ſunt ſoni magnitudine; ſupereſt vt cetero-
rum hominum ſenſus mundanæ concinentiæ non capiat au-
ditum. ſed iam tractatum ad ſequentia conferamus.

CAP.

## CAP. V.

Terræ medietatem eam, in qua nos ſumus, quinque eſſe diſtinctam zonis: quodque ex iis duæ tantum ſint habitabiles; quarum altera habitetur a nobis, alteram qui incolant homines ignoretur. tum vero & in reliqua terræ medietate zonas eſſe eaſdem; & inter illas duas quoque ab hominibus habitari.

VIDES habitari in terra raris & anguſtis locis, & in ipſis quaſi maculis vbi habitatur vaſtas ſolitudines interiectas; eoſque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe vt nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit, ſed partim obliquos, partim tranſuerſos, partim etiam aduerſos ſtare vobis: a quibus exſpectare gloriam certe nullam poteris. cernis autem eandem terram quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam circulis. e quibus duos maxime inter ſe diuerſos & cæli verticibus ipſis ex vtraque parte ſubnixos obriguiſſe pruina vides, medium autem illum & maximum ſolis ardore torreri. duo ſunt habitabiles; quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt aduerſa vobis vrgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus: hic autem alter ſubiectus aquiloni, quem incolitis, cerne quam tenui vos parte contingat. omnis enim terra quæ colitur a vobis anguſta verticibus, lateribus latior, parua quædam eſt inſula circumfuſa illo mari, quod Athlanticum quod magnum quem oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quam ſit paruus vides. *Poſtquam cælum quo omnia continentur, & ſubiectarum ſphærarum ordinem motumque ac de motu ſonum, cæleſtis muſicæ modos & numeros explicantem, & aërem ſubditum lunæ Tullianus ſermo per neceſſaria & præſenti operi apta ductus ad terram vſque deſcripſit: ipſius iam terræ deſcriptionem verborum parcus rerum fecundus abſoluit. etenim maculas habitationum, ac de ipſis habitatoribus alios interruptos aduerſoſque obliquos etiam & tranſuerſos alios nominando, terrenæ ſphæræ globoſitatem ſermone tantum non coloribus pinxit. Illud quoque non ſine perfectione doctrinæ eſt, quod cum aliis nos non patitur errare, qui terram ſemel cingi oceano crediderunt. nam, ſi dixiſſet;* omnis terra parua quædam eſt inſula, circumfuſa illo mari; *vnum oceani ambitum dediſſet intelligi. ſed adiicendo,* qui colitur a vobis, *veram eius diuiſionem, de qua paulo poſt diſſeremus, noſſe cupientibus intelligendam reliquit. De quinque autem cingulis ne, quæſo, æſtimes duorum Romanæ facundiæ parentum Maronis & Tullij diſſentire doctrinam; cum hic ipſis cingulis terram redimitam dicat, ille iſdem, quas Græco nomine zonas vocat, aſſerat cælum teneri. vtrumque enim incorruptam veramque nec alteri contrariam retuliſſe rationem procedente diſputatione conſtabit. Sed vt omnia, quæ hoc loco explananda recepimus, liquere poſſint; habendus eſt primum ſermo de cingulis: quia ſitu eorum ante oculos locato cetera erunt intellectui proniora. prius autem qualiter terram coronent, deinde quemadmodum cælum teneant, explicandum eſt. Terra & nona & vltima ſphæra eſt. hanc diuidit horizon, id eſt, finalis circulus; de quo ante retulimus. ergo medietas, cuius partem nos incolimus, ſub eo cælo eſt, quod fuerit ſuper terram; & reliqua medietas ſub illo, quod dum voluitur ad ea loca quæ ad nos videntur inferiora deſcendit. in medio enim locata ex omni ſui parte cælum ſuſpicit. huius igitur ad cælum breuitas, cui punctum eſt, ad nos vero immenſa globoſitas diſtinguitur locis inter ſe viciſſim preſſu nimietate vel frigoris vel caloris geminam nacta inter diuerſa temperiem. nam & ſeptemtrionalis & auſtralis extremitas*



perpetua

*perpetua obriguerunt pruina. & hi velut duo ſunt cinguli quibus terra redimitur, ſed ambitu breues quaſi extrema cingentes. horum vterque habitationis impatiens eſt; quia torpor ille glacialis nec animali nec frugi vitam miniſtrat. illo enim aëre corpus alitur quo herba nutritur. medius cingulus & ideo maximus æterno afflatu continui caloris vſtus ſpatium, quod & lato ambitu & prolixius occupauit, nimietate feruoris facit inhabitabile victuris. inter extremos vero & medium duo maiores vltimis, medio minores ex vtriusque vicinitatis intemperie temperantur: in hisque tantum vitales auras natura dedit incolis carpere. Et, quia animo facilius illabitur concepta ratione quam ſermone deſcriptio; eſto orbis terræ cui adſcripta ſunt a, b, c, d. & circa, a, adſcribantur n & l; circa b autem m & k; & circa c g & i; & circa d, e & f. & ducantur rectæ lineæ a ſignis ad ſigna, quæ dicimus, id eſt a g, in i; ab m, in n: a K, in l: ab e, in f. ſpatia igitur duo aduerſa ſibi, id eſt, vnum a, c, vſque ad lineam quæ in, i, ducta eſt, alterum a, d, vſque ad lineam quæ in, f, ducta eſt, intelligantur pruina obriguiſſe perpetua. eſt enim ſuperior ſeptemtrionalis, inferior auſtralis extremitas. medium vero ab, n, vſque in, l, zona ſit torrida, reſtat vt cingulus ab, i, vſque ad n, ſubiecto calore & ſuperiore frigore temperetur: rurſus vt zona quæ eſt inter, l, & f, accipiat de ſuperiecto calore & ſubdito rigore temperiem. Nec excogitatas a nobis lineas, quas diximus, æſtimetur. circi ſunt enim de quibus ſupra retulimus, ſeptemtrionalis & auſtralis & tropici duo. nam æquinoctialem hoc loco, quo de terra loquimur, non oportet adſcribi, qui opportuniore loco rurſus addetur. Licet igitur ſint hæ duæ* mortalibus ægris Munere conceſſæ diuum: *quas diximus temperatas, non tamen ambæ zonæ hominibus noſtri generis indultæ ſunt: ſed ſola ſuperior, quæ eſt ab, i, vſque ad, n, incolitur ab omni, quale ſcire poſſumus*

*hominum*



*hominum genere, Romani Græcive ſint vel barbari cuiuſque nationis. Illa vero ab, l, vſque ad, f, ſola ratione intelligitur, quod propter ſimilem temperiem ſimiliter incolatur, ſed a quibus, neque licuit vnquam nobis nec licebit cognoſcere. interiecta enim torrida vtrique hominum generi commercium ad ſe denegat commeandi. denique de quatuor habitationis noſtræ cardinibus, oriens, occidens, & ſeptemtrio ſuis vocabulis nuncupantur: quia ab ipſis exordiis ſuis ſciuntur a nobis. nam, etſi ſeptemtrionalis extremitas inhabitabilis eſt, non multo tamen eſt a nobis remota. quarto vero noſtræ habitationis cardini cauſa hæc alterum nomen dedit, vt meridies non auſtralis vocaretur; quia & ille eſt proprie auſtralis, qui de altera extremitate procedens aduerſus ſeptemtrionali eſt: & hunc meridiem iure vocitari facit locus, de quo incipit nobis. nam, quia ſentiri incipit a medio terræ, in qua medij eſt vſus diei, ideo tamquam quidam medidies, vna mutata littera, meridies nuncupatus eſt. Sciendum eſt autem quod ventus qui per hunc ad nos cardinem peruenit, id eſt, auſter, ita in origine ſua gelidus eſt vt ad nos commendabilis eſt blando rigore ſeptemtrio: ſed, quia per flammam torridæ zonæ ad nos commeat, admixtus igni caleſcit; &, qui incipit frigidus, calidus peruenit. neque enim vel ratio vel natura pateretur vt ex duobus æquo preſſu rigore cardinibus diſſimili tractu flatus emitteretur. Nec dubium eſt noſtrum quoque ſeptemtrionem ad illos; qui auſtrali adiacent, propter eamdem rationem calidum peruenire; & auſtrum corporibus eorum gemino auræ ſuæ rigore blandiri. Eadem ratio nos non permittit ambigere quin per illam quoque ſuperficiem terræ, quæ ad nos habetur inferior, integer zonarum ambitus, quæ hic temperatæ ſunt, eodem ductu temperatus habeatur; atque ideo illic quoque eadem duæ zonæ a ſe diſtantes ſimiliter incolantur. aut dicat, quiſquis huic fidei obuiare mauult,*

*quid*

quid ſit quod ab hac eum definitione deterreat. nam ſi nobis viuendi facultas eſt in hac terrarum parte quam colimus; quia calcantes humum cælum ſuſpicimus ſuper verticem, quia ſol nobis & oritur & occidit, quia circumfuſo fruimur aëre cuius ſpiramus hauſtu: cur non & illic aliquos viuere credamus vbi eadem ſemper in promptu ſunt? nam, qui ibi dicuntur morari, eamdem credendi ſunt ſpirare auram: quia eadem eſt in eiuſdem zonalis ambitus continuatione temperies. idem ſol illis & obire dicetur noſtro ortu & orietur cum nobis occidet: calcabunt æque vt nos humum; & ſupra verticem ſemper cælum videbunt. nec metus erit ne de terra in cælum decidant; cum nihil vmquam poſſit ruere ſurſum. ſi enim nobis quod aſſerere genus ioci eſt, deorſum habetur vbi eſt terra, & ſurſum vbi eſt cælum: illis quoque ſurſum erit quod de inferiore ſuſpicient, nec aliquando in ſuperna caſuri ſunt. Affirmauerim quoque & apud illos minus rerum peritos hæc æſtimare de nobis, nec credere poſſe nos in quo ſumus loco degere; ſed opinari ſi quis ſub pedibus eorum tentaret ſtare caſurum. numquam tamen apud nos quiſquam timuit ne caderet in cælum. ergo nec apud illos quiſquam in ſuperiora caſurus eſt: ſicut omnia nutu ſuo pondera in terram ferri ſuperius relata docuerunt. Poſtremo quis ambigat in ſphæra terræ ea quæ inferiora dicuntur ſuperioribus ſuis eſſe contraria vt eſt oriens occidenti? nam in vtraque parte par diametros habetur. cum ergo & orientem & occidentem ſimiliter conſtet habitari; quid eſt quod fidem huius quoque diuerſæ ſibi habitationis excludat? Hæc omnia non ocioſus lector in tam paucis verbis Ciceronis inueniet. nam, cum dicit terram cingulis ſuis redimitam atque circumdatam, oſtendit per omne corpus terræ eamdem temperatorum cingulorum continuatam eſſe temperiem: &, cum ait in terra maculas habitationum videri, non eas dicit quæ in parte noſtra habi-



habitationis nonnullis deſertis locis interpoſitis incoluntur. non enim adiiceret, in ipſis maculis vaſtas ſolitudines interiectas; ſi ipſas ſolitudines diceret, inter quas certæ partes macularum inſtar haberentur. ſed quia maculas dicit has quatuor, quas in duobus terræ hemiſphæriis binas eſſe ratio monſtrauit, bene adiecit, interiectas ſolitudines. nam ſicut pars quæ habitatur a nobis multa ſolitudinum interiectione diſtinguitur: credendum eſt in illis quoque tribus aliis habitationibus ſimiles eſſe inter deſerta & culta diſtinctiones. Sed & quatuor habitationum incolas & relatione ſitus & ipſa quoque ſtandi qualitate depinxit. primum enim ait alios præter nos ita incolere terram vt a ſe interrupti nullam meandi habeant ad ſe facultatem: & verba ipſa declarant non eum de vno hominum genere loqui in hac ſuperficie a nobis ſolius torridæ interiectione diuiſa (ſic enim magis diceret, ita interruptos vt nihil ab illis ad vos manare poſſit) ſed dicendo, ita interruptos vt nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit, qualiter inter ſe illa hominum genera ſint diuiſa ſignificat. Quod autem vere ad noſtram partem referretur adiecit dicendo de illis qui & a nobis & a ſe inuicem diuiſi ſunt; partim obliquos, partim tranſuerſos, partim etiam aduerſos ſtare nobis. interruptio ergo non vnius generis a nobis ſed omnium generum a ſe diuiſorum refertur, quæ ita diſtinguenda eſt. Hi quos ſeparat a nobis perruſta, quos Græci ἀντοικοὺς uocant, ſimiliter ab illis qui inferiorem zonæ ſuæ incolunt partem interiecta auſtrali gelida ſeparantur. rurſus illos ab ἀντοικοῖς ſuis, id eſt, per noſtri cinguli inferiora viuentibus, interiectio ardentis ſequeſtrat: & illi a nobis ſeptemtrionalis extremitatis rigore remouentur. Et quia non eſt vna omnium affinis continuatio; ſed interiectæ ſunt ſolitudines ex calore vel frigore mutuum negantibus commeatum: has terræ partes, quæ a quatuor



homi-

*hominum generibus incoluntur, maculas habitationum vocauit. Quemadmodum autem ceteri omnes veſtigia ſua figere ad noſtra credantur, ipſe diſtinxit: & auſtrales quidem aperte pronunciauit aduerſos ſtare nobis, dicendo;* quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, aduerſa nobis vrgent veſtigia. *& ideo aduerſi nobis ſunt, quia in parte ſphæræ quæ contra nos eſt morantur. Reſtat inquirere quos tranſuerſos & quos obliquos nobis ſtare memorauerit. ſed nec de ipſis poteſt eſſe dubitatio, quin tranſuerſos ſtare nobis dixerit inferiorem zonæ noſtræ partem tenentes, obliquos vero eos, qui auſtralis cinguli deuexa ſortiti ſunt.*

## CAP. VI.

Quanta terræ ſpatia habitationi ceſſerint, quanta inculta ſint.

SVPEREST *vt de terræ ipſius ſpatiis, quanta habitationi ceſſerint quanta ſint inculta, referamus; id eſt, quæ ſit ſingulorum dimenſio cingulorum. Quod vt facile dinoſcas, redeundum tibi eſt ad orbis terræ deſcriptionem, quam paulo ante ſubiecimus; vt per notas adſcriptarum litterarum ratio dimenſionum lucidius explicetur. Omnis terræ orbis, id eſt, circulus qui vniuerſum ambitum claudit, cui adſcripta ſunt a, b, c, d, ab his qui eum ratione dimenſi ſunt in ſexaginta diuiſus eſt partes. habet autem totus ipſe ambitus ſtadiorum ducenta quinquaginta duo milia. ergo ſingulæ ſexageſimæ extenduntur ſtadiis quaternis milibus ducenis. & ſine dubio medietas eius, quæ eſt a d, per orientem, id eſt per a, vſque ad c, habet triginta ſexageſimas & ſtadiorum milia centum viginti ſex. quarta vero pars, quæ eſt ab, a, vſque ad c, incipiens a medio peruſtæ, habet ſexageſimas quindecim & ſtadiorum milia ſexaginta & tria. huius quartæ partis menſura relata, conſtabit totius ambitus plena dimenſio, Ab a, igitur vſque ad p, quod eſt medietas peruſtæ, habet ſexageſimas quatuor; quæ faciunt ſtadiorum milia ſexdecim, cum octingentorum adiectione, ergo omnis peruſta partium ſexageſimarum octo eſt, & tenet ſtadiorum milia triginta tria & ſexcenta inſuper. latitudo autem cinguli noſtri qui temperatus eſt, id eſt, a p, vſque ad o, habet ſexageſimas quinque, quæ faciunt ſtadiorum milia viginti & vnum. & ſpatium frigidæ ab o, vſque ad c, habet ſexageſimas ſex: quæ ſtadiorum tenet viginti quinque milia ducenta. Ex hac quarta parte orbis terrarum, cuius menſuram euidenter expreſſimus, alterius quartæ partis magnitudinem, ab a, vſque ad d, pari demenſionum diſtinctione cognoſces. cum ergo quantum teneat ſphæræ ſuperficies, quæ ad nos eſt, omni in ſua medietate cognoueris: de menſura quoque inferioris medietatis, id eſt, a d, per b, vſque ad c, ſimiliter inſtrueris. modo enim quia orbem terræ in plano pinximus (in plano autem medium exprimere non poſſumus ſphæralem tumorem) mutuati ſumus altitudinis intellectum a circulo; qui magis horizon quam meridianus videatur. Ceterum volo hoc mente percipias, ita nos hanc protuliſſe menſuram, tamquam a d, per a, vſque ad c, pars terræ ſuperior ſit, cuius partem nos incolimus; & a d, per b, vſque ad c, pars terræ habeatur inferior.*



## CAP. VII.

In cælo eaſdem ineſſe zonas quæ inſunt terræ; atque cauſam huius diuerſitatis eſſe Solem: qui vt acceſſu ſuo cauſa caloris eſt, ita receſſu frigus inducit.

HOC *quoque tractatu proprium ſortito finem: nunc illud quod probandum promiſimus aſſeramus, id eſt, hos cin-*

*hos cingulos & Maronem bene cælo, & bene terræ aſsignaſſe Ciceronem; & vtrumque non diſcrepantia ſed conſona eademque dixiſſe. natura enim cæli hanc in diuerſis terræ partibus temperiem nimietatemque diſtinxit: & qualitas vel frigoris vel caloris, quæ cuilibet ætheris parti ſemel inhæſit, eamdem inficit partem terræ, quam deſpicit ambiendo. Et quia has diuerſitates, quæ certis finibus terminantur, cingulos in cælo vocarunt, neceſſe eſt totidem cingulos & hic intelligi: ſicut in breuiſsimo ſpeculo, cum facies monſtratur ingens, tenent in anguſto membra vel liniamenta ordinem quem ſua in vero digeſſerat amplitudo. Sed hic quoque aſſerendi quod dicitur minuemus laborem oculis ſubiiciendo picturam. Eſto enim cæli ſphæra a, b c, d. & intra ſe claudat ſphæram terræ, cui adſcripta ſunt ſ, x, t, u. & ducatur in cæli ſphæra circulus ſeptemtrionalis ab i, vſque in o. tropicus æſtiuus a g, in p. & æquinoctialis a b, in a. & tropicus hiemalis ab f, in q. & auſtralis ab e, in r. ſed & zodiacus ducatur ab f, in p. rurſus in ſphæra terræ ducantur idem limites cingulorum, quos ſupra deſcripſimus in n, in m, in l, in k. His ita depictis ſine difficultate conſtabit ſingulas terræ partes a ſingulis cæli partibus ſuper verticem ſuum impoſitis qualitatem circa nimietatem vel temperiem mutuari. nam quod eſt ſurſum a d, vſque ad r, hoc deſpicit terram ab ſ, vſque ad K. & quod eſt in cælo ab r. vſque ad q, hoc inficit terram a K, vſque ad l. & quod in cælo eſt a q, vſque in p, tale facit in terra ab l vſque ad m. qualeque eſt deſuper a p, vſque ad o: tale in terra ab m, vſque ad n. & quale illic ab o, vſque ad c, tale hic eſt ab n, vſque ad t. Sunt autem in æthere extremitates ambæ, id eſt, a d, vſque ad r, & a c, vſque ad o, æterno rigore denſatæ. ideo, in terra idem eſt ab ſ, vſque ad k, & a t, vſque ad n. rurſus in cælo, a q, vſque ad p, nimio calore feruet. ideo in terra quoque, ab l vſque ad m, idem feruor eſt. item ſunt in cælo temperies, ab o, vſque ad p, & a q, in r. ideo ſunt hic quoque temperatæ, ab n, in m, & ab l, in k. æquinoctialis enim circulus, qui ab a, vſque ad b, ductus eſt, mediam ſecat peruſtam. Et ipſum autem ſciſſe Ciceronem, quod terreni cinguli cæleſtibus inficiantur, ex verbis eius oſtenditur. ait enim :* E quibus duo maxime inter ſe diuerſos & cæli verticibus ipſis ex vtraque parte ſubnixos obriguiſſe pruina vides. *Ecce teſtatur finale frigus eſſe de cælo. idem quoque de feruore medio dicit.* medium autem illum & maximum ſolis ardore torreri. *Cum ergo manifeſte & rigorem de cæli verticibus & feruorem de ſole in terræ cingulos venire ſignauerit; oſtendit prius in cælo hos eoſdem cingulos conſtituiſſe. Nunc, quoniam conſtitit eaſdem in cælo & in terra zonas eſſe vel cingulos (hæc enim vnius rei duo ſunt nomina) iam dicendum eſt, quæ cauſa in æthere hanc diuerſitatem qualitatis efficiat. Peruſta duobus tropicis clauditur, id eſt a g, in p, tempore æſtiuo: & ab f, in q, hiemali. ab f autem in p, zodiacum deſcribendo perduximus. ergo ſignum p, tropicus ille cancer habeatur, & ſignum f, capricornus. conſtat autem ſolem neque ſurſum vltra cancrum neque vltra capricornum deorſum meare; ſed, cum ad tropicorum confinia peruenerit, mox reuerti: vnde & ſolſtitia vocantur. & quia æſtiuus tropicus temperatæ noſtræ terminus eſt; ideo cum ſol ad ipſum finem venerit facit nobis æſtiuos calores de vicino vrens ſenſu maiore ſubiecta. illo denique tempore auſtrali generi reuerti hiemem non poteſt ambigi; quia tunc ab illis ſol omni viæ ſuæ ſpatio recedit. rurſus, cum ad f, ſignum, id eſt, ad capricornum venerit, facit hiemem nobis receſſu ſuo; & illis vicinitate reducit æſtatem. Hic notandum eſt de tribus tantum cardinibus in quamcumque domum ingredi ſolem; de quarto numquam. nam & ab ortu & ab occaſu feneſtra ſolem recipit; quippe quem orientem obeuntemque*

temque proſpectet. recipit & a meridie; quia omne iter ſolis in noſtro meridie eſt; vt inſtruit viſum antelata deſcriptio. numquam vero ſolem feneſtra ſeptemtrionis admittit; quia numquam a p, ſigno ad o, ſol accedit; ſed a p, ſemper retrocedendo numquam fines poli ſeptemtrionalis attingit: & ideo numquam per hunc cardinem radius ſolis infunditur. Eiuſdem rei probationem vmbra quoque cuiuſlibet corporis ſufficiet adſtruere. nam & in occaſum cadit oriente ſole, & in ortum cum ſit occiduus: medio autem die, quia ſol meridiem tenet, in ſeptemtrionem vmbra depellitur. in auſtrum vero circa noſtram habitationem impoſſibile eſt vmbram cuiuſlibet corporis cadere: quia ſemper in aduerſam ſoli partem vmbra iactatur. aduerſus autem auſtro apud nos ſol eſſe non poterit, cum numquam fines ſeptemtrionales attingat. Sane quoniam pars illa peruſtæ, quæ temperatæ vicina eſt, admittit habitantes illic, id eſt, trans tropicum; quæcumque habitantur ſpatia vmbram mittunt in auſtrum eo tempore quo ſol cancrum tenet. Tunc enim eis fit ſol ſeptemtrionalis, cum tropicum tenet; quod ab illis ad ſeptemtrionem recedit. Ciuitas autem Syene, quæ prouinciæ Thebaidos poſt ſuperiorum montium deſerta principium eſt, ſub ipſo æſtiuo tropico conſtituta eſt: & eo die, quo ſol certam partem ingreditur cancri hora diei ſexta (quoniam ſol tunc ſuper ipſum inuenitur verticem ciuitatis) nulla illic poteſt in terram de quolibet corpore vmbra iactari ſed nec ſtylus hemiſpherij monſtrantis horas, quem γνώμονα vocant, tunc de ſe poteſt vmbram creare. & hoc eſt quod Lucanus dicere voluit, nec tamen plene, vt habetur, abſoluit. dicendo enim,

Atque vmbras numquam flectente Syene, *rem quidem attigit, ſed turbauit verum. non enim numquam flectit ſed vno tempore: quod cum ſua ratione retulimus. His relatis conſtat ſolem numquam egredi fines peruſtæ,*

*quia de*



quia de tropico in tropicum Zodiacus obliquatus eſt. manifeſta eſt igitur cauſa cur hæc zona flammis ſit ſemper obnoxia: quippe quam ſol totius ætherea flammæ & fons adminiſtrator numquam relinquat. Ergo ambæ partes vltimæ, id eſt, ſeptemtrionalis & auſtralis, ad quas numquam ſolis calor accedit, neceſſario perpetua premuntur pruina: duas vero, vt diximus, temperat hinc atque illinc vicinia caloris & frigoris. denique in hac ipſa zona, quam incolimus quæ tota dicitur temperata, partes tamen, quæ peruſto cingulo vicinæ ſunt ceteris calidiores ſunt, vt eſt Aethiopia, Arabia, Aegyptus & Libya; in quibus calor ita circumfuſi aëris corpus extenuat; vt aut numquam aut raro cogatur in nubes; & ideo nullus pene apud illos vſus eſt imbrium. rurſus quæ vſque ad frigidæ fines preſſius accedunt; vt eſt palus Mæotis, vt regiones quas præterfluunt Tanais & Iſter omniaque ſuper Scythiam loca, quorum incolas vetuſtas Hyperboreos vocauit, quaſi originem boreæ introrſum recedendo tranſiſſent, adeo æterna pene premuntur pruina, vt non facile explicetur quanta ſit illic frigidæ nimietatis iniuria: loca vero quæ in medio temperata ſunt, quoniam ab vtraque nimietate longe recedunt, veram tenent ſalutaremque temperiem.

## CAP. VIII.

Obiter quomodo explicandus locus Virgilij primo Georgicon de circulo zodiaco.

LOCVS *nos admonet vt (quoniam diximus, rem quæ a nullo poſſit refelli, vtrumque tropicum circum zodiaco terminos facere, nec vmquam ſolem alterutrum tropicum excedere poſſe vel ſurſum vel deorſum meando; trans zodiacum vero circum, id eſt, trans vſtam, quæ tropicis clauditur, ex vtraque parte accipere temperatas) quæramus quid*

*mus quid ſit quod ait Vergilius, quem nullius vmquam diſciplinæ error inuoluit;*

- - duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuum: & via ſecta per ambas,
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.

*videtur enim dicere his verſibus zodiacum per temperatas ductum & ſolis curſum per ipſas ferri; quod nec opinari fas eſt: quia neutrum tropicum curſus ſolis excedit. num igitur illud attendit quod diximus & intra tropicum in ea peruſtæ parte, quæ vicina eſt temperatæ, habitatores eſſe? nam Syene ſub ipſo tropico eſt: Meroë autem tribus milibus octingentis ſtadijs in peruſtam a Syene introrſum recedit: & ab illa vſque ad terram cinnamomi feracem ſunt ſtadia octingenta. & per hæc omnia ſpatia peruſta licet rari tamen vita fruuntur habitantes. vltra vero iam inacceſſum eſt; propter nimium ſolis ardorem. cum ergo tantum ſpatij ex peruſta vitam miniſtret; & ſine dubio circa viciniam alterius temperatæ, id eſt, antœcorum, tantumdem ſpatij habere peruſtæ fines & parem manſuetudinem non negetur (paria enim in vtraque parte ſunt omnia) ideo credendum eſt per poëticam tubam, quæ omnia ſemper in maius extollit, dixiſſe viam ſolis ſectam per temperatas: quoniam ex vtraque parte fines peruſtæ in eo ſunt ſimiles temperatis, quod ſe patiuntur habitari. an forte poëtica licentia particulam pro ſimili pæne particula poſuit; & pro,* ſub ambas, *dicere maluit,* per ambas? *nam reuera ductus zodiaci ſub ambas temperatas vltro citroque peruenit, non tamen per ambas. Scimus autem & Homerum ipſum & in omnibus imitatorem huius Maronem ſæpe tales mutaſſe particulas. an, quod mihi vero propius videtur,* per ambas, *pro,* inter ambas, *voluit intelligi? zodiacus enim inter ambas temperatas voluitur, nō per ambas. familiariter autē,* per, *pro,* inter, *ponere ſolet: ſicut alibi quoq.*

Circum



Circum perque duas in morem fluminis arctos:

*neque enim anguis ſidereus arctos ſecat: ſed, dum & amplectitur & interuenit, circum eas & inter eas voluitur, non per eas. Ergo poteſt conſtare nobis intellectus, ſi* per ambas, *pro,* inter ambas, *more ipſius poëtæ dictum exiſtimemus. nobis aliud ad defenſionem, vltra hæc quæ diximus, non occurrit. Verum quoniam in medio poſuimus quos fines numquam via ſolis excedat; manifeſtum eſt autem omnibus quid Maro dixerit, quem conſtat erroris ignarum: erit ingenij ſingulorum inuenire quid poſſit amplius pro abſoluenda hac quæſtione confiteri.*

## CAP. IX.

Non vno ſed gemino oceani ambitu terram omnem circumflui: & quomodo anguſta verticibus, latior lateribus, ſit habitabilis noſtra: tum de exiguitate oceani, quem nos magnum vocamus.

HIS *quoque, vt arbitror, non otioſa inſpectione tractatis: nunc de oceano quod promiſimus adſtruamus non vno ſed gemino eius ambitu terræ corpus omne circumflui. cuius primus meatus eſt, qui ab indocto hominum genere neſcitur. is enim, quem ſolum oceanum plures opinantur, de finibus ab illo originali refuſis ſecundum ex neceſſitate ambitum fecit. ceterum prior eius corona per zonam terræ calidam meat ſuperiora terrarum & inferiora cingens, flexum circi æquinoctialis imitata. ab oriente vero duos ſinus refundit; vnum ad extremitatem ſeptemtrionis, ad auſtralis alterum: rurſusque ab occidente duo pariter enaſcuntur ſinus: qui vſque ad ambas, quas ſupra diximus, extremitates refuſi occurrunt ab oriente demiſſis; &, dum vi ſumma & impetu immaniore miſcentur, inuicemque ſe feriunt, ex ipſa aquarum colliſione naſcitur illa famoſa oceani acceſſio pariter & receſſio. &, vbicumque in noſtro*

 *mari*

mari contingit idem vel in anguſtis fretis, vel in planis forte litoribus, ex ipſis oceani finibus, quos oceanum nunc vocamus, eueniunt: quia noſtrum mare ex illis influit. ceterum verior, vt ita dicam, eius alueus tenet zonam peruſtam. & tam ipſe qui æquinoctialem, quam ſinus ex eo nati qui horizontem circulum ambitu ſuæ flexionis imitantur, omnem terram quadrifidam diuidunt; & ſingulas, vt ſupra diximus, habitationes inſulas faciunt. nam inter nos & auſtrales homines means ille per calidam zonam totamque cingens & rurſus vtriuſque regionis extrema finibus ſuis ambiens, binas in ſuperiore atque inferiore terræ ſuperficie inſulas facit. vnde Tullius hoc volens intelligi non dixit; omnis terra parua quædam eſt inſula; *ſed,* omnis terra quæ colitur a vobis parua quædam eſt inſula: *quia & ſingulæ de quatuor habitationibus paruæ quædam efficiuntur inſulæ, oceano bis eas, vt diximus, ambiente. Omnia hæc ante oculos locare poteſt deſcriptio ſubſtituta: ex qua & noſtri maris originem, quæ totius vna eſt, & rubri atque Indici ortum videbis, Caſpiumque mare vnde oriatur inuenies. licet non ignorem eſſe nonnullos qui ei de oceano ingreſſum negent. Nec dubium eſt in illam quoque auſtralis generis temperatam mare de oceano ſimiliter influere. ſed deſcribi hoc noſtra atteſtatione non debuit, cuius ſitus nobis incognitus perſeuerat. Quod autem dixit noſtram habitabilem* anguſtam verticibus, lateribus latiorem, *in eadem deſcriptione poterimus aduertere. nam, quanto longior eſt tropicus circus ſeptemtrionali circo, tanto zona verticibus quam lateribus anguſtior eſt: quia ſummitas eius in artum extremi cinguli breuitate contrahitur. deductio autem laterum cum longitudine tropici ab vtraque parte diſtenditur. denique veteres omnem habitabilem noſtram extentæ chlamydi ſimilem eſſe dixerunt. item quia omnis terra, in qua & oceanus eſt, ad quemuis cæleſtem*

circu-



*circulum quaſi centron obtinet puncti locum, neceſſario de oceano adiecit,* Qui tamen tanto nomine quam ſit paruus vides. *nam licet apud nos Athlanticum mare magnum vocetur: de cælo tamen deſpicientibus non poteſt magnum videri, cum ad cælum terra ſignum ſit & punctum quod diuidi non poſſit in partes. ideo autem terræ breuitas tam diligenter aſſeritur, vt parui pendendum ambitum famæ vir fortis intelligat quæ in tam paruo magna eſſe non poterit, vt contentus potius conſcientiæ præmio gloriam non requirat. quod doctrinæ propoſitum non minus in ſequentibus apparebit.*

## CAP. X.

Mundum quidem eſſe æternum; ceterum inde non poſſe ſperari perpetuitatem gloriæ ac famæ apud poſteros; quando mundo ipſo manente ea quæ in ipſo ſunt viciſſitudine quadam nunc occidant, nunc rurſus oriantur.

QVINETIAM ſi cupiet proles futurorum hominum deinceps laudes vniuſcuiuſque noſtrum acceptas a patribus poſteris prodere: tamen propter eluuiones exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non æternam ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. *Virtutis fructum ſapiens in conſcientia ponit, minus perfectus in gloria: vnde Scipio perfectionem cupiens infundere nepoti auctor eſt vt contentus conſcientiæ præmio gloriam non requirat. in qua appetenda quoniam duo ſunt maxime quæ præoptari poſſint, vt & quam latiſſime vagetur & quam diutiſſime perſeueret: poſtquam ſuperius, de habitationis noſtræ anguſtiis differendo, totius terræ quæ ad cælum puncti locum obtinet minimam quandam docuit noſtri generis hominibus particulam poſſideri;*

nullius

*nullius vero gloriam vel in illam totam partem potuiſſe dif-
fundi (ſiquidē Gangem tranſnare vel tranſcendere Cauca-
ſum Romani nominis fama non valuit) ſpem, quā de propa-
ganda late gloria ante oculos ponendo noſtri orbis anguſtias
amputauit, vult etiam diuturnitatis auferre; vt plene ani-
mo nepotis contemptum gloriæ compos diſſuaſor inſinuet. &
ait, nec in hac ipſa parte, in quam ſapientis & fortis viri
nomen ſerpere poteſt, æternitatem nominis poſſe durare;
cum modo exuſtione modo eluuione terrarum diuturnita-
ti rerum intercedat occaſus. quod quale ſit diſſeremus. in
hac enim parte tractatus illa quæſtio latenter abſoluitur,
quæ multorum cogitationes de ambigenda mundi æterni-
tate ſolicitat. nam quis facile mundum ſemper fuiſſe con-
ſentiat? cum & ipſa hiſtoriarum fides multarum rerum
cultum emendationemque vel inuentionem ipſam recen-
tem eſſe fateatur: cumque rudes primum homines & in-
curia ſilueſtri non multum a ferarum aſperitate diſſimiles
meminerit vel fabuletur antiquitas; tradatque nec hunc
eis, quo nunc vtimur, victum fuiſſe; ſed glande prius &
baccis altos, ſero ſperaſſe de ſulcis alimoniam: cumque ita
exordium rerum & ipſius humanæ nationis opinemur; vt
aurea primum ſæcula fuiſſe credamus; & inde natura per
metalla viliora degenerans ferro ſæcula poſtrema fœdaue-
rit. ac, ne totum videamur de fabulis mutuari; quis non
hinc æſtimet mundum quandoque cœpiſſe, nec longam re-
tro eius ætatem: cum ab hinc vltra duo retro annorum
milia de excellenti rerum geſtarum memoria ne Græca
quidem extet hiſtoria? nam ſupra Ninum, a quo Semira-
mis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil præcla-
rum in libros relatum eſt. ſi enim ab initio imo ante ini-
tium fuit mundus, vt philoſophi volunt: cur per innume-
rabilium ſeriem ſæculorum non fuerat cultus quo nunc v-
timur inuentus? non litterarum vſus quo ſolo memoriæ ful-
citur æ-*



*citur æternitas? cur denique multarum rerum experentia
ad aliquas gentes recenti ætate peruenit? vt ecce: Galli
vitem vel cultum oleæ Roma iam adoleſcente didicerunt.
aliæ vero gentes adhuc multa neſciunt, quæ nobis inuenta
placuerunt. Hæc omnia videntur æternitati rerum repu-
gnare; dum opinari nos faciunt certo mundi principio pau-
latim ſingula quæque cœpiſſe. Sed mundum quidem fuiſſe
ſemper philoſophia auctor eſt conditore quidem deo ſed non
ex tempore. ſiquidem tempus ante mundum eſſe non po-
tuit: cum nihil aliud tempora niſi curſus ſolis efficiat. res
vero humanæ ex parte maxima ſæpe occidunt manente
mundo, & rurſus oriuntur vel eluuione viciſſim vel exu-
ſtione redeunte. cuius viciſſitudinis cauſa vel neceſſitas talis
eſt. Ignem ætherium phyſici tradiderunt humore nutriri,
aſſerentes ideo ſub zona cæli peruſta quam via ſolis, id eſt,
zodiacus, occupauit oceanum, ſicut ſupra deſcripſimus, a
natura locatum; vt omnis latitudo qua ſol cum quinque va-
gis & luna vltro citroque diſcurrunt habeat ſubiecti hu-
moris alimoniam: & hoc eſſe volunt quod Homerus diui-
narum omnium inuentionum fons & origo ſub poëtici nu-
be figmenti verum ſapientibus intelligi dedit Iouem cum
dis ceteris, id eſt, cum ſtellis profectum in oceanum, Æthio-
pibus eum ad epulas inuitantibus. per quam imaginem fa-
buloſam Homerum ſignificaſſe volunt hauriri de humore
nutrimenta ſideribus: qui ob hoc Æthiopas reges epu-
larum cæleſtium dixit, quoniam circa oceani oram non ni-
ſi Æthiopes habitant, quos vicinia ſolis vſque ad ſpeciem
nigri coloris exurit. cum ergo calor nutriatur humore: hoc
viciſſitudinis contingit vt modo calor modo humor exube-
ret. euenit enim vt ignis vſque ad maximum enutritus
augmentum, hauſtum vincat humorem, & ſic aeris mu-
tata temperies licentiam præſtet incendio, & terra penitus
flagrantia immiſſi ignis vratur. ſed mox, impetu caloris
abſum-*

*abſumpto, paulatim vires reuertuntur humori, cum magna pars ignis incendiis erogata minus iam de renaſcente humore conſumat. ac rurſus longo temporum tractu ita creſcens humor altius vincit, vt terris infundatur eluuio. rurſus calor poſt hoc vires reſumit. & ita fit vt manente mundo inter exſuperantis caloris humoriſque vices terrarum cultus cum hominum genere ſæpe intercidat & reducta temperie rurſus nouetur. numquam tamen ſeu eluuio ſeu exuſtio omnes terras aut omne hominum genus vel omnino operit vel penitus exurit. Ægypto certe, vt Plato in Timæo fatetur, numquam nimietas humoris nocuit vel caloris. vnde & infinita annorum milia in ſolis Ægyptiorum monumentis libriſque releguntur. cetera igitur terrarum partes internecioni ſuperſtites ſeminarium inſtaurando generi humano fiunt: atque ita contingit vt non rudi mundo rudes homines & cultus inſcij, cuius memoriam intercepit interitus, in terris oberrent, & aſperitatem paulatim vagæ feritatis exuti conciliabula & cœtus natura conſtituente patiantur: ſitque primum inter eos mali neſcia & adhuc aſtutiæ inexperta ſimplicitas; quæ nomen auri primis ſæculis præſtat. inde, quo magis ad cultum rerum atque artium vſus promouet, tanto facilius in animos ſerpit æmulatio. quæ primum bene incipiens in inuidiam latenter euadit. & ex hac iam naſcitur quicquid genus hominum poſt ſequentibus ſæculis experitur. Hæc eſt ergo quæ rebus humanis pereundi atque iterum reuertendi incolumi mundo viciſſitudo variatur.*

## CAP. XI.

De diuerſitate annorum: quodque is qui vere annus vertens eſt, ac mundanus, quindecim annorum noſtrorum ambiat milia.

QVID autem intereſt ab his qui poſtea naſcentur ſermonem fore de te; cum ab his nullus fuerit, qui ante nati ſunt, qui nec pauciores & certe meliores fuerunt viri? præſertim cum apud eos ipſos, quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo vnius anni memoriam conſequi poſſit. homines enim loquelariter annum tantummodo ſolis, id eſt, vnius aſtri reditu metiuntur. re ipſa autem cum ad idem vnde ſemel profecta ſunt cuncta aſtra redierint, eandemque totius cæli deſcriptionem longis interuallis retulerint: tum ille vere vertens annus appellari poteſt. in quo vix dicere audeo quam multa hominum ſæcula teneantur. namque, vt olim deficere ſol hominibus exſtinguique viſus eſt cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetrauit; quandoque ab eadem parte ſol eodemque tempore iterum defecerit; tum ſignis omnibus ad idem principium ſtelliſque reuocatis expletum annum habeto. cuius quidem anni nondum viceſimam partem ſcito eſſe conuerſam. *Idem agere perſeuerat inſtans [illegible]iſſuaſioni gloriæ deſiderandæ. quam cum locis artam nec in ipſis anguſtiis æternam ſupra docuiſſet; nunc non ſolum perpetuitatis expertem ſed nec ad vnius anni integri metas poſſe propagari docet. cuius aſſertionis quæ ſit ratio dicemus. Annus non is ſolus eſt quem nunc communis omnium vſus appellat: ſed ſingulorum ſeu luminum ſeu ſtellarum emenſo omni cæli circuitu a certo loco in eumdem locum reditus annus ſuus eſt. ſic menſis lunæ annus eſt intra quem cæli ambitum luſtrat. nam & a luna menſis dicitur: quia Græco nomine luna mene vocatur. Vergilius denique ad diſcretionem lunaris anni, qui breuis eſt, annum qui circumcurſu ſolis efficitur ſignificare volens ait:*

Interea magnum ſol circumuoluitur annum,

*magnum vocans ſolis, comparatione lunaris. nam curſus quidem Veneris atque Mercurij pene par ſoli eſt. Martis vero annus*

*annus fere biennium tenet. tanto enim tempore cælum circumit. Iouis autem ſtella duodecim & Saturni triginta annos in eadem circuitione conſumit. Hæc de luminibus ac vagis, vt ſæpe relata, iam nota ſunt. Annus vero, qui mundanus vocatur qui vere vertens eſt qui conuerſione plenæ vniuerſitatis efficitur, largiſſimis ſæculis explicatur. cuius ratio eſt talis. Stellæ omnes & ſidera quæ infixa cælo videntur, quorum proprium motum numquam viſus humanus ſentire vel deprehendere poteſt mouentur tamen; & præter cæli volubilitatem, qua ſemper trahuntur, ſuo quoque acceſſu tam ſero promouentur, vt nullius hominum vita tam longa ſit quæ obſeruatione continua factam de loco permutationem in quo eas primum viderat, deprehendat. mundani ergo anni finis eſt; cum ſtellæ omnes omniaque ſidera quæ aplanes habet, a certo loco ad eumdem locum ita remeauerint, vt ne vna quidem cæli ſtella in alio loco ſit quam in quo fuit cum aliæ omnes ex eo loco motæ ſunt, ad quem reuerſæ anno ſuo finem dederunt: ita vt lumina quoque cum erraticis quinque in iſdem locis & partibus ſint in quibus incipiente mundano anno fuerunt. hoc autem, vt phyſici volunt, poſt annorum quindecim milia peracta contingit. Ergo ſicut annus lunæ menſis eſt, & annus ſolis duodecim menſes, & aliarum ſtellarum hi ſunt anni quos ſupra retulimus: ita mundanum annum quindecim milia annorum, quales nunc computamus, efficiunt. Ille ergo vere annus vertens vocandus eſt, quem non ſolis, id eſt, vnius aſtri, reditu metiuntur; ſed quem ſtellarum omnium, in quocunque cælo ſunt ad eumdem locum reditus ſub eadem cæli totius deſcriptione concludit. vnde & mundanus dicitur: quia mundus proprie cælum vocatur. Igitur vt annum ſolis non ſolum a Kalendis Ianuariis vſque ad eaſdem vocamus; ſed & a ſequente poſt Kalendas die vſque ad eumdem diem, & a quocunque cuiuſlibet menſis die vſque in diem eumdem reditus annus vocatur: ita huius mundani anni initium ſibi quiſque facit quodcumque decreuerit. vt, ecce, nunc Cicero a defectu ſolis, qui ſub Romuli fine contigit, mundani anni principium ſibiipſe conſtituit. & licet iam ſæpiſſime poſtea defectus ſolis euenerit; non dicitur tamen mundanum annum repetita defectio ſolis impleſſe; ſed tunc implebitur, cum ſol deficiens in iſdem locis & partibus & ipſe erit, & omnes cæli ſtellas omniaque ſidera rurſus inueniet in quibus fuerant cum ſub Romuli fine deficeret. Igitur a diſceſſu Romuli poſt annorum quindecim milia, ſicut aſſerunt phyſici, ſol denuo ita deficiet vt in eodem ſigno eademque parte ſit ad idem principium in quo ſub Romulo fuerat ſtellis quoque omnibus ſigniſque reuocatis. peracti autem fuerant, cum Scipio in Africa militaret, a diſceſſu Romuli anni quingenti ſeptuaginta & tres. anno enim ab vrbe condita ſexcenteſimo ſeptimo hic Scipio deleta Karthagine triumphauit. ex quo numero annis remotis triginta duobus regni Romuli & duobus qui inter ſomnium Scipionis & conſummatum bellum fuerunt, quingenti ſeptuaginta tres a diſceſſu Romuli ad ſomnium vſque remanebunt. ergo ratiocinabiliter vereque ſignauit necdum mundani anni viceſimam partem eſſe conuerſam. nam viceſimæ parti quot anni ſuperſint a fine Romuli ad Africanam militiam Scipionis, quos diximus annos fuiſſe quingentos ſeptuaginta tres, quiſquis in digitos mittit inueniet.*



## CAP. XII.

Hominem non corpus eſſe ſed mentem: & nunquid in hoc mundo vere intereat ac corrumpatur.

TV vero enitere & ſic habeto; non eſſe te mortalem, ſed corpus hoc. nec enim tu is es quem forma iſta declarat: ſed mens cuiuſque is eſt quiſque, non ea

non ea figura quæ digito demonſtrari poteſt. deum te
igitur ſcito eſſe: ſiquidē eſt deus qui viget, qui ſentit,
qui meminit, qui prouidet, qui tam regit & modera-
tur & mouet id corpus cui præpoſitus eſt, quam hunc
mundum ille princeps deus. &, vt ille mundum qua-
dam parte mortalem ipſe deus æternus, ſic fragile
corpus animus ſempiternus mouet. *Bene & ſapienter
Tullianus hic Scipio circa inſtitutionem nepotis ordinem re-
cte docentis impleuit. nam, vt breuiter a principio omnem
operis continentiam reuoluam, principio tempus ei mortis
& imminentes propinquorum prædixit inſidias; vt totum
de hac vita ſperare dediſceret, quam non diuturnam com-
periſſet. dein, ne metu prædictæ mortis frangeretur, oſten-
dit ſapienti & bono ciui in immortalitatem morte migran-
dum: cumque eum vltro ſpes iſta traxiſſet ad moriendi de-
ſiderium; ſuccedit Pauli patris opportuna diſſuaſio accen-
ſam filij feſtinationem ab appetitu ſpontaneæ mortis exclu-
dens. Plene igitur in animo ſomniantis vtrimque plantata
ſperandi exſpectandique temperie altius iam circa diuina
erigendum nepotis animum Africanus ingreditur: nec prius
eum terram patitur intueri, quam cæli ac ſiderum natu-
ram, motum, ac modulamen agnoſcat; & hæc omnia ſciat
præmio ceſſura virtutum. ac poſtquam mens firmata Sci-
pionis alacritate tantæ promiſſionis erigitur: tum demum
gloria, quæ apud indoctos magnum virtutis præmium cre-
ditur, contemni iubetur; dum oſtenditur ex terrarum bre-
uitate vel caſibus, arta locis, anguſta temporibus. Africanus
igitur pæne exutus hominem & defæcata mente iam natu-
ræ ſuæ capax hic apertius admonetur vt eſſe ſe deum noue-
rit. Et hæc ſit præſentis operis conſummatio, vt animam
non ſolum immortalem ſed deum eſſe clareſcat. Ille ergo
iam poſt corpus qui fuerat in diuinitatem receptus dicturus
viro adhuc in hac vita poſito,* deum te eſſe ſcito, *non*





*prius tantam prærogatiuam committit homini, quam qui
ſit ipſe diſcernat: ne æſtimetur hoc quoque diuinum dici,
quod mortale in nobis & caducum eſt. &, quia Tullio mos
eſt profundam rerum ſcientiam ſub breuitate tegere verbo-
rum, nunc quoque miro compendio tantum concludit ar-
canum, quod Plotinus magis quam quiſquam verborum
parcus libro integro diſſeruit cuius deſcriptio eſt;* Quid
animal, quid homo. *in hoc ergo libro Plotinus quærit
cuius ſint in nobis voluptates, mærores, metuſque ac deſi-
deria & animoſitas vel dolores, poſtremo cogitationes &
intellectus, vtrum meræ animæ an vero animæ vtentis cor-
pore: & poſt multa, quæ ſub copioſa rerum denſitate diſ-
ſeruit quæ nunc nobis ob hoc ſolum prætereunda ſunt ne
vſque ad faſtidij neceſſitatem volumen extendant, hoc po-
ſtemo pronunciat; animal eſſe corpus animatum. ſed nec
hoc neglectum vel non quæſitum relinquit quo animæ be-
neficio quave via ſocietatis animetur. has ergo omnes quas
prædiximus paſſiones aſſignat animali: verum autem homi-
nem ipſam animam eſſe teſtatur. Ergo qui videtur non ip-
ſe verus homo eſt, ſed verus ille eſt a quo regitur quod vi-
detur. ſic, cum morte animalis diſceſſerit animatio, cadit
corpus regente viduatum. & hoc eſt quod videtur in homi-
ne mortale: anima autem, qui verus homo eſt, ab omni con-
ditione mortalitatis aliena eſt adeo, vt ad imitationem dei
mundum regentis regat & ipſa corpus dum a ſe animatur.
ideo phyſici mundum magnum hominem, & hominem bre-
uem mundum eſſe dixerunt. per ſimilitudines igitur cete-
rarum prærogatiuarum, quibus deum anima videtur imi-
tari, animam deum & priſci philoſophorum & Tullius di-
xit. Quod autem ait* mundum quadam parte morta-
lem; *ad communem opinionem reſpicit qua mori aliqua in-
tra mundum videntur; vt animal exanimatum, vel ignis
extinctus, vel ſiccatus humor. hæc enim omnino interiiſſe*

*creduntur. Sed conſtat ſecundum veræ rationis aſſertionem, quam & ipſe non neſcit nec Vergilius ignorat dicendo;*

Nec morti eſſe locum;

*conſtat, inquam, nihil intra viuum mundum perire; ſed eorum quæ interire videntur ſolam mutari ſpeciem: & illud in originem ſuam atque in ipſa elementa remeare, quod tale quale fuit eſſe deſierit. Denique & Plotinus alio in loco cum de corporum abſumptione diſſereret & hoc diſſolui poſſe pronuntiaret quicquid effluit: obiecit ſibi; Cur ergo elementa quorum fluxus in aperto eſt non ſimiliter aliquando ſoluuntur? & breuiter tantæ obiectioni validæque reſpondit, ideo elementa licet fluant nunquam tamen ſolui quia non foras effluunt. a ceteris enim corporibus quod effluit recedit: elementorum fluxus numquam ab ipſis recedit elementis. ergo in hoc mundo pars nulla mortalis eſt ſecundum veræ rationis aſſerta. Sed quod ait,* eum quadam parte mortalem: *ad communem, vt diximus, opinionem paululum inclinare ſe voluit: in fine autem validiſſimum immortalitatis animæ argumentum ponit, quia ipſa corpori præſtat agitatum. quod quale ſit ex ipſis verbis Ciceronis quæ ſequuntur inuenies.*

## Cap. XIII.

De tribus ratiocinandi modis, quibus immortalitatem animæ aſſeruere Platonici.

Nam quod ſemper mouetur, æternum eſt; quod autem motum affert alicui quodque ipſum agitatur aliunde, quando habet finem motus, viuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeipſum mouet, quia numquam deſeritur a ſe, numquam ne moueri quidem deſinit. quin etiam ceteris quæ mouentur hic fons hoc principium eſt mouendi. principij



principij autem nulla eſt origo. nam e principio oriuntur omnia: ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. nec enim eſſet principium quod gigneretur aliunde. quod ſi non oritur, nec occidit quidem vmquam: nam principium exſtinctum nec ipſum ab alio renaſcetur nec ex ſe aliud creabit: ſiquidem neceſſe eſt a principio oriri omnia. ita fit vt motus principium ex eo ſit quod ipſum a ſe mouetur. id autem nec naſci poteſt nec mori: vel concidat omne cælum omniſque natura & conſiſtat neceſſe eſt, nec vim vllam nanciſcatur quam a primo impulſa moueatur. *cum pateat igitur æternum id eſſe quod ipſum ſe moueat, quis eſt qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? inanimum eſt enim omne quod pulſu agitatur externo. quod autem eſt anima, id motu cietur interiore & ſuo. nam hæc eſt proprie natura animi atque vis. quæ ſi eſt vna ex omnibus quæ ſeipſa moueat; neque nata certe eſt & æterna. Omnis hic locus de Phædro Platonis ad verbum a Cicerone tranſlatus eſt; in quo validiſſimis argumentis animæ immortalitas aſſeritur. & hæc eſt argumentorum ſumma; eſſe animam mortis immunem, quoniam ex ſe mouetur. Sciendum eſt autem quod duobus modis immortalitas intelligitur. aut enim ideo eſt immortale quid, quia per ſe non eſt capax mortis; aut quia procuratione alterius a morte defenditur. ex his prior modus ad animæ, ſecundus ad mundi immortalitatem refertur. illa enim ſuapte natura a conditione mortis aliena eſt: mundus vero animæ beneficio in hac vita perpetuitate retinetur. Rurſus ſemper moueri dupliciter accipitur. hoc enim dicitur & de eo quod ex quo eſt ſemper mouetur; & de eo, quod ſemper & eſt & mouetur. & ſecundus modus eſt, quo animam dicimus ſemper moueri. His præmiſſis iam quibus ſyllogiſmis de immortalitate animæ diuerſi ſectatores Platonis ratiocinati ſint*

 *oportet*

*oportet aperiri. ſunt enim qui per gradus ſyllogiſmorum ad vnum finem probationis euadant certam ſibi propoſitionem ſequentis ex antecedentis concluſione facientes. apud quos hic prior eſt: Anima ex ſe mouetur. quicquid autem ex ſe mouetur, ſemper mouetur. igitur anima ſemper mouetur. ſecundus ita, qui naſcitur ex prioris fine: Anima ſemper mouetur. quod autem ſemper mouetur, immortale eſt. igitur anima immortalis eſt. & ita in duobus ſyllogiſmis duæ res probantur, id eſt, & ſemper moueri animam, vt in priore; & eſſe immortalem, vt colligitur de ſecundo. Alij vero vſque ad tertium gradum ita argumentando procedunt: Anima ex ſe mouetur. quod autem ex ſe mouetur, principium eſt motus. igitur anima principium motus eſt. rurſus ex hac concluſione naſcitur propoſitio: Anima principium motus eſt. quod autem principium motus eſt. natum non eſt. igitur anima nata non eſt. tertio loco: Anima nata non eſt. quòd natum non eſt, immortale eſt. igitur anima immortalis eſt. Alij vero omnem ratiocinationem ſuam in vnius ſyllogiſmi compendium redegerunt. Anima ex ſe mouetur. quod ex ſe mouetur, principium motus eſt. quod principium motus eſt, natum non eſt. quod natum non eſt, immortale eſt. igitur anima immortalis eſt.*

## CAP. XIIII.

Quibus rationibus Ariſtoteles contra Platonem monſtrare voluerit animam a ſeipſa moueri non poſſe.

SED *harum omnium ratiocinationum apud eum poteſt poſtrema concluſio de animæ immortalitate conſtare, qui primam propoſitionem, id eſt, ex ſe moueri animam, non refellit. hac enim in fide non recepta, debilia fiunt omnia quæ ſequuntur: ſed huic Stoicorum quidem accedit aſſenſio. Ariſtoteles vero adeo non acquieſcit, vt animam non ſolum ex ſe non moueri ſed ne moueri quidem penitus conetur aſſerere. ita enim callidis argumẽtationibus adſtruit nihil ex ſe moueri, vt etiam ſi quid hoc facere concedat, animam tamen hoc non eſſe confirmet. Si enim anima, inquit, principium motus eſt: doceo non poſſe principium motus moueri. & ita diuiſionem ſuæ artis ingreditur; vt primum doceat in rerum natura eſſe aliquid immobile, deinde hoc eſſe animam tentet oſtendere. Neceſſe eſt, inquit, aut omnia quæ ſunt immobilia eſſe, aut omnia moueri, aut aliqua ex his moueri aliqua non moueri. item ſi damus, ait, & motum & quietem: neceſſe eſt aut alia ſemper moueri & alia numquam moueri, aut omnia ſimul nunc quieſcere nunc moueri. de his, inquit, quid magis verum ſit requiramus. Non eſſe omnia immobilia adſpectus ipſe teſtimonio eſt; quia ſunt quorum motum videmus. rurſus non moueri omnia viſus docet, quo immota cognoſcimus. ſed nec omnia dicere poſſumus modo motum pati modo eſſe ſine motu; quia ſunt quorum perpetuum motum videmus; vt de cæleſtibus nulla dubitatio eſt. reſtat igitur, ait, vt, ſicut aliqua ſemper mouentur, ita ſit aliquid ſemper immobile. ex his vt collectum ſit eſſe aliquid immobile, nullus obuiat vel refellit. nam & vera diuiſio eſt, & ſectæ Platonicæ non repugnat: neque, ſi quid eſt immobile, ſequitur vt hoc ſit anima: nec, qui dicit animam ex ſe moueri, iam moueri vniuerſa confirmat; ſed modum adſtruit quo anima mouetur. ſi quid vero eſt aliud immobile; nihil ad hoc quod de anima adſtruitur pertinebit. Quod & ipſe Ariſtoteles videns, poſtquam docuit aliquid eſſe immobile, hoc eſſe animam vult dicere: & incipit aſſerere nihil eſſe quod ex ſe moueri poſſit, ſed & omnia quæ mouentur ab alio moueri. quod ſi vere probaſſet; nihil ad patrocinium Platonicæ ſectæ relinqueretur. quemadmodũ enim credi poſſet ex ſe moueri animam, ſi conſtaret nihil eſſe quod ex ſe poſſit moueri? In hac autem Ari-*

*tem Ariſtotelica argumentatione huiuſmodi diuiſionis ordo contexitur. Ex omnibus quæ mouentur, inquit, alia per ſe mouentur, alia ex accidenti. & ex accidenti, inquit, mouentur, quæ, cum ipſa non moueantur, in eo tamen ſunt quod mouetur: vt in naui ſarcina ſeu vector quieſcens. aut etiam cum pars mouetur quieſcente integritate: vt ſi quis ſtans pedem manumve vel caput agitet. per ſe autem mouetur, quod neque ex accidenti neque ex parte ſed & totum ſimul mouetur: vt cum ad ſuperiora ignis adſcendit. & de his quidem, quæ ex accidenti mouentur, nulla dubitatio eſt quin ab alio moueantur. probabo autem, inquit, etiam ea quæ per ſe mouentur ab alio moueri. Ex omnibus enim, ait, quæ per ſe mouentur alia cauſam motus intra ſe poßident: vt animalia, vt arbores; quæ ſine dubio ab alio intelliguntur moueri, a cauſa ſcilicet quæ in ipſis latet. nam cauſam motus ab eo quod mouetur ratio ſequeſtrat. alia vero aperte ab alio mouentur, id eſt, aut vi aut natura. & vi dicimus moueri omne iaculum, quod, cum de manu iaculantis receſſerit, ſuo quidem motu ferri videtur; ſed origo motus ad vim refertur. ſic enim nonnumquam & terram ſurſum & ignem deorſum ferri videmus: quod alienus ſine dubio cogit impulſus. natura vero mouentur vel grauia cum per ſe deorſum, vel leuia cum ſurſum feruntur. ſed & hæc dicendum eſt ab alio moueri, licet, a quo, habeatur incertum. ratio enim, ait, deprehendit eſſe neſcio quid quod hæc moueat. nam, ſi ſponte mouerentur, ſponte etiam ſtarent: ſed nec vnam viam ſemper agerent; imo per diuerſa mouerentur, ſi ſpontaneo ferrentur agitatu. cum vero hoc facere non poßint; ſed leuibus ſemper adſcenſus & deſcenſus grauibus deputatus ſit: apparet, eorum motum ad certam & conſtitutam naturæ neceßitatem referri. Hæc ſunt & his ſimilia, quibus Ariſtoteles omne quod mouetur ab alio moueri probaſſe ſe credidit. Sed Platonici, vt paulo poſt demonſtrabitur; argumenta hæc arguta magis quam vera eſſe docuerunt. Nunc ſequens eiuſdem iungenda diuiſio eſt; qua non poſſe animam ex ſe moueri etiam ſi hoc alia res facere poſſet, laborat oſtendere: & huius rei primam propoſitionem ab illis mutuatur, quæ ſibi æſtimat conſtitiſſe. ſic enim ait: Cum igitur omne, quod mouetur, conſtet ab alio moueri: ſine dubio id quod primum mouet quia non ab alio mouetur (neque enim haberetur iam primum ſi ab alio moueretur) neceſſe eſt, inquit, vt aut ſtare dicatur aut ſeipſum mouere. nam ſi ab alio moueri dicatur: illud quoque, quod ipſum mouet, dicetur ab alio moueri; & illud rurſus ab alio: & in infinitum inquiſitio iſta caſura eſt, numquam exordia prima reperiens ſi ſemper aliud ea, quæ putaueris prima, præcedit. reſtat igitur, inquit, vt, ſi quod primum mouet non dicatur ſtare, ipſum ſe mouere dicatur. & ſic erit in vno eodemque aliud quod mouet, aliud quod mouetur. ſiquidem in omni, ait, motu tria hæc ſint neceſſe eſt: id quod mouet, & quo mouet, & quod mouetur. ex his, quod mouetur, tantum mouetur, non etiam mouet: cum illud, quo fit motus, & moueatur & moueat; illud vero, quod mouet, non etiam moueatur: vt ex tribus ſit commune quod medium, duo vero ſibi contraria intelligantur. nam ſicut eſt quod mouetur & non mouet; ita eſt, inquit, quod mouet & non mouetur: propter quod diximus quia cum omne quod mouetur ab alio moueatur, ſi hoc quod mouet & iam ipſum mouetur: quæremus ſemper motus huius nec vmquam inueniemus exordium. deinde ſi quid ſe mouere dicatur: neceſſe eſt, inquit, vt aut totum a toto aut partem a parte aut partem a toto aut totum a parte exiſtimemus moueri: & tamen motus ille, ſeu a toto ſeu a parte procedat, alterum ſui poſtulabit auctorem. Ex omnibus his in vnum Ariſtotelica ratiocinatio tota colligitur hoc modo. Omne quod mouetur ab alio mouetur.*

quod igitur primum mouet, aut ſtat, aut ab alio & ipſum mouetur: ſed ſi ab alio; iam non poteſt hoc primum vocari; & ſemper quod primum moueat requiremus. reſtat vt ſtare dicatur. ſtat igitur quod primum mouet. Contra Platonem ergo, qui dicit animam motus eſſe principium, in hunc modum opponitur ſyllogiſmus: Anima principium motus eſt. principium autem motus non mouetur. igitur anima non mouetur. & hoc eſt quod primo loco violenter obiecit: nec eouſque perſuadere contentus animam non moueri, aliis quoque rationibus non minus violentis perurget. Nullum, inquit, initium idem poteſt eſſe ei cuius eſt initium. nam apud geometras principium lineæ punctum dicitur eſſe, non linea: apud arithmeticos principium numeri non eſt numerus. item cauſa naſcendi ipſa non naſcitur. & ipſa ergo motus cauſa vel initium non mouetur. ergo anima quæ initium motus eſt non mouetur. additur hoc quoque. Numquam, inquit, fieri poteſt, vt circa vnam eandemque rem vno eodemque tempore contrarietates ad vnum idemque pertinentes eueniant. ſcimus autem quia mouere facere eſt & moueri pati eſt. ei igitur, quod ſe mouet, ſimul euenient duo ſibi contraria, facere & pati: quod impoſſibile eſt. anima igitur non poteſt ſe mouere. item dicit: Si anima eſſentia motus eſſet; numquam quieſceret a motu. nihil eſt enim quod recipiat eſſentiæ ſuæ contrarietatem. nam ignis numquam frigidus erit; nec nix vmquam ſponte ſua caleſcet. anima autem nonnumquam a motu ceſſat (non enim ſemper corpus videmus agitari) non igitur anima eſſentia motus eſt, cuius contrarietatem receptat. ait etiam; Anima, ſi aliis cauſa motus eſt, ſibi cauſa motus eſſe non poterit. nihil enim eſt, inquit, quod eiuſdem rei ſibi cauſa ſit cuius eſt alij: vt medicus, vt exercitor corporum, ſanitatem vel valentiam, quam ille ægris hic luctatoribus præſtat, non vtique ex hoc etiam ſibi præſtant. item dicit:

Omnis



Omnis motus ad exercitium ſui inſtrumento eget, vt ſingularum artium vſus docet. ergo videndum ne & anima ad ſe mouendum inſtrumento opus ſit. quod ſi impoſſibile iudicatur: & illud impoſſibile erit, vt anima ipſa ſe moueat. item dicit: Si mouetur anima; ſine dubio cum reliquis motibus & de loco & in locum mouetur. quod ſi eſt: modo corpus ingreditur, modo rurſus egreditur; & hoc frequenter exercet. ſed hoc videmus fieri non poſſe. non igitur mouetur. his quoque addit: Si anima ſe mouet; neceſſe eſt vt aliquo motus genere ſe moueat. ergo aut in loco ſe mouet, aut ſeipſam pariendo ſe mouet aut ſeipſam conſumendo, aut ſe augendo, aut ſe minuendo. hæc ſunt enim, ait, motus genera. horum ſingula, inquit, quemadmodum poſſint fieri requiramus. Si in loco ſe mouet: aut in rectam lineam ſe mouet, aut ſphærico motu in orbem rotatur. ſed recta linea infinita nulla eſt. nam, quæcunque in natura intelligatur linea, quocumque fine ſine dubio terminatur. ſi ergo per lineam terminatam anima ſe mouet; non ſemper mouetur. nam, cum ad finem venitur & inde rurſus in exordium reditur, neceſſe eſt interſtitium motus fieri in ipſa permutatione redeundi. ſed nec in orbem rotari poteſt: quia omnis ſphæra circa aliquod immobile, quod centron vocamus, mouetur. ſi ergo & anima ſic mouetur: aut intra ſe habet quod immobile eſt; & ita fit vt non tota moueatur: aut, ſi non intra ſe habet; ſequitur aliud non minus abſurdum, vt centron foris ſit, quod eſſe non poterit. conſtat ergo ex his, ait, quod in loco ſe nõ moueat. ſed ſi ipſa ſe parit; ſequitur vt eamdem & eſſe & non eſſe dicamus. ſi vero ſe ipſa conſumit; non erit immortalis. quod ſi ſe aut auget aut minuit; eadem ſimul & maior ſe & minor reperietur. & ex his talem colligit ſyllogiſmum: Si anima ſe mouet: aliquo motus genere ſe mouet. nullum autem motus genus quo ſe moueat inuenitur. non ſe igitur mouet.

CAP.

## Cap. XV.

Quibus argumentis Platonici magiſtrum ſuum aduerſus Ariſtotelem tueantur, oſtendentes vtiq. eſſe aliquid quod a ſeipſo moueatur; idque neceſſario eſſe animam: quibus probatis eneruata eſt prima obiectio Ariſtotelis.

CONTRA *has tam ſubtiles & argutas & veriſimiles argumentationes accingendum eſt ſecundum ſectatores Platonis, qui inceptum quo Ariſtoteles tam veram tamque validam definitionem magiſtri ſauciare tentauerat ſubruerunt. neque vero tam immemor mei aut ita male animatus ſum, vt ex ingenio meo vel Ariſtoteli reſiſtam vel aſſim Platoni. ſed vt quiſque magnorum virorum, qui ſe Platonicos dici gloriabantur, aut ſingula aut bina defenſa ad oſtentationem ſuorum operum reliquerunt, collecta hæc in vnum continuæ defenſionis corpus coaceruaui; adiecto ſi quid poſt illos aut ſentire fas erat, aut audere in intellectum licebat. Et quia duo ſunt quæ aſſerere conatus eſt: vnum quod dicit nihil eſſe quod ex ſe moueatur; alterum, quo animam hoc eſſe non poſſe confirmat: vtrique reſiſtendum eſt; vt & conſtet poſſe aliquid ex ſe moueri, & animam hoc eſſe clareſcat. In primis igitur illius diuiſionis oportet nos cauere præſtigias; in qua enumerans aliqua quæ ex ſe mouentur, & oſtendens illa quoque ab alio moueri, id eſt, a cauſa interius latente, videtur ſibi probaſſe omnia quæ mouentur, etiam ſi ex ſe moueri dicantur, ab alio tamen moueri. huius enim rei pars vera eſt. ſed eſt falſa concluſio. nam eſſe aliqua quæ, cum ex ſe moueri videantur, ab alio tamen conſtet moueri nec nos diffitemur. non tamen omnia quæ ex ſe mouentur hoc ſuſtinent, vt ab alio ea moueri neceſſe ſit. Plato enim cum dicit animam ex ſe moueri, id eſt, cum αὐτοκίνητον vocat, non vult eam inter ea numera-*

*numera-*



*numerari, quæ ex ſe quidem videntur moueri, ſed a cauſa quæ intra ſe latet mouentur; vt mouentur animalia auctore quidem alio ſed occulto (nam ab anima mouentur) aut vt mouentur arbores (quarum & ſi non videtur agitator, a natura tamen eas interius latente conſtat agitari) ſed Plato ita dicit animam ex ſe moueri; vt non aliam cauſam vel extrinſecus accidentem vel interius latentem huius motus dicat auctorem. Hoc quemadmodum accipiendum ſit inſtruemus. Ignem calidum vocamus, ſed & ferrum calidum dicimus, & niuem frigidam & ſaxum frigidum nuncupamus: mel dulce ſed & mulſum dulce vocitamus. horum tamen ſingula de diuerſis diuerſe ſignificant. aliter enim de igne aliter de ferro calidi nomen accipimus: quia ignis per ſe calet, non ab alio fit calidus; contra ferrum non niſi ex alio caleſcit. vt nix frigida, vt mel dulce ſit, non aliunde contingit, ſed per naturam: ſaxo tamen frigus vel mulſo dulcedo a niue vel melle proueniunt. ſic & ſtare & moueri tam de his dicitur quæ ab ſe vel ſtant vel mouentur, quam de illis quæ vel ſiſtuntur vel agitantur ex alio. ſed quibus moueri ab alio vel ſtare contingit; hæc & ſtare deſiſtunt & moueri. quibus autem idem eſt & eſſe, & moueri; numquam a motu ceſſant: quia ſine eſſentia ſua eſſe non poſſunt. ſicut ferrum amittit calorem; ignis vero calere non deſinit. ab ſe ergo mouetur anima, licet & animalia vel arbores per ſe videantur moueri. ſed illis, quamuis interius latens, alia tamen cauſa eſt, id eſt, anima vel natura, quæ motum miniſtrat. ideo & amittunt hoc quod aliunde ſumpſerunt. anima vero ita per ſe mouetur vt ignis per ſe calet, nulla aduentitia cauſa vel illum calefaciente vel hanc mouente. nam, cum ignem calidum dicimus, non duo diuerſa concipimus, vnum quod calefacit, alterum quod calefit; ſed totum calidum ſecundum naturam ſuam vocamus. cum niuem frigidam cum mel dulce appellamus non aliud quod*

*quod*

quod hanc qualitatem præſtat aliud cui præſtatur accipimus. ita & cum animam per ſe moueri dicimus, non gemina conſideratio ſequitur mouentis & moti; ſed in ipſo motu eſſentiam eius agnoſcimus. quia, quod eſt in igne nomen calidi, in niue vocabulum frigidi, appellatio dulcis in melle; hoc neceſſe eſt de anima αὐτοκίνητον nomen intelligi: quod Latina conuerſio ſignificat per ſe moueri. Nec te confundat quod moueri paſſiuum verbum eſt: nec, ſicut ſecari cum dicitur duo pariter conſiderātur, quod ſecat & quod ſecatur; item cum teneri dicitur duo intelliguntur, quod tenet & quod tenetur: ita hic moueri duarum rerum ſignificationem putes, quæ mouet & quæ mouetur. nam ſecari quidem & teneri paſſio eſt; ideo conſiderationem & facientis & patientis amplectitur: moueri autem cum de his quidem dicitur quæ ab alio mouentur vtramque conſiderationem ſimiliter repræſentat; de eo autem quod ita per ſe mouetur vt ſit αὐτοκίνητον cum moueri dicitur, quia ex ſe non ex alio mouetur, nulla poteſt ſuſpicio paſſionis intelligi. nam & ſtare licet paſſiuum verbum non eſſe videatur: cum de eo tamen dicitur quod ſtat alio ſiſtente; vt, ſtant terris defixæ haſtæ: ſignificat paſſionem. ſic & moueri, licet paſſiuum ſonet; quando tamen nihil ineſt faciens, patiens ineſſe non poterit. &, vt abſolutius liqueat non verborum ſed rerum intellectu paſſionem ſignificari; ecce ignis cum fertur ad ſuperna nihil patitur; cum deorſum fertur ſine dubio patitur. quia hoc niſi alio impellente, non ſuſtinet: & cum vnum idemque verbum proferatur; paſſionem tamen modo ineſſe modo abeſſe dicemus. ergo & moueri idem in ſignificatione eſt quod calere; & cum ferrum calere dicimus vel ſtylum moueri (quia vtrique hoc aliunde prouenit) paſſionem eſſe fatemur. cum vero aut ignis calere aut moueri anima dicetur (quia illius in calore & in motu huius eſſentia eſt) nullus hic locus relinquitur





paſſioni: ſed ille ſic calere ſicut moueri iſta dicetur. Hoc loco Ariſtoteles argutam de verbis calumniam ſarciens, Platonem quoque ipſum duo, id eſt, quod mouet & quod mouetur, ſignificaſſe contendit dicendo: Solum igitur quod ſeipſum mouet, quia numquam deſeritur a ſe, numquam ne moueri quidem deſinit; & aperte illum duo expreſſiſſe proclamat his verbis; quod mouet & mouetur. ſed videtur mihi vir tantus nihil ignorare potuiſſe; ſed in exercitio argutiarum talium cohibentem ſibi operam ſponte luſiſſe. Ceterum qui non aduertat, cum quid dicitur ſeipſum mouere, non duo intelligenda? ſicut & cum dicitur ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id eſt, ſe puniens; non alter qui punit alter eſt qui punitur; &, cum ſe perdere, ſe inuoluere, ſe liberare quis dicitur; non neceſſe eſt vnum facientem alterum ſubeſſe patientem. ſed hoc ſolum intellectu huius elocutionis exprimitur, vt qui ſe punit aut qui ſe liberat, non ab alio hoc accepiſſe, ſed ipſe ſibi aut intuliſſe aut præſtitiſſe dicatur. ſic & de αὐτοκινήτῳ, cum dicitur, ſeipſum mouet; ad hoc dicitur vt æſtimationem alterius mouentis excludat: quam volens Plato de cogitatione legentis eximere his quæ præmiſit expreſſit. Nam quod ſemper, ait, mouetur æternum eſt: quod autem motum affert alicui quodque ipſum mouetur aliunde, quando finē habet motus, viuendi finem habeat neceſſe eſt. Quid his verbis inuenietur expreſſius clara ſignificatione teſtantibus non aliunde moueri quod ſeipſum mouet, cum animam ob hoc dicat æternam quia ſeipſam mouet & non mouetur aliunde? ergo ſe mouere hoc ſolum ſignificat, non ab alio mouere. Nec putes quod idem moueat idemque moueatur; ſed mouere ſine alio mouente ſe moueri eſt. aperte ergo conſtitit quia non omne quod mouetur ab alio mouetur. ergo αὐτοκίνητον poteſt non ab alio moueri. ſed ne a ſe quidem ſic mouetur vt in ipſo aliud ſit quod mouet, aliud quod mouetur; nec ex toto, nec pro

parte, vt ille proponit: ſed ob hoc ſolum ſeipſum mouere dicitur, ne ab alio moueri æſtimetur. Sed & illa de motibus Ariſtotelica diuiſio, quam ſupra retulimus, ſurripienti magis apta eſt quam probanti, in qua ait; ſicut eſt quod mouetur & non mouet, ita eſt quod mouet & non mouetur. conſtat enim quod omne quicquid mouetur mouet alia: ſicut dicitur aut gubernaculum nauem aut nauis circumfuſum ſibi aërem vel vndas mouere. quid autem eſt quod non poſsit aliud dum ipſum mouetur impellere? ergo, ſi verum non eſt ea quæ mouentur alia non mouere, non conſtat illud vt aliquid quod moueat nec tamen moueatur inuenias. Illa igitur magis probanda eſt in decimo de legibus a Platone motuum prolata diuiſio. Omnis motus, inquit, aut ſe mouet & alia aut ab alio mouetur & alia mouet. & prior ad animam, ad omnia vero corpora ſecundus refertur. hi ergo duo motus & differentia ſeparantur & ſocietate iunguntur: commune hoc habent, quod & prior & ſecundus mouent alia: hoc autem differunt quod ille a ſe, hic ab alio mouetur. Ex his omnibus, quæ eruta de Platonicorum ſenſuum fecunditate collegimus, conſtitit non eſſe verum, omnia quæ mouentur ab alio moueri. ergo nec principium motus ad deprecandam alterius mouentis neceſsitatem ſtare dicetur: quia poteſt ſe ipſe, vt diximus, mouere alio non mouente. eneruatus eſt igitur ſyllogiſmus, quem præmiſſa varia & multiplici diuiſione collegerat. hoc eſt; Anima principium motus eſt. principium autem motus non mouetur. igitur anima non mouetur. Reſtat vt, quia conſtitit poſſe aliquid per ſe moueri alio non mouente, animam hoc eſſe doceatur. quod facile docebitur; ſi de manifeſtis & indubitabilibus argumenta ſumamus. Homini motum aut anima præſtat aut corpus aut de vtroque permixtio. & quia tria ſunt, de quibus inquiſitio iſta procedit, cum neque a corpore neque a permixtione præſtari hoc poſſe conſtiterit, reſtat

vt ab



vt ab anima moueri hominem nulla dubitatio ſit. Nunc de ſingulis ac primum de corpore loquamur. Nullum inanimum corpus ſuo motu moueri manifeſtius eſt quam vt aſſerendum ſit. nihil eſt autem quod dum immobile ſit aliud poſſit mouere. igitur corpus hominem non mouet. videndum ne forte animæ & corporis ipſa permixtio hunc ſibi motum miniſtret. ſed quia conſtat motum corpori non ineſſe, ſi nec animæ ineſt (ex duabus rebus motu carentibus nullus motus efficitur; ſicut nec ex duabus dulcibus amaritudo, nec ex duabus amaris dulcedo proueniet, nec ex gemino frigore calor aut frigus ex gemino calore naſcetur. omnis enim geminata qualitas creſcit: numquam ex duplicatis ſimilibus contrarietas emergit) ergo nec ex duabus immobilibus motus erit. hominem igitur permixtio non mouebit. hinc inexpugnabilis ſyllogiſmus ex confeſſarum rerum indubitabili luce colligitur: Animal mouetur. motum autem animali aut anima præſtat aut corpus aut ex vtroque permixtio. ſed neque corpus neque permixtio motum præſtat. igitur anima motum præſtat. Ex his apparet animam initium motus eſſe. initium autem motus tractatus ſuperior docuit per ſe moueri. animam ergo αὐτοκίνητον eſſe, id eſt, per ſe moueri nulla dubitatio eſt.

## CAP. XVI.

### Quem in modum reliquæ Ariſtotelis obiectiones a Platonicis refellantur.

HIC ille rurſus obloquitur, & alia de initiis diſputatione confligit. eadem enim hic ſoluendo repetimus, quæ ſupra in ordinem obiecta digeſſimus. Non poſſunt, inquit, eadem initiis ſuis eſſe, quæ inde naſcuntur; & ideo animam, quæ initium motus eſt, non moueri. ne idem ſit initium & quod de initio naſcitur, id eſt, ne motus ex mo-



tu pro-

*tu proceſſiſſe videatur. Ad hæc facilis & abſoluta reſponſio eſt. quia vt principia & hæc quæ de principiis prodeunt in aliquo nonnumquam inter ſe differre fateamur; numquam tamen ita poſſunt ſibi eſſe cōtraria, vt aduerſa ſibi ſunt* ſtare & moueri. *nam ſi alibi initium nigrum vocaretur & ſiccum eſſet humoris exordium; bonum de malo, ex amaro initio dulce procederet. ſed non ita eſt. quia vſque ad contrarietatem initia & conſequentia diſſidere natura non patitur, inuenitur tamen inter ipſa nonnumquam talis differentia, qualis inter ſe origini progreſſionique conueniat: vt eſt hic quoque inter motum quo mouetur anima & quo mouet cetera. non enim animam Plato ſimpliciter motum dixit, ſed motum ſe mouentem, inter motum ergo ſe mouentem & motum quo mouet cetera quid interſit in aperto eſt. ſiquidem ille ſine auctore eſt, hic aliis motus auctor eſt. conſtat ergo neque adeo poſſe initia ac de initiis procreata differre, vt contraria ſibi ſint, nec tamen hic moderatam differentiam defuiſſe. non igitur ſtabit principium motus, quod ille artificij concluſione collegit. His tertia, vt meminimus, ſucceſſit obiectio; vni rei contraria ſimul accidere non poſſe, & quia contraria ſibi ſunt* mouere & moueri, *non poſſe animam ſe mouere; ne eadem & moueatur & moueat. ſed hoc ſuperius aſſerta diſſoluunt. ſiquidem conſtitit in anima motu duo non intelligenda, quod moueat & quod moueatur. quia nihil aliud eſt ab ſe moueri, quam moueri alio non mouente, nulla eſt ergo contrarietas, vbi quod fit, vnum eſt: quia fit non ab alio circa alium. quippe cum ipſe motus animæ ſit eſſentia. Ex hoc ei, vt ſupra retulimus, nata eſt occaſio quarta certaminis. Si anima eſſentia motus eſt, inquit: cur interdum quieſcit, cum nulla alia res contrarietatem propriæ admittat eſſentiæ? ignis, cuius eſſentiæ calor ineſt, calere non deſinit. & quia frigidum niuis in eſſentia eius eſt, non niſi ſemper eſt frigida, & anima igi-*

*ma igi-*



*ma igitur eadem ratione numquam a motu ceſſare deberet. ſed dicat velim, quando ceſſare animam ſuſpicatur. Si mouendo, inquit, ſe moueat & corpus: neceſſe eſt vtique, quando non moueri corpus videamus, animam quoque intelligamus non moueri. Contra hoc in promptu eſt gemina defenſio. primum quia non in hoc deprehenditur motus animæ, ſi corpus agitetur. nam &, cum nulla pars corporis moueri videtur in homine, tamen ipſa cogitatio, aut in quocumque animali auditus, viſus, odoratus, & ſimilia, ſed & in quiete ipſa ſpirare, ſomniare, omnia hæc motus animæ ſunt. deinde quis ipſum corpus dicat immobile etiam dum non videtur agitari; cum incrementa membrorum, aut, ſi iam creſcendi ætas & tempus exceſſit, cum ſaltus cordis ceſſationis impatiens, cum cibi ordinata digeries naturali diſpenſatione inter venas & viſcera ſuccum miniſtrans, cum ipſa collectio fluentorum perpetuum corporis teſtentur agitatum? & anima igitur æterno & ſuo motu, ſed & corpus quandiu ab initio & cauſa motus animatur ſemper mouetur, hinc eidem fomes quintæ ortus eſt quæſtionis. Si anima, inquit, aliis cauſa eſt motus; ipſa ſibi cauſa motus eſſe nō poterit. quia nihil eſt quod eiuſdem rei & ſibi & aliis cauſa ſit. Ego vero, licet facile poſſim probare plurima eſſe quæ eiuſdem rei & ſibi & aliis cauſa ſint, ne tamen ſtudio videar omnibus quæ aſſerit obuiare, hoc verum eſſe concedam: quod & pro vero habitum ad aſſerendum motum animæ non nocebit. Etenim animam initium motus & cauſam vocamus. de cauſa poſt videbimus. interim conſtat omne initium ineſſe rei, cuius eſt initium: & ideo, quicquid in quamcumque rem ab initio ſuo proficiſcitur, hoc in ipſo initio reperitur. ſic initium caloris non poteſt non calere. ignem ipſum, de quo calor in alia tranſit, quis neget calidum? Sed ignis, inquit, non ſe ipſe calefacit: quia natura totus eſt calidus. Teneo quod volebam, nam nec anima*



*ita ſe*

ita ſe mouet, vt ſit inter motum mouentemque diſcretio; ſed ita tota ſuo motu mouetur, vt nihil poßis ſeparare quod moueat. Hæc de initio dicta ſufficient. De cauſa vero, quoniam ſpontanea conniuentia conceßimus ne quid eiuſdem rei & ſibi & aliis cauſa ſit, libenter acquieſcimus, ne anima, quæ aliis cauſa motus eſt, etiam ſibi cauſa motus eſſe videatur. his enim cauſa motus eſt quæ non mouerentur, niſi ipſa præſtaret. illa vero, vt moueatur non ſibi ipſa largitur; ſed eſſentiæ ſuæ eſt quod mouetur. ex hoc quæſtio quæ ſequitur abſoluta eſt. Tunc enim forte concedam vt ad motus exercitium inſtrumenta quærantur, quando aliud eſt quod mouet, aliud quod mouetur. in anima vero hoc nec ſcurrilis iocus ſine damno verecundiæ audebit expetere cuius motus eſt in eſſentia: cum ignis, licet ex cauſa intra ſe latente moueatur, nullis tamen inſtrumentis ad ſuperna conſcendat. multoque minus hæc in anima quærenda ſunt, cuius motus eſſentia ſua eſt. in his etiam, quæ ſequentur, vir tantus & alias vltra ceteros ſerius, ſimilis cauillanti eſt. Si mouetur, inquit, anima: inter ceteros motus etiam de loco in locum mouetur. ergo modo, ait, corpus egreditur, modo rurſus ingreditur; & in hoc exercitio ſæpe verſatur; quod fieri non videmus. non igitur mouetur. Contra hoc nullus eſt qui non ſine hæſitatione reſpondeat non omnia quæ mouentur etiam de loco in locum moueri. aptius denique in eum ſimilis interrogatio retorquenda eſt. Moueri arbores dicis; quod cum, vt opinor, annuerit; pari dicacitate ferietur. Si mouentur arbores; ſine dubio, vt tu dicere ſoles, inter alios motus etiam de loco in locum mouentur. hoc autem videmus per ſe eas facere non poſſe. igitur arbores non mouentur. Sed vt hunc ſyllogiſmum additamento ſerium facere poßimus; poſtquam dixerimus, ergo arbores non mouentur, adiiciemus; ſed mouentur arbores. non igitur omnia quæ mouentur etiam de loco in locum mouentur. & ita fi-

nis in



nis in exitum ſanæ concluſionis euadit. Si ergo arbores fatebimur moueri quidem, ſed apto ſibi motu: cur hoc animæ negemus vt motu eſſentiæ ſuæ conueniente moueatur, hæc & alia valide dicerentur, etiam ſi hoc motus genere moueri anima non poſſet. cum vero & corpus animet acceſſu, & a corpore certa conſtituti temporis lege diſcedat: quis eam neget etiam in locum, vt ita dicam, moueri? quod autem non ſæpe ſub vno tempore acceſſum variat & receſſum; facit hoc diſpoſitio arcana & conſulta naturæ: quæ ad animalis vitam certis vinculis cōtinendam tantum animæ inicit corporis amorem, vt amet vltro quo iuncta eſt; raroque contingat ne finita quoque lege temporis ſui mærens & inuita diſcedat. Hac quoque obiectione, vt arbitror, diſſoluta, ad eas interrogationes quibus nos videtur vrgere veniamus. Si mouet, inquit, ſe anima; aliquo motus genere ſe mouet. dicendum ne eſt igitur animam ſe in locum mouere? ergo ille locus aut orbis aut linea eſt; an ſe pariendo ſeu conſumendo mouetur? Se ne auget aut minuit? aut proferatur, ait, in medium aliud motus genus, quo eam dicamus moueri. Sed omnis hæc interrogationum moleſta congeries ex vna eademque defluit male conceptæ definitionis aſtutia. nam quia ſemel ſibi propoſuit omne quod mouetur ab alio moueri: omnia hæc motuum genera in anima quærit: in quibus aliud quod mouet aliud eſt quod mouetur, cum nihil horum in animam cadere poßit, in qua nulla diſcretio eſt mouentis & moti. Quis eſt igitur, dicet aliquis, aut vnde intelligitur animæ motus, ſi horum nullus eſt? Sciet hoc quiſquis noſſe deſiderat vel Platone dicente vel Tullio. quinetiam ceteris, quæ mouentur, hic fons hoc principium eſt mouendi. Quanta ſit autem vocabuli huius expreßio, quo anima fons motus vocatur, facile reperies, ſi rei inviſibilis motum ſine auctore atque ideo ſine initio ac ſine fine prodeuntem & cetera mouentem mente concipias:

*cui nihil ſimilius de viſibilibus quam fons potuerit reperiri; qui ita principium eſt aquæ, vt cum de ſe fluuios & lacus procreet, a nullo naſci ipſe dicatur. nam, ſi ab alio naſceretur, non eſſet ipſe principium: & ſicut fons non ſemper facile deprehenditur; ab ipſo tamen qui funduntur aut* Nilus *eſt aut* Eridanus *aut* Iſter *aut* Tanais; *&, vt illorum rapacitatem videndo admirans & intra te tantarum aquarum originem requirens cogitatione recurris ad fontem & hunc omnem motum intelligis de primo ſcaturiginis manare principio: ita cum corporum motum, ſeu diuina ſeu terrena ſint, conſiderando quærere forte auctorem velis, mens tua ad animam quaſi ad fontem recurrat cuius motum etiam ſine corporis miniſterio teſtantur cogitationes, gaudia, ſpes, timores. nam motus eius eſt boni malique diſcretio, virtutum amor, cupido vitiorum; ex quibus effluunt omnes inde naſcentium rerum meatus. motus enim eius eſt quicquid iraſcimur, & in feruorem mutuæ colliſionis armamur: vnde paulatim procedens rabies fluctuat præliorum. motus eius eſt; quod in deſideria rapimur, quod cupiditatibus alligamur. ſed hi motus ſi ratione gubernentur proueniunt ſalutares: ſi deſtituantur; in præceps & rapiuntur & rapiunt. Didiciſti motus animæ, quos modo ſine miniſterio corporis modo per corpus exercet. ſi vero ipſius mundanæ animæ motus requires; cæleſtem volubilitatem & ſphærarum ſubiacentium rapidos impetus intuere, ortum occaſumve ſolis, curſus ſiderum vel recurſus; quæ omnia anima mouente proueniunt. immobilem vero eam dicere, quæ mouet omnia, Ariſtoteli non conuenit (qui quantus in aliis ſit probatum eſt,) ſed illi tantum, quem vis naturæ quem ratio manifeſta non moueat.*





## CAP. XVII.

Scipionem ab auo ſuo Africano tam ad ocioſas quam ad negocioſas virtutes incitatum fuiſſe: tum de tribus philoſophiæ partibus, quarum nullam Cicero intactam prætererit.

EDOCTO *igitur atq. aſſerto animæ motu, Africanus qualiter exercitio eius vtendum ſit in hæc verba mandat & præcipit.* Hanc tu exerce optimis in rebus. ſunt autem optimæ curæ de ſalute patriæ: quibus agitatus & exercitatus animus velocius in hanc ſedem & domum ſuam peruolabit, idque ocius faciet, ſi iam tum cum erit incluſus in corpore eminebit foras, & ea quæ extra erunt contemplans, quam maxime ſe a corpore abſtrahet, namque eorum animi, qui ſe voluptatibus corporis dediderunt earumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium deorum & hominum iura violauerunt, corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur; nec hunc in locum niſi multis agitati ſæculis reuertuntur. *In ſuperiore huius operis parte diximus alias otioſas, alias negotioſas eſſe virtutes; & illas philoſophis has rempublicarum rectoribus conuenire; vtraſque tamen exercentem facere beatum. hæ virtutes interdum diuiduntur; nonnumquam vero miſcentur cum vtrarumque capax & natura & inſtitutione animus inuenitur. nam ſi quis ab omni quidem doctrina habeatur alienus, in republica tamen & prudens & temperatus & fortis & iuſtus ſit; hic a feriatis remotus eminet tamen actualium vigore virtutum; quibus nihilominus cælum cedit in præmium. ſi quis vero inſita quiete naturæ non ſit aptus ad agendum; ſed ſolum optima conſcientiæ dote erectus ad ſupera doctrinæ ſupellectilem ad exercitium diuinæ diſputationis*

*tionis expendat, ſectator cæleſtium deuius caducorum; is quoque ad cæli verticem otioſis virtutibus ſubuehitur. ſæpe tamen euenit vt idem pectus & agendi & diſputandi perfectione ſublime ſit; & cælum vtroque adipiſcatur exercitio virtutum. Romulus nobis in primo genere ponatur: cuius vita virtutes numquam deſeruit; ſemper exercuit. in ſecundo Pythagoras, qui agendi neſcius fuit artifex diſſerendi; & ſolas doctrinæ & conſcientiæ virtutes ſecutus eſt. ſint in tertio ac mixto genere apud Græcos Lycurgus & Solon; inter Romanos Numa, Catones ambo, multique alij qui & philoſophiam hauſerunt altius & firmamentum reipublicæ præſtiterunt. ſoli enim ſapientiæ otio deditos vt abunde Græcia tulit, ita Roma non neſciuit. Quoniam igitur Africanus noſter quem modo auus præceptor inſtituit, ex illo genere eſt; quod & de doctrina viuendi regulam mutuatur & ſtatum publicum virtutibus fulcit: ideo ei perfectionis geminæ præcepta mandantur: ſed vt in caſtris locato & ſudanti ſub armis primum virtutes politicæ ſuggeruntur his verbis:* Sunt autem optimæ curæ de ſalute patriæ, quibus agitatus & exercitatus animus velocius in hanc ſedem & domum ſuam prouolabit. *deinde quaſi non minus docto quam forti viro philoſophis apta ſubduntur, cum dicitur:* idque ocius faciet, ſi iam tunc cum erit incluſus in corpore eminebit foras, & ea quæ extra erunt contemplans quam maxime ſe a corpore abſtrahet. *Hæc enim illius ſunt præcepta doctrinæ, quæ illam dicit mortem philoſophantibus appetendam. ex qua fit vt adhuc in corpore poſiti corpus vt alienam ſarcinam, in quantum patitur natura, deſpiciant. & facile nunc atque oportune virtutes ſuadet; poſtquam quanta & quam diuina præmia virtutibus debeantur edixit. Sed quia inter leges quoque illa imperfecta dicitur, in qua nulla deuiantibus pœna ſancitur; ideo in concluſione operis pœnam ſancit extra hæc*





*tra hæc præcepta viuentibus. quem locum Er ille Platonicus copioſius exſecutus eſt ſæcula infinita dinumerans, quibus nocentum animæ in eaſdem pœnas ſæpe reuolutæ ſero de tartaris emergere permittuntur & ad naturæ ſuæ principia, quod eſt cælum, tandem impetrata purgatione remeare. neceſſe eſt enim omnem animam ad originis ſuæ ſedem reuerti. ſed quæ corpus tamquam peregrinæ incolunt cito poſt corpus velut ad patriam reuertuntur. quæ vero corporum illecebris vt ſuis ſedibus inhærent; quanto ab illis violentius ſeparantur, tanto ad ſupera ſerius reuertuntur. Sed iam finem ſomnio cohibita diſputatione faciamus, hoc adiecto quod concluſionem decebit. Quia cum ſint totius philoſophiæ tres partes, moralis, naturalis, & rationalis: & ſit moralis quæ docet morum elimatam perfectionem; naturalis, quæ de diuinis corporibus diſputat; rationalis, cum de incorporalibus ſermo eſt, quæ mens ſola complectitur: nullam de tribus Tullius in hoc ſomnio prætermiſit. nam illa ad virtutes amoremque patriæ & ad contemptum gloriæ adhortatio quid aliud continet niſi ethicæ philoſophiæ inſtituta moralia? cum vero vel de ſphærarum modo, vel de nouitate ſiue magnitudine ſiderum, deque principatu ſolis & circis cæleſtibus cingulisque terreſtribus & oceani ſitu loquitur, & harmoniæ ſuperum pandit arcanum: phyſicæ decreta commemorat. at cum de motu & immortalitate animæ diſputat; cui nihil conſtat ineſſe corporeum, cuiuſque eſſentiam nullius ſenſus ſed ſola ratio deprehendit: illic ad altitudinem philoſophiæ adſcendit. Vere igitur pronunciandum eſt nihil hoc opere perfectius, quo vniuerſa philoſophiæ continetur integritas.*

# AVRELI'I MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & *inluſtris*

## CONVIVIORVM PRIMI DIEI Saturnaliorum

## LIBER PRIMVS.

MVLTAS *variaſque res in hac vita nobis, Euſtathi fili, natura conciliauit: ſed nulla nos magis quam eorum qui e nobis eſſent procreati caritate deuinxit: eamque noſtram in his educandis atque erudiendis curam eſſe voluit; vt parentes neque, ſi id quod cuperent ex ſententia cederet, tantum vlla alia ex re voluptatis, neque, ſi contra eueniret, tantum mæroris capere poßint. hinc eſt quod mihi quoque inſtitutione tua nihil antiquius æſtimatur. ad cuius perfectionem compendia longis amfractibus anteponenda ducens moræque omnis impatiens non operior vt per hæc ſola promoueas quibus ediſcendis nauiter ipſe inuigilas: ſed ago, vt ego quoque tibi legerim; & quicquid mihi vel te iam in lucem edito, vel antequam naſcereris, in diuerſis ſeu Græca ſeu Romana lingua voluminibus elaboratum eſt, id totum ſit tibi ſcientiæ ſupellex: & quaſi de quodam litterarum peno, ſi quando vſus venerit, aut hiſtoria quæ in librorum ſtrue latens clam vulgo eſt, aut dicti factive memorabilis reminiſcendi, facile id tibi inuentu atque depromptu ſit. Nec indigeſte tamquam in aceruum congeßimus digna memoratu: ſed variarum rerum diſparilitas auctoribus diuerſa, confuſa temporibus, ita in quoddam digeſta corpus eſt; vt, quæ indiſtincte atque promiſcue ad memoriæ ſubſidium annotaueramus, in ordinem inſtar membrorum cohærentia conuenirent. Nec mihi vitio vertas, ſi res, quas ex lectione varia mutuabor, ipſis ſæpe verbis quibus ab ipſis auctoribus enarratæ ſunt explicabo. quia præſens opus non eloquentiæ oſtentationem, ſed noſcendorum congeriem pollicetur. & boni conſulas oportet ſi notitiam vetuſtatis modo noſtris non obſcure modo ipſis antiquorum fideliter verbis recognoſcas, prout quæque ſe vel enarranda vel transferenda ſuggeſſerint. apes enim quodammodo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpunt; deinde quicquid attulere diſponunt ac per fauos diuidunt; & ſuccum varium in vnum ſaporem mixtura quadam & proprietate ſpiritus ſui mutant. Nos quoque, quicquid diuerſa lectione quæſiuimus, committemus ſtylo; vt in ordinem eodem digerente coaleſcant. nam & in animo melius diſtincta ſeruantur; & ipſa diſtinctio non ſine quodam fermento, quo conditur vniuerſitas, in vnius ſaporis vſum varia libamenta confundit: vt, etiam ſi quid apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe quam vnde ſumptum noſcetur appareat. quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturam. Alimenta quæ accipimus, quamdiu in ſua qualitate perſeuerant & ſolida innatant, male ſtomacho oneri ſunt. at cum ex eo, quod erant, mutata ſunt; tum demum in vires & ſanguinem tranſeunt. idem in his quibus aluntur ingenia præſtemus; vt quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe ne aliena ſint; ſed in quandam digeriem concoquantur. alioquin in memoriam ire poſſunt, non in ingenium. Ex omnibus colligamus vnde vnum fiat ex omnibus, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis. hoc faciat noſter animus; omnia, quibus eſt adiutus, abſcondat; ipſum tamen oſtendat quod effecit: vt qui odora pigmenta conficiunt,*

*ciunt, ante omnia curant vt nullius ſint odoris propria quæ condientur, confuſura videlicet omnium ſuccos odoraminum in ſpiramentum vnum. Vides quam multorum vocibus chorus conſtet. vna tamen ex omnibus redditur. aliqua eſt illic acuta, aliqua grauis, aliqua media: accedunt viris feminæ: interponitur fiſtula. ita ſingulorum illic latent voces, omnium apparent: & fit concentus ex diſſonis. tale hoc præſens opus volo. multæ in illo artes multa præcepta ſint, multarum ætatum exempla, ſed in vnum conſpirata. in quibus ſi neque ea quæ iam tibi ſunt cognita aſperneris nec quæ ignota ſunt vites: inuenies plurima, quæ ſit aut voluptati legere aut cultui legiſſe aut vſui meminiſſe. nihil enim huic operi inſertum puto aut cognitu inutile aut difficile perceptu; ſed omnia quibus ſit ingenium tuum vegetius, memoria adminiculatior, oratio ſollertior, ſermo incorruptior: niſi ſicubi nos ſub alio ortos cælo Latinæ linguæ vena non adiuuet. Quod ab his, ſi tamen quibuſdam forte nonnumquam tempus voluntasque erit iſta cognoſcere, petitum impetratumque volumus, vt æqui bonique conſulant, ſi in noſtro ſermone natiua Romani oris elegantia deſideretur. Sed ne ego incautius ſum qui venuſtatem reprehenſionis incurri a M. quondam Catone profectæ in A. Albinum, qui cum L. Lucullo conſul fuit. is Albinus res Romanas oratione Græca ſcriptitauit. in eius hiſtoriæ primo ſcriptum eſt ad hanc ſententiam: Neminem ſuccenſere ſibi conuenire ſi quid in illis libris parum compoſite aut minus eleganter ſcriptum foret. nam ſum, inquit, homo Romanus natus in Latio; & eloquium Græcum a nobis alieniſſimum eſt. ideoque veniam gratiamque malæ exiſtimationis ſi quid eſſet erratum, poſtulauit. Ea cum legiſſet M. Cato: Ne tu, inquit, Aule nimium nugator es, cum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare. nam petere veniam ſolemus aut cum imprudentes errauimus, aut cum*

*noxam*



*noxam imperio compellentis admiſimus. te, inquit, oro, quis perpulit vt id committeres quod priuſquam faceres peteres vti ignoſceretur? Nunc argumentum, quod huic operi dedimus, velut ſub quodam prologi habitu dicemus.*

## CAP. I.

Argumentum operis totius.

SATVRNALIBVS *apud Vettium Prætextatum Romanæ nobilitatis proceres doctique alij congregantur; & tempus ſollemniter feriatum deputant colloquio liberali, conuiuia quoque ſibi mutua comitate præbentes, nec diſcedentes a ſe niſi ad nocturnam quietem. nam per omne ſpatium feriarum meliorem diei partem ſeriis diſputationibus occupantes cœnæ tempore ſermones conuiuiales agitant: ita vt nullum diei tempus docte aliquid vel lepide proferendi vacuum relinquatur. ſed erit in menſa ſermo iucundior; vt habeat voluptatis amplius, ſeueritatis minus. nam cum apud alios quibus ſunt deſcripta conuiuia, tum in illo Platonis ſympoſio non auſteriore aliqua de re conuiuarum ſermo, ſed Cupidinis varia & lepida deſcriptio eſt. in quo quidem Socrates non artioribus, vt aſſolet, nodis vrget atque implicat aduerſarium; ſed eludendi magiſque decertandi modo apprehenſis dat elabendi prope atque effugiendi locum. oportet enim verſari in conuiuio ſermones vt caſtitate integros, ita appetibiles venuſtate. Matutina vero erit robuſtior diſputatio; quæ viros & doctos & præclariſſimos deceat. neque enim Cottæ, Lælij, Scipiones ampliſſimis de rebus quoad Romanæ litteræ erunt in veterum libris diſputabunt: Prætextatos vero, Flauianos, Albinos, Symmachos, & Euſtathios, quorum ſplendor ſimilis & non inferior virtus eſt, eodem modo loqui aliquid licitum non erit. Nec mihi fraudi ſit ſi vni aut alteri ex his, quos cœtus cœ-*

*tus coëgit, matura ætas poſterior ſæculo Prætextati ſit. quod licito fieri Platonis dialogi teſtimonio ſunt. quippe Socrate ita Parmenides antiquior, vt huius pueritia vix illius apprehenderit ſenectutem: & tamen inter illos de rebus arduis diſputatur. inclutum dialogum Socrates habita cum Timæo diſputatione conſumit; quos conſtat eodem ſæculo non fuiſſe. Paralus vero & Xantippus, quibus Pericles pater fuit, cum Protagora apud Platonem diſſerunt ſecundo aduentu Athenis morante; quos multo ante infamis illa peſtilentia Athenienſis abſumpſerat. Annos ergo coëuntium mitti in digitos, exemplo Platonis nobis ſuffragante, non conuenit. Quo autem facilius quæ ab omnibus dicta ſunt apparere ac ſecerni poſſent; Decium de Poſtumiano quinam ille ſermo aut inter quos fuiſſet ſciſcitantem fecimus. Et ne diutius lectoris deſideria moremur, iam Decij & Poſtumiani ſermo palam faciet, quæ huius colloquij vel origo fuerit, vel ordo proceſſerit.*

## CAP. II.

### Quæ conuiualis huius ſermonis origo & quis ordo fuerit.

DECIVS. *Tentanti mihi, Poſtumiane, aditus tuos & molliſſima conſultandi tempora commodo aſſunt feriæ, quas indulget magna pars menſis Iano dicati. ceteris enim ferme diebus, qui perorandis cauſis oportuni ſunt, hora omnino reperiri nulla poteſt; quin tuorum clientium negotia vel defendas in foro vel domi diſcas. Nunc autem (ſcio te enim non ludo ſed ſerio feriari) ſi eſt commodum reſpondere id quod rogatum venio: tibi ipſi, quantum arbitror, non iniucundum, mihi vero gratiſſimum feceris. Requiro autem abs te id primum interfueris ne conuiuio per compluſculos dies continua comitate renouato eique ſermoni quem prædicare in primis quemque apud omnes ma-*

*ximis or-*



*ximis ornare laudibus diceris: quem quidem ego ex patre audiſſem; niſi poſt illa conuiuia Roma profectus Neapoli moraretur. alijs vero nuper interfui admirantibus memoriæ tuæ vires vniuerſa quæ tunc dicta ſunt per ordinem ſæpe referentis.* Poſtumianus: *Hoc vnum, Deci, nobis (vt & ipſe, quantum tua ſinit adoleſcentia, videre & ex patre Albino audire potuiſti) in omni vitæ curſu optimum viſum eſt, vt, quantum ceſſare a cauſarum defenſione licuiſſet, tantum ad eruditorum hominum tuique ſimilium congreſſum aliquem ſermonem conferrem. neque enim recte inſtitutus animus requieſcere aut vtilius aut honeſtius vſquam poteſt, quam in aliqua oportunitate docte ac liberaliter colloquendi interrogandique & reſpondendi comitate. Sed quodnam iſtud conuiuium? an vero dubitandum non eſt quin id dicas quod doctiſſimis procerum ceteriſque nuper apud Vettium Prætextatum fuit, & quod diſcurrens poſt inter reliquos grata viciſſitudo variauit?* Decius: *De hoc ipſo quæſitum venio; & explices velim quale illud conuiuium fuerit, a quo te afuiſſe propter ſingularem omnium in te amicitiam non opinor.* Poſtumianus: *Voluiſſem equidem, neque id illis, vt æſtimo, ingratum fuiſſet. ſed, cum eſſent amicorum complures mihi cauſæ illis diebus pernoſcendæ, ad cœnam tum rogatus meditandi non edendi illud mihi tempus eſſe reſpondi; hortatuſque ſum vt alium potius nullo inuolutum negotio atque a cura liberum quærerent. itaque factum eſt. nam facundum & eruditum virum Euſebium rhetorem, inter Græcos præſtantem omnibus idem noſtra ætate profeſſis, doctrina Latiaris haud inſcium Prætextatus meum in locum inuitari imperauit.* Decius: *Vnde igitur illa tibi nota ſunt, quæ tum iucunde & comiter ad inſtituendam vitam exemplis, vt audio, rerum copioſiſſimis & variæ doctrinæ vbertate prolata digeſtaque ſunt?* Poſtumianus: *Cum ſolſtitiali die, qui Sa-*

*turnalio-*

turnaliorum feſta quibus illa conuiuia celebrata ſunt conſecutus eſt, forenſi cura vacuus lætiore animo eſſem domi; eo Euſebius cum paucis e ſectatoribus ſuis venit: ſtatimque vultu renidens; Permagna me, inquit, abs te Poſtumiane cum ex alijs tum hoc maxime gratia fateor obſtrictum, quod a Prætextato veniam poſtulando, mihi in cœna vacuefeciſti locum. itaque intelligo, non ſtudium tantum tuum, ſed ipſam quoque, vt aliquid abs te mihi fiat commodi, conſentire atque adſpirare fortunam. Vis ne, inquam, reſtituere id nobis quod debitum tam benigne ac tam libenter fateris; noſtrumque hoc otium, quo perfrui raro admodum licet, eo ducere, vt his, quibus tunc tu interfueris, nunc nos intereſſe videamur? Faciam, inquit, vt vis. Narrabo autem tibi non cibum aut potum, tametſi ea quoque vbertim caſteque affuerint; ſed & quæ vel in conuiuijs vel maxime extra menſam ab iſdem per tot dies dicta ſunt, inquantum potero, animo repetam. quæ quidem ego cum audirem: ad eorum mihi vitam qui beati a ſapientibus dicerentur accedere videbar. nam &, quæ pridie quam adeſſem inter eos dicta ſunt, Auieno mihi inſinuante comperta ſunt; & omnia ſcripto mandaui, ne quid ſubtraheret obliuio. quæ ſi ex me audire geſtis: caue æſtimes diem vnum referendis, quæ per tot dies ſunt dicta, ſufficere. Decius: Quemnam igitur & inter quos aut vnde ortum ſermonem Poſtumiane fuiſſe dicebat? ita præſto ſum indefeſſus auditor. Poſtumianus: Tum ille, Declinante, inquit, in veſperum die, quem Saturnale feſtum erat inſecuturum, cum Vettius Prætextatus domi conuenire geſtientibus copiam faceret: eo venerunt Aurelius Symmachus & Cæcina Albinus, cum ætate tum etiam moribus ac ſtudijs inter ſe coniunctiſſimi. hos Seruius inter Grammaticos doctorem recens profeſſus, iuxta doctrinam mirabilis & amabilis verecundiæ, terram intuens & velut latenti ſimilis ſequebatur. Quos cum



cum proſpexiſſet obuiamque proceſſiſſet ac perblande ſalutauiſſet: conuerſus ad Furium Albinum, qui tum forte cum Auieno aderat, Vis ne, ait, mi Albine, cum his, quos adueniſſe peroportune vides quoſque iure ciuitatis noſtræ lumina dixerimus, eam rem de qua inter nos naſci cœperat ſermo communicemus? Quid ni maxime velim? Albinus inquit. nec enim vlla alia de re quam de doctis quæſtionibus colloqui aut nobis aut his poteſt eſſe iucundius. cumque conſediſſent; tum Cæcina: Quidnam id ſit, mi Prætextate, tametſi adhuc neſcio; dubitare tamen non debeo eſſe ſcitu optimum, cum & vobis ad colloquendum cauſam attulerit & nos eius eſſe expertes non ſinatis. Atque ſcias oportet eum inter nos ſermonem fuiſſe, vt, quoniam dies craſtinus feſtis Saturno dicatis initium dabit, quando Saturnalia incipere dicamus, id eſt, quando craſtinum diem initium ſumere exiſtimemus. & inter nos quidem parua quædam de hac diſputatione libauimus. verum, quia te quicquid in libris latet inueſtigare notius eſt, quam vt per verecundiam negare poſſis, pergas volo in medium proferre quicquid de hoc quod quærimus edoctum tibi comprehenſumque eſt.

in libro Caput in Gellio invenies l.3.c.2

## CAP. III.

### De principio ac diuiſione ciuilis diei.

TVM Cæcina: Cum vobis, qui me in hunc ſermonem inducitis, nihil ex omnibus quæ veteribus elaborata ſunt aut ignoratio neget aut obliuio ſubtrahat: ſuperfluum video inter ſcientes nota proferre. Sed ne quis me æſtimet dignatione conſultationis grauari, quicquid de hoc mihi tenuis memoria ſuggeſſerit, paucis reuoluam. Poſt hæc, cum omnes paratos ad audiendum erectoſque vidiſſet, ita exorſus eſt. M. Varro in libro rerum humanarum, quem de diebus ſcripſit, Homines, inquit, qui ex media nocte ad proxi-

proximam mediam noctem his horis viginti quatuor nati ſunt, vno die nati dicuntur. *quibus verbis ita videtur dierum obſeruationem diuiſiſſe, vt qui poſt ſolis occaſum ante mediam noctem natus ſit illo quem nox ſecuta eſt, contra vero qui in ſex noctis horis poſterioribus naſcitur eo die videatur natus qui poſt eam noctem diluxerit. Athenienſes autem aliter obſeruare idem Varro in eodem libro ſcripſit; eoſque a ſolis occaſu ad ſolem iterum occidentem omne id medium tempus vnum diem eſſe dicere. Babylonios porro aliter. a ſole enim exorto ad exortum eiuſdem incipientem id ſpatium vnius diei nomine vocare. Vmbros vero vnum & eundem diem eſſe dicere a meridie ad inſequentem meridiem.* Quod quidem, *inquit Varro*, nimis abſurdum eſt. nam qui Kalendis hora ſexta apud Vmbros natus eſt, dies eius natalis videri debebit & Kalendarum dimidiatus & qui poſt Kalendas erit vſque ad horam eiuſdem diei ſextam. *Populum autem Romanum ita vti Varro dixit dies ſingulos annumerare a media nocte ad mediam proximam multis argumentis oſtenditur. Sacra ſunt enim Romana partim diurna, alia nocturna. & ea quæ diurna ſunt ab initio diei ad medium noctis protenduntur: ab hora ſexta noctis ſequentis nocturnis ſacris tempus impenditur. ad hoc ritus quoque & mos auſpicandi eandem eſſe obſeruationem docet. nam magiſtratus, quando vno die eis & auſpicandum eſt & id agendum ſuper quo proceſſit auſpicium, poſt mediam noctem auſpicantur & poſt exortum ſolem agunt. auſpicatique & egiſſe eodem die dicuntur. præterea tribuni plebis, quos nullum diem integrum abeſſe Roma licet, cum poſt mediam noctem proficiſcuntur & poſt primam facem ante mediam noctem ſequentem reuertuntur, non videntur afuiſſe diem: quoniam ante horam noctis ſextam regreſſi partem aliquam illius in vrbe conſumunt. Quintum quoque Mu-*

*que Mu-*



*que Mucium iureconſultum dicere ſolitum: lege non iſſe vſurpatum mulierem, quæ, cum Kalendis Ianuarijs apud virum matrimonij cauſa eſſe cœpiſſet, ad diem quartum Kalendas Ianuarias ſequentes vſurpatum iſſet. non enim poſſe impleri trinoctium, quo abeſſe a viro vſurpandi cauſa ex duodecim tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperet ex Kalendis. Vergilius quoque id ipſum oſtendit, vt hominem decuit poëticas res agentem, recondita atque operta veteris ritus ſignificatione:*

Torquet, *inquit*, medios nox humida curſus:
Et me ſæuus equis oriens afflauit anhelis.

*his enim verbis diem, quem Romani ciuilem appellauerunt, a ſexta noctis hora oriri admonet. idem poëta quando nox quoque incipiat expreſſit in ſexto. cum enim dixiſſet:*

Hac vice ſermonum roſeis aurora quadrigis
Iam medium æthereo curſu traiecerat axem:

*mox ſuggeſſit vates:*

Nox ruit Ænea, nos flendo ducimus horas.

*ita obſeruantiſſimus ciuilium definitionum diei & noctis initia deſcripſit. qui dies ita diuiditur. Primum tempus diei dicitur mediæ noctis inclinatio; deinde gallicinium; inde conticuum, cum & galli conticeſcunt & homines etiam tum quieſcunt; deinde diluculum, id eſt, cum incipit dies dignoſci; inde mane, cum dies clarus eſt. mane autem dictum aut quod ab inferioribus, id eſt, a manibus exordium lucis emergat, aut, quod verius mihi videtur, ab omine boni nominis. nam & Lanuuij* mane *pro* bono *dicunt: ſicut apud nos quoque contrarium eſt* immane. *vt*, immanis bellua, *vel*, immane facinus, *& hoc genus cetera, pro* non bono. *deinde a mane ad meridiem, hoc eſt, ad medium diei. inde iam ſupra vocatur tempus occiduum; & mox ſuprema tempeſtas, hoc eſt diei nouiſſimum tempus: ſicut ex-*

 *ſicut ex-*

*ſicut expreſſum eſt in duodecim tabulis:* SOLIS. OCCASVS. SVPREMA. TEMPESTAS. ESTO. *deinde veſpera; quod a Græcis tractatum eſt. illi enim* ἑσπέραν *a ſtella heſpero dicunt: vnde & Heſperia Italia, quod occaſui ſubiecta ſit, nominatur. ab hoc tempore prima fax dicitur; deinde concubia; & inde intempeſta; quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. hæc eſt diei ciuilis a Romanis obſeruata diuiſio. ergo noctu futura, cum media eſſe cœperit, auſpicium Saturnaliorum erit; quibus die craſtini mos inchoandi eſt.*

## CAP. IV.

Latine dici *Saturnaliorum, noctu futura, &, die craſtini.*

HIC, *cum omnes quaſi vetuſtatis promptuarium Albini memoriam laudauiſſent, Prætextatus Auienum videns Furio inſuſurrantem, Quidnam hoc eſt, mi Auiene, inquit, quod vni Albino indicatum clam ceteris eſſe veluit? tum ille: Moueor quidem auctoritate Cæcinæ, nec ignoro errorem in tantam non cadere doctrinam: aures tamen meas iſta verborum nouitas perculit; cum,* noctu futura, *&*, die craſtini, *magis quam* nocte futura, *&*, die craſtino, *dicere vt regulis placet maluit. nam*, noctu, *non appellatio ſed aduerbium eſt. porro*, futura, *quod nomen eſt, non poteſt cum aduerbio conuenire. nec dubium eſt hoc inter ſe eſſe* noctu *&* nocte, *quod* diu *&* die. *& rurſus*, die *&* craſtini, *non de eodem caſu ſunt; & niſi caſus idem nomina in huiuſmodi elocutione non iungit.* Saturnaliorum *deinde cur malimus quam* Saturnalium *dicere opto dinoſcere. Ad hæc cum Cæcina renidens taceret, & Seruius a Symmacho rogatus eſſet quidnam de his exiſtimaret: Licet, inquit, in hoc cœtu non minus nobilitate quam doctrina reuerendo magis mihi diſcendum ſit quam docendum; famula-*



*famulabor tamen arbitrio iubentis; & inſinuabo primum de Saturnalibus, poſt de ceteris, vnde ſit ſic eloquendi non nouitas ſed vetuſtas. Qui* Saturnalium *dicit, regula innititur. nomina enim quæ datiuum pluralem in* bus, *mittunt, numquam genitiuum eiuſdem numeri ſyllaba creuiſſe patiuntur; ſed aut totidem habet; vt*, monilibus monilium, ſedilibus ſedilium; *aut vna ſyllaba minus eſt; vt*, carminibus carminum, luminibus luminum. *ſic ergo* Saturnalibus *rectius* Saturnalium *quam* Saturnaliorum. *ſed, qui* Saturnaliorum *dicunt, auctoritate magnorum muniuntur virorum. nam & Salluſtius in tertia* Bacchanaliorum *ait; & Maſurius faſtorum ſecundo* Vinaliorum dies, *inquit*, Ioui ſacer eſt, non, vt quidam putant, Veneri. *&, vt ipſos quoque Grammaticos in teſtimonium citem. Verrius Flaccus in eo libello, qui Saturnus inſcribitur* Saturnaliorum, *inquit*, dies apud Græcos quoque feſti habentur *& in eodem libro* Dilucide me, *inquit*, de conſtitutione Saturnaliorum ſcripſiſſe arbitror. *item Iulius Modeſtus de ferijs* Saturnaliorum, *inquit*, feriæ. *& in eodem libro* Antias, *inquit*, Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert. *Hæc tamen, inquies, auctoritas quæro an poſſit aliqua ratione defendi. planè, quatenus alienum non eſt committi Grammaticum cum ſua analogia, tentabo ſuſpicionibus eruere quid ſit quod eos a ſolita enunciatione detorſerit, vt mallent* Saturnaliorum *quam* Saturnalium *dicere. Ac primum æſtimo quod hæc nomina, quæ ſunt feſtorum dierum neutralia carentque numero ſingulari, diuerſæ conditionis eſſe voluerunt ab his nominibus quæ vtroque numero figurantur. Compitalia enim & Bacchanalia, & Agonalia Vinaliáque & reliqua his ſimilia feſtorum dierum nomina ſunt, nec ſingulariter nominantur; aut, ſi ſingulari numero dixeris, non idem ſignificabis niſi adieceris*

feſtum: vt, Bacchanale feſtum, Agonale feſtum, & reliqua: vt iam non poſitiuum ſit ſed adiectiuum, quod Græci ἐπίθετον vocant. animati ſunt ergo ad faciendam diſcretionem in genitiuo caſu; vt ex hac declinatione exprimerent nomen ſollemnis diei ſcientes in nõnullis ſæpe nominibus datiuo in, bus exeunte, nihilominus genitiuum in rum finiri: vt, domibus domorum, duobus duorum, ambobus amborum. Ita &, viridia, cum ἀντὶ ἐπιθέτε accipiuntur, genitiuum in ium faciunt; vt, viridia prata, viridium pratorum. cum vero ipſam loci viriditatem ſignificare volumus; viridiorum dicimus: vt cum dicitur; formoſa facies viridiorum. tunc enim viridia quaſi poſitiuum ponitur non accidens. tanta enim apud veteres fuit licentia huius genitiui; vt Aſinius Pollio vectigaliorum frequenter vſurpet: quod vectigal non minus dicatur quam vectigalia. ſed & cum legamus; læuaque ancile gerebat: tamen & anciliorum relatum eſt. Videndum ergo ne magis varietas veteres delectauerit, quam vt ad amuſſim verum ſit feſtorum dierum nomina ſic vocata. ecce enim, & præter ſollemnium dierum vocabula, alia quoque ſic declinata reperimus vt præcedens ſermo patefecit; viridiorum, &, vectigaliorum, & anciliorum. ſed & ipſa feſtorum nomina ſecundum regulam declinata apud veteres reperio. ſiquidem Varro Ferialium diem ait a ferendis in ſepulchra epulis dici. non dixit Ferialiorum. & alibi Floralium non Floraliorum ait, cum idem non ludos florales illic ſed ipſum feſtum Floralia ſignificaret. Maſurius etiam ſecundo Faſtorum, Liberalium dies, inquit, a pontificibus agonium Martiale appellatur. & in eodem libro: Eam noctem deincepſque inſequentem diem qui eſt Lucarium, non dixit, Lucariorum. itemque, Liberalium, multi dixere, non, Liberaliorum. vnde pronunciandum eſt veteres indulſiſſe copiæ per varie-





tatem: vt dicebãt, exanimos & exanimes, inermos & inermes, tum hilaros atque hilares. & ideo certum eſt licito & Saturnalium & Saturnaliorum dici: cum alterum regula cum auctoritate, alterum etſi ſola ſed multorum defendat auctoritas. reliqua autem verba, quæ Auieno noſtro noua viſa ſunt, veterum nobis ſunt teſtimonijs aſſerenda. Ennius enim, niſi cui videtur inter noſtræ ætatis politiores munditias reſpuendus, noctu concubia dixit his verſibus:

Qua Galli furtim noctu ſumma arcis adorti
Mœnia concubia, vigileſque repente cruentant.

quo in loco animaduertendum eſt non ſolum quod noctu concubia, ſed quod etiam qua noctu dixerit. & hoc poſuit in annalium ſeptimo. in quorum tertio clarius idem dixit:

Hac noctu filo pendebit Etruria tota.

Claudius quoque Quadrigarius annali tertio: Senatus autem de noctu conuenire, noctu multa domum dimitti. Non eſſe ab re puto hoc in loco id quoque admonere, quod decemuiri in duodecim tabulis inuſitate nox pro noctu dixerunt. Verba hæc ſunt: SEI. NOX. FVRTVM. FACTVM. ESIT. SEI. IM. OCCISIT. IOVRE. CAISVS. ESTO. in quibus verbis id etiam notandum eſt, quod ab eo quod eſt, is, non, eum, caſu accuſatiuo ſed, im, dixerunt. Sed nec, die craſtini, a doctiſſimo viro ſine veterum auctoritate prolatum eſt: quibus mos erat modo diequinti modo diequinte pro aduerbio copulatiue dicere. cuius indicium eſt quod ſyllaba ſecunda corripitur quæ natura producitur cum ſolum dicitur die. Quod autem diximus extremam iſtius vocis ſyllabam tum per, e, tum per, i, ſcribi; conſuetum id veteribus fuit vt his litteris plerumque in fine indifferenter vterentur; ſicut præfiſcine & præfiſcini, procliue & procliui. Venit,

*ecce, illius verſus Pomponiani in memoriam qui eſt ex Atellana, quæ Mevia inſcribitur:*

Dies hic ſextus, cum nihil egi; die quarte moriar fame.

Die priſtine *eodem modo dicebatur; quod ſignificabat die priſtino, id eſt priore: quod nunc pridie dicitur converſo compoſitionis ordine, quaſi* priſtino die. *nec inficias eo lectum apud veteres,* die quarto. *ſed invenitur de tranſacto non de futuro poſitum. nam Cn. Mattius homo impenſe doctus in mimiambis pro eo dicit quod nudiusquartus nos dicimus, in his verſibus;*

Nuper die quarto vt recordor, & certe
Aquarium vrceum vnicum domi fregit.

*hoc igitur intererit vt,* die quarto, *quidem de præterito dicamus,* die quarte *autem de futuro. Verum ne de* die craſtini *nihil retuliſſe videamur: ſuppetit Cælianum illud ex libro hiſtoriarum ſecundo:* Si vis mihi equitatum dare & ipſe cum cetero exercitu me ſequi: diequinti Romæ in Capitolium curabo tibi cœnam coctam. *Hic Symmachus, Cælius tuus, inquit, & hiſtoriam & verbum ex Originibus M. Catonis accepit; apud quem ita ſcriptum eſt:* Igitur dictatorem Karthaginienſium magiſter equitum monuit; Mitte mecum Romam equitatum, diequinti in Capitolio cœna cocta erit. *Et Prætextatus: Æſtimo nonnihil ad demonſtrandam conſuetudinem veterum etiam prætoris verba conferre; quibus more maiorum ferias concipere ſolet, quæ appellantur Compitalia. ea verba hæc ſunt:* DIE. NONI. POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVS. COMPITALIA. ERVNT. QVANDO. CONCEPTA. FVERINT. N.





## CAP. V.

De exauctoratis obſoletiſque verbis: tum recte ac Latine dici, *mille verborum eſt.*

TVM *Avienus adſpiciens Servium, Curius, inquit, & Fabricius & Coruncanius antiquiſſimi viri, vel etiam his antiquiores Horatij illi trigemini plane ac dilucide cum ſuis fabulati ſunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelaſgorum, qui primi coluiſſe in Italia dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis vtebantur. tu autem proinde quaſi cum matre Evandri loquare, vis nobis verba multis iam ſæculis oblitterata revocare: ad quorum congeriem præſtantes quoque viros, quorum memoriam continuus legendi vſus inſtruit, incitaſti. ſed antiquitatem vobis placere iactatis; quod honeſta & ſobria & modeſta ſit. vivamus ergo moribus præteritis, præſentibus verbis loquamur. ego enim id, quod a C. Cæſare excellentis ingenij ac providentiæ viro in primo Analogiæ libro ſcriptum eſt, habeo ſemper in memoria atque in pectore, vt tamquam ſcopulum ſic fugiam infrequens atque inſolens verbum. mille denique verborum talium eſt: quæ, cum in ore priſcæ auctoritatis crebro fuerint, exauctorata tamen a ſequenti ætate repudiataque ſunt. horum copiam proferre nunc poſſem, ni tempus noctis iam propinquantis neceſſariæ diſceſſionis nos admoneret. Bona verba, quæſo, Prætextatus morali, vt aſſolet, gravitate ſubiecit: nec inſolenter parentis artium antiquitatis reverentiam verberemus. cuius amorem tu quoque dum diſſimulas magis prodis. cum enim dicis,* mille verborum eſt; *quid aliud ſermo tuus niſi ipſam redolet vetuſtatem? nam licet M. Cicero in oratione, quam pro Milone concepit, ita ſcriptum reliquerit:* Ante fundum Clodij. quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mil-

cile mille hominum verſabatur valentium. non, verſabantur; quod in libris minus accurate ſcriptis reperiri ſolet. & in ſexta in Antonium; Qui vmquam in illo Iano inuentus eſt, qui L. Antonio mille nummum ferret expenſum? licet Varro quoque eiusdem ſæculi homo in ſeptimodecimo Humanarum dixerit; Plus mille & centum annorum eſt: tamen fiduciam ſic componendi non niſi ex antecedentium auctoritate ſumpſerunt. nam Quadrigarius in tertio annalium ita ſcripſit: Ibi occiditur mille hominum. & Lucilius in tertio Satyrarum;

Ad portam mille, a porta eſt ſex inde Salernum.

alibi vero etiam declinationem huius nominis exſecutus eſt. nam in libro quintodecimo ita dicit:

Hunc milli paſſum qui vicerit atque duobus
Campanus ſonipes; ſubcurſor nullus ſequetur
Maiore ſpatio ac diuerſus videbitur ire.

idem in libro nono:

Tu milli nummûm potes vno quærere centum.

milli paſſum, dixit, pro, mille paſſibus, &, milli nummûm, pro, mille nummis, aperteque oſtendit, mille, & vocabulum eſſe & ſingulari numero dici & caſum etiam capere ablatiuum, eiuſque pluratiuum eſſe milia. mille enim non ex eo ponitur, quod Græce chilia dicuntur, ſed quod chilias. & ſicut vna chilias & duæ chiliades, ita vnum mille & duo milia veteres certa atque directa ratione dicebant. Et heus tu? his ne tam doctis viris, quorum M. Cicero & Varro imitatores ſe gloriantur, adimere vis in verborum comitijs ius ſuffragandi: & tamquam ſexagenarios maiores de pōte deiicies? plura de hoc diſſeremus ni vos inuitos ab inuito diſcedere hora cogeret. Sed vultis ne diem ſequentem, quem plerique omnes abaco & latrunculis conterunt, nos iſtis ſobriis fabulis a primo lucis in cœnæ tempus, ipſam quoque cœnam non obrutam poculis non laſciuientem

uientem



uientem ferculis ſed quæſtionibus doctis pudicam & mutuis ex lecto relationibus exigamus? ſic enim ferias præ omni negotio fetas commodi ſenſerimus, non animum, vt dicitur, remittentes (nam remittere, inquit Muſonius, animum quaſi amittere eſt) ſed demulcentes eum paululum atque laxantes iucundis honeſtiuque ſermonum illectationibus? quod ſi ita decernitis: dis Penatibus meis huc conueniendo gratiſſimum feceritis. Tum Symmachus: Nullus, qui quidem ſe dignum hoc conuentu meminerit, ſodalitatem hanc vel ipſum conuentus regem repudiabit. ſed, ne quid ad perfectionem cœtus deſideretur, inuitandos ad eundem congreſſum conuictumque cenſeo Flauianum, (qui quantum ſit, mirandum, viro venuſto patre præſtantior non minus ornatu morum grauitateque vitæ quam copia profundæ eruditionis aſſeruit) ſimulque Poſtumianum qui forum defenſionum dignatione nobilitat, & Euſtathium; qui tantus in omni philoſophiæ genere eſt, vt ſolus nobis repræſentet ingenia trium philoſophorum de quibus noſtra antiquitas gloriata eſt. illos dico; quos Athenienſes quondam ad ſenatum legauerunt impetratum vti multam remitteret, quam ciuitati eorum fecerat propter Oropi vaſtationem. ea multa fuerat talentum fere quingentum. erant iſti philoſophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: quos ferunt ſeorſum quemque oſtentandi gratia per celeberrima vrbis loca magno conuentu hominum diſſertauiſſe, fuit, vt relatum eſt, facundia Carneades violenta & rapida, ſcita & tereti Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria. ſed in ſenatum introducti interprete vſi ſunt Cælio ſenatore. at hic noſter cum ſectas omnes aſſecutus ſed probabiliorem ſecutus ſit; omniaque hæc inter Græcos genera dicendi ſolus impleat: inter nos tamen ita ſui locuples interpres eſt, vt neſcias qua lingua facilius vel ornatius expleat operam diſſerendi. Probauere omnes

Q. Aurelij

*Q. Aurelij iudicium quo edecumatos elegit ſodales: atque his ita conſtitutis primum a Prætextato ſimul deinde a ſe diſcedentes domum quiſque ſuam regreßi ſunt.*

## CAP. VI.

De origine ac vſu *prætextæ*; & quomodo hæc in vſum tranſierit nominis; inibique de aliorum quorundam nominum propriorum origine.

POSTERO *die ad ædes Vettij matutini omnes, inter quos pridie conuenerat, affuerunt. quibus Prætextatus in bibliothecam receptis, in qua eos opperiebatur, Præclarum, inquit, diem mihi fore video, cum & vos adeſtis & affuturos ſe illi quos ad conuentus noſtri ſocietatem rogari placuit ſpoponderunt. ſoli Poſtumiano antiquior viſa eſt inſtruendarum cura defenſionum; in cuius abnuentis locum Euſebium Graia & doctrina & facundia rhetorem ſubrogaui: inſinuatumque omnibus vt ab exorto die ſe nobis indulgerent, quandoquidem nullis hodie officiis publicis occupari fas eſſet. togatus certe vel trabeatus paludatusque ſeu prætextatus hac die videtur nullus. tum Auienus (vt ei interpellandi mos erat) Cum ſacrum mihi, ait, ac reipublicæ nomen, Prætextate, tuum inter vocabula diuerſi habitus refers: admoneor non ludicræ, vt æſtimo quæſtionis. cum enim veſtitus togæ vel trabeæ ſeu paludamenti nullum de ſe proprij nominis vſum fecerit; quæro abs te cur hoc de ſolo prætextæ habitu vſurpauerit vetuſtas, aut huic nomini quæ origo contigerit? Inter hæc Auieni dicta Flauianus & Euſtathius, par inſigne amicitiæ, ac minimo poſt Euſebius ingreßi alacriorem fecere cœtum; acceptaque ac reddita ſalutatione conſederunt percunctantes quidnam offenderint ſermocinationis. Tum Vettius, Peropportune, inquit, affuiſtis mihi aſſertorem quærenti. mouet enim mihi Auienus*

*noſtri no-*



*noſtri nominis quæſtionem; & ita originem eius flagitat, tamquam fides ab eo generis exigatur. nam, cum nullus ſit qui appelletur ſuo nomine vel togatus vel trabeatus vel paludatus, cur Prætextatus nomen habeatur poſtulat in medium proferri. ſed & cum poſti inſcriptum ſit Delphici templi, & vnius e numero ſeptem ſapientum eadem ſit iſta ſententia,* γνῶθι σεαυτόν; *quid in me ſcire æſtimandus ſim ſi nomen ignoro, cuius mihi nunc & origo & cauſa dicenda eſt? Tullus Hoſtilius Hoſti filius rex Romanorum tertius, debellatis Etruſcis ſellam curulem lictoreſque & togam pictam atque prætextam, quæ inſignia magiſtratuum Etruſcorum erant, primus vt Romæ haberentur inſtituit. ſed prætextam illo ſæculo puerilis non vſurpabat ætas. erat enim, vt cetera quæ enumeraui, honoris habitus. ſed poſtea Tarquinius Demarati exſulis Corinthij filius Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, rex tertius ab Hoſtilio quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum, quo bello filium ſuum annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit & bulla aurea prætextaque donauit, inſigniens puerum vltra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. nam ſicut prætexta magiſtratuum; ita bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis quæ crederent aduerſus inuidiam valentißima. hinc deductus mos vt prætexta & bulla in vſum puerorum nobilium vſurparentur; ad omen & vota concilianda virtutis ei ſimilis, cui primis in annis munera iſta ceſſerunt. alij putant eundem Priſcum, cum is ſtatum ciuium ſollertia prouidi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxiſſe; inſtituiſſeque vt patricij bulla aurea cum toga cui purpura prætexitur vterentur, duntaxat illi quorum patres curulem geſſerant magiſtratum: ceteris autem vt prætexta tantum vterentur indultum; ſed vſque*

*ad eos*

ad eos quorum parentes equo ſtipendia iuſta meruiſſent.
Libertinis vero nullo iure vti prætextis licebat; ac multo mi-
nus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceßitudo.
ſed poſtea libertinorum quoque filiis prætexta conceſſa eſt
ex cauſa tali: quam M. Lælius augur refert, qui bello Pu-
nico ſecundo duumuiros dicit ex ſenatuſconſulto, propter
multa prodigia, libros Sibyllinos adiſſe; & inſpectis his nun-
ciaſſe in Capitolio ſupplicandum lectiſterniumque ex colla-
ta ſtipe faciendum, ita vt libertinæ quoque quæ longa veſte
vterentur in eam rem pecuniam ſubminiſtrarent. acta igi-
tur obſecratio eſt pueris ingenuis itemque libertinis ſed &
virginibus patrimis matrimiſque pronunciantibus carmen.
ex quo conceſſum vt libertinorum quoque filij, qui ex iuſta
duntaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam
& lorum in collo pro bullæ decore geſtarent. Verrius Flac-
cus ait, cum populus Romanus peſtilentia laboraret, eſſetque
reſponſum id accidere quod di deſpicerentur; anxiam vrbem
fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum; eueniſſeque vt Cir-
cenſium die puer de cœnaculo pompam ſuperne deſpiceret,
& patri referret quo ordine ſecreta ſacrorum in arca pilen-
ti compoſita vidiſſet: qui cum rem geſtam ſenatui nuntiaſ-
ſet; placuiſſe velari loca ea qua pompa veheretur: atque
ita peſte ſedata puerum, qui ambiguitatem ſortis abſolue-
rat, togæ prætextæ vſum munus impetraviſſe. Vetuſtatis
peritißimi referunt in raptu Sabinarum vnam mulierem
nomine Herſiliam, dum adhæret filiæ, ſimul raptam: quam
cum Romulus Hoſto cuidam ex agro Latino, qui in aſylum
eius confugerat, virtute conſpicuo vxorem dediſſet; natum
ex ea puerum antequam alia vlla Sabinarum partum ede-
ret; eumque, quod primus eſſet in hoſtico procreatus, Ho-
ſtum Hoſtilium a matre vocitatum, & eundem a Romulo
bulla aurea ac prætextæ inſignibus honoratum. is enim cum
raptas ad conſolandum vocaſſet, ſpopondiſſe fertur ſe eius
infanti,



infanti, quæ prima ſibi ciuem Romanum eſſet enixa, illuſtre
munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attri-
butum vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent;
quam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent, ſi cor-
de præſtarent: togamque prætextam his additam; vt ex
purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur. Diximus
vnde prætexta. adiecimus & cauſas quibus æſtimatur con-
ceſſa pueritiæ. nunc idem habitus quo argumento tranſierit
in vſum nominis paucis explicandum eſt. Mos antea ſena-
toribus fuit in curiam cum prætextatis filiis introire. cum
in ſenatu res maior quæpiam conſultabatur; eaque in po-
ſterum diem prolata eſſet: placuit vt hanc rem, ſuper qua
tractauiſſent, ne quis enuntiaret priuſquam decreta eſſet.
mater Papirij pueri, qui cum parente ſuo in curia fuerat,
percunctatur filium, quidnam in ſenatu egiſſent patres.
puer reſpondit tacendum eſſe, neque id dici licere. mulier
fit audiendi cupidior. ſecretum rei & ſilentium pueri ani-
mum eius ad inquirendum euerberat. quærit igitur com-
preßius violentiuſque. tum puer vrgente matre lepidi atque
feſtiui mendacij conſilium capit. actum in ſenatu dixit v-
trum videretur vtilius magiſque e republica eſſe, vnusne vt
duas vxores haberet an vt vna apud duos nupta eſſet. hoc
illa vbi audiuit, animo compaueſcit; domo trepidans egre-
ditur; ad ceteras matronas affert: poſtridieque ad ſenatum
copioſa matrumfamilias caterua confluunt: lacrimantes
atque obſecrantes orant vna potius vt duobus nupta fieret
quam vt vni duæ. ſenatores ingredientes curiam quæ illa
mulierum intemperies & quid ſibi poſtulatio iſthæc vellet
mirabantur; & vt non paruæ rei prodigium illam verecun-
di ſexus impudicam inſaniam paueſcebant. Puer Papirius
publicum metum demit. nam in medium curiæ progreſſus
quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet,
ſicut fuerat, enarrat. ſenatus fidem atque ingenium pueri
exoſcula-

exoſculatur; conſultumque facit vti poſthac pueri cum patribus in curiam non introeant præter illum vnum Papirium: eique puero poſtea cognomentum honoris gratia decreto, inditum, Prætextatus; ob tacendi loquendique in prætextæ ætate prudentiam. hoc cognomentum poſtea familiæ noſtræ in nomen hæſit. non aliter dicti Scipiones: niſi quod Cornelius, qui cognominem patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine poſteris dedit. ſic Meſſala tuus, Auiene, dictus a cognomento Valerij Maximi; qui poſtquam Meſſanam vrbem Siciliæ nobiliſſimam cepit Meſſala cognominatus eſt. Nec mirum ſi ex cognominibus nata ſunt nomina: cum contra & cognomina ex propriis ſint tracta nominibus; vt ab Æmilio, Æmilianus, a Seruio Seruilianus. Hic ſubiecit Euſebius: Meſſala & Scipio, alter de pietate de virtute alter, vt refers, cognomina reppererunt. ſed Scropha & Aſina, quæ viris non mediocribus cognomenta ſunt, volo dicas vnde contigerint; cum contumeliæ quam honori propiora videantur. Tum ille: Nec honor nec iniuria ſed caſus fecit hæc nomina. nam Aſinæ cognomentum Corneliis datum eſt; quoniam princeps Corneliæ gentis empto fundo, ſeu filia data marito, cum ſponſores ab eo ſollemniter poſcerentur, aſinam cum pecuniæ onere produxit in forum quaſi pro ſponſoribus præſens pignus. Tremellius vero Scropha cognominatus eſt euentu tali. is Tremellius cum familia atque liberis in villa erat. ſerui eius, cum de vicino ſcropha erraret, ſurreptam conficiunt. vicinus aduocatis cuſtodibus omnia circumuenit, ne qua efferri poſſit; isque ad dominum appellat reſtitui ſibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperiſſet, ſcrophæ cadauer ſub centonibus collocat, ſuper quos vxor cubabat. quæſtionem vicino permittit. cum ventum eſt ad cubiculum: verba iurationis concipit nullam eſſe in villa ſua ſcropham, niſi iſtam, inquit, quæ



quæ in centionibus iacet; lectulum monſtrat. ea facetiſſima iuratio Tremellio Scrophæ cognomentum dedit.

## CAP. VII.

De Saturnaliorum origine ac vetuſtate; vbi & alia quædam obiter perſtringuntur.

DVM iſta narrantur: vnus a famulitio, cui prouincia erat admittere volentes dominum conuenire, Euangelum adeſſe nuntiat cum Dyſario; qui tunc Romæ præſtare videbatur ceteris medendi artem profeſſis. corrugato indicauere vultu plerique de conſidentibus Euangeli interuentum ocio ſuo inamœnum minuſque placido conuentui congruentem. erat enim amarulenta dicacitate, & linguæ proteruæ, mendacij procax, ac ſecurus offenſarum, quas ſine delectu cari vel non amici in ſe paſſim verbis odia ſerentibus prouocabat. Sed Prætextatus, vt erat in omnes æque placidus ac mitis, vt admitterentur miſſis obuiis imperauit: quos Horus ingredientes commodum conſecutus comitabatur, vir corpore atque animo iuxta validus: qui poſt innumeras inter pugiles palmas ad philoſophiæ ſtudia migrauit; ſectamque Antiſthenis & Cratetis atque ipſius Diogenis ſecutus inter Cynicos non incelebris habebatur. Sed Euangelus, poſtquam tantum cœtum aſſurgentem ſibi ingreſſus offendit, Caſus ne, inquit, hos omnes ad te, Prætextate, contraxit? an altius quiddam cui remotis arbitris opus ſit cogitaturi ex diſpoſito conueniſtis? quod ſi ita eſt, vt æſtimo; abibo potius quam me veſtris miſcebo ſecretis; a quibus me amouebit voluntas, licet fortuna feciſſet irruere. Tum Vettius, quamuis ad omnem patientiam conſtanter animi tranquillitate firmus, non nihil tamen conſultatione tam proterua motus, Si aut me, inquit, Euangele, aut hæc innocentiæ lumina cogitaſſes: nullum inter nos tale ſecretum



opinarere,

opinarere, quod non vel tibi vel etiam vulgo fieri dilucidum poſſet. quia neque ego ſum immemor, nec horum quemquam inſcium credo ſancti illius præcepti philoſophiæ; ſic loquendum eſſe cum hominibus tamquam di audiant, ſic loquendum cum dis tamquam homines audiant. cuius ſecunda pars ſancit, ne quid a dis petamus quod velle nos indecorum ſit hominibus confiteri. nos vero, vt & honorem ſacris feriis haberemus, & vitaremus tamen torporem feriandi atque otium in negotium verteremus, conuenimus diem totum doctis fabulis velut ex ſymbola conferendis daturi. nam, ſi per ſacra ſollemnia riuos deducere nulla Relligio prohibet. ſi ſalubri fluuio merſare oues fas & iura permittunt: cur non religionis honor putetur dicare ſacris diebus ſacrum ſtudium litterarum? ſed, quia vos quoque deorum aliquis nobis additos voluit, facite, ſi volentibus vobis erit, diem communibus & fabulis & epulis exigamus: quibus vt omnes hodie qui præſentes ſunt acquieſcant impetratum teneo. tunc ille: Superuenire fabulis non euocatos haud equidem turpe exiſtimatur: verum ſponte irruere in conuiuium aliis præparatum nec ab Homero ſine nota vel in fratre memoratum eſt. & vide ne nimium arroganter tres tibi velis Menelaos contigiſſe, cum illi tanto regi vnus euenerit. Tum omnes Prætextatum iuuantes orare blandeque ad commune inuitare conſortium: Euangelum quidem ſæpius & maxime, ſed nonnumquam & cum eo pariter ingreſſos. Inter hæc Euangelus petitu omnium temperatus, M. Varronis, inquit, librum vobis arbitror non ignotum ex ſatyris Menippeis, qui inſcribitur: NESCIS. QVID. VESPER. VEHAT. in quo conuiuarum numerum hac lege definit, vt neque minor quam Gratiarum ſit neque quam Muſarum numeroſior, hic video, excepto rege conuiuij, tot vos eſſe quot Muſæ ſunt. quid ergo perfecto numero quæritis adijciendos? & Vettius, Hoc, inquit,





nobis præſentia veſtra præſtabit, vt & Muſas impleamus & Gratias: quas ad feſtum deorum omnium principis æquum eſt conuenire. Cum igitur conſediſſent: Horus Auienum intuens, quem familiarius frequentare ſolitus erat, In huius, inquit, Saturni cultu, quem deorum principem dicitis, ritus veſter ab Ægyptiorum religioſiſſima gente diſſentit. nam illi neque Saturnum nec ipſum Serapim receperant in arcana templorum, vſque ad Alexandri Macedonis occaſum. poſt quem tyrannide Ptolemæorum preſſi hos quoque deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur, coacti ſunt. ita tamen imperio paruerunt; vt non omnino religionis ſuæ obſeruata confunderent. nam quia numquam fas fuit Ægyptijs pecudibus aut ſanguine, ſed precibus & ture ſolo placare deos; his autem duobus aduenis hoſtiæ erant ex more mactandæ: fana eorum extra pomœrium locauerunt; vt & illi ſacrificij ſollemnis ſibi cruore colerentur, nec tamen vrbana templa morte pecudum polluerentur. nullum itaque Ægypti oppidum intra muros ſuos aut Saturni aut Serapis fanum recepit. horum alterum vix ægreq. a vobis admiſſum audio: Saturnum vero vel maximo inter ceteros honore celebratis. ſi ergo nihil eſt quod me hoc ſcire prohibeat volo in medium proferatur. Hic Auienus in Prætextatum exſpectationem conſulentis remittens, Licet omnes, ait, qui aſſunt pari doctrina polleant; ſacrorum tamen Vettius vnice conſcius poteſt tibi & originem cultus qui huic deo penditur & cauſam feſti ſollemnis aperire. Quod cum Prætextatus in alios refundere tentaſſet: omnes ab eo impetrauerunt vt ipſe diſſereret. tunc ille ſilentio facto ita exorſus eſt. Saturnaliorum originem illam mihi in medium proferre fas eſt; non quæ ad arcanam diuinitatis naturam refertur, ſed quæ aut fabuloſis admixta diſſeritur aut a phyſicis in vulgus aperitur. nam occultas & manantes ex meri veri fon-

*te rationes ne in ipſis quidem ſacris enarrari permittitur. ſed ſi quis illas aſſequitur; continere intra conſcientiam tectas iubetur. Vnde quæ ſciri fas eſt Horus noſter licebit mecum recognoſcat. Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. qui, vt Higinus Protarchum Trallianum ſecutus tradit, cum Cameſe æque indigena terram hanc ita participata potentia poßidebant; vt regio Cameſene, oppidum Ianiculum vocitaretur. Poſt ad Ianum ſolum regnum redactum eſt; qui creditur geminam faciem prætuliſſe, vt quæ ante quæque poſt tergum eſſent intueretur. quod proculdubio ad prudentiam regis ſollertiamque referendum eſt, qui & præterita noßet & futura proſpiceret, ſicut Anteuorta & Poſtuorta diuinitatis ſcilicet aptiſſimæ comites apud Romanos coluntur. Hic igitur Ianus, cum Saturnum claſſe peruectum excepißet hoſpitio & ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate munerauit. cum primus quoque æra ſignaret; ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt, quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero nauis exprimeretur; quo Saturni memoriam in poſteros propagaret. ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu; cum pueri denarios in ſublime iactantes,* capita aut nauia, *luſu teſte vetuſtatis exclamant. Hos vna concordeſque regnaſſe vicinaque oppida communi opera condidiſſe, præter Maronem qui refert,*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen: *etiam illud in promptu eſt, quod poſteri quoque duos eis continuos menſes dicarunt; vt December ſacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum poßideret. Cum inter hæc ſubito Saturnus non comparuiſſet: excogitauit Ianus honorum eius augmenta. ac primum terram omnem ditioni ſuæ parentem Saturniam nominauit: aram deinde cum ſacris tamquam*

*tamquam*



*tamquam deo condidit, quæ Saturnalia nominauit. tot ſæculis Saturnalia præcedunt Romanæ vrbis ætatem. obſeruari igitur eum iußit maieſtate religionis quaſi vitæ melioris auctorem. ſimulacrum eius indicio eſt; cui falcem inſigne meßis adiecit. Huic deo inſertiones ſurculorum pomorumque educationes & omnium cuiuſcemodi fertilium tribuunt diſciplinas. Cyrenenſes etiam, cum rem diuinam ei faciunt, ficis recentibus coronantur placentaſque mutuo miſſitant, mellis & fructuum repertorem Saturnum æſtimantes. Hunc Romani etiam Stercutum vocant; quod primus ſtercore fecunditatem agris comparauerit. Regni eius tempora feliciſſima feruntur cum propter rerum copiam, tum etiam quod nondum quiſquam ſeruitio vel libertate diſcriminabatur. quæ res intelligi poteſt, quod Saturnalibus tota ſeruis licentia permittitur. alia Saturnaliorum cauſa ſic traditur. Qui erant ab Hercule in Italia relicti, vt quidam ferunt, irato quod incuſtoditum fuiſſet armentum, vt non nulli æſtimant, conſulto eos relinquente vt aram ſuam atque ædem ab incurſionibus tuerētur. hi ergo, cum a latronibus infeſtarentur, occupato edito colle Saturnios ſe nominauerūt, quo ante nomine etiam idem collis vocabatur. &, quia ſe huius dei ſenſerunt nomine ac religione tutos; inſtituiſſe Saturnalia feruntur, vt agreſtes vicinorum animos ad maiorem ſacri reuerentiam ipſa indicti feſti obſeruatio vocaret. Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus aßignatur, ignoro: quod Pelaſgi, ſicut Varro memorat, cum ſedibus ſuis pulſi diuerſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam, & incerti quibus hærerent locis eiuſmodi accepere reſponſum:*

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν
Ἠδ᾽ Ἀβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται,
Αἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

*acceptaque ſorte, cum Latium poſt errores plurimos appuliſſent, in lacu Cutulienſi enatam inſulam deprehenderunt. ampliſsimus enim ceſpes ſiue ille continens limus ſeu paludis fuit, coacta compage, virgultis & arboribus in ſiluæ licentiam comptus iactantibus per amnem fluctibus vagabatur; vt fides ex hoc etiam Delo facta ſit, quæ celſa montibus vaſta campis tamen per maria ambulabat. hoc igitur miraculo deprehenſo has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt: vaſtatiſque Sicilienſibus incolis occupauere regionem, decima prædæ ſecundum reſponſum Apollini conſecrata, erectiſque Diti ſacello & Saturno ara: cuius feſtum Saturnalia nominarunt. cumque diu humanis capitibus Ditem & virorum victimis Saturnum placare ſe crederent propter oraculum in quo erat;*

Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα:

*Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem ſuaſiſſe illorum poſteris vt fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, inferentes Diti non hominum capita ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata; & aras Saturnias non mactando viros ſed accenſis luminibus excolentes: quia non ſolum virum ſed & lumina phota ſignificat. inde mos per Saturnalia miſsitandis cereis cœpit. alij cereos non ob aliud mitti putant, quam quod hoc principe ab incomi & tenebroſa vita quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editi ſumus. Illud quoque in litteris inuenio; quod, cum multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam a clientibus ambitioſe munera exigerent, idque onus tenuiores grauaret: Publicius tribunus plebi tulit, non niſi ditioribus cerei miſsitarentur. Hic Albinus Cæcina ſubiecit: Qualem nunc permutationem ſacrificij, Prætextate, memoraſti, inuenio poſtea compitalibus celebratam; cum ludi per vrbem in compitis agitabantur reſtituti ſcilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ, ex reſponſo Apollinis: quo præceptum*





*eſt vt pro capitibus, capitibus ſupplicaretur. idque aliquandiu obſeruatum, vt pro familiarium ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larum. quod ſacrificij genus Iunius Brutus conſul Tarquinio pulſo aliter conſtituit celebrandum. nam capitibus allij & papaueris ſupplicari iuſſit, vt reſponſo Apollinis ſatiſfieret de nomine capitum; remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis: factumq. eſt vt effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent: ludoſque ipſos ex viis compitorum in quibus agitabantur Compitalia appellitauerunt. ſed perge cetera. tum Prætextatus: Bene & opportune ſimilis emendatio ſacrificiorum relata eſt. ſed ex his cauſis quæ de origine huius feſti relatæ ſunt apparet Saturnalia vetuſtiora eſſe vrbe Romana: adeo, vt ante Romam in Græcia hoc ſollemne cœpiſſe L. Accius in annalibus ſuis referat his verſibus:*

Maxima pars Graium Saturno & maxime Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis;
Eumque diem celebrant: per agros vrbeſque fere omnes
Exercent epulis læti: famuloſque procurant
Quiſque ſuos: noſtrique itidem, & mos traditus illinc
Iſte, vt cum dominis famuli epulentur ibidem.

## CAP. IIX.

De templo Saturni deque his quæ in huius æde aut imagine viſuntur, & quomodo intelligenda ſint ea quæ de hoc deo fabuloſe dici conſueuerunt.

*NVNC de ipſo dei templo pauca referenda ſunt. Tullum Hoſtilium, cum bis de Albanis, de Sabinis tertio trium-*

*triumphaſſet, inueni fanum Saturno ex voto conſecrauiſſe; & Saturnalia tunc primum Romæ inſtituta; quamuis Varro libro ſexto, qui eſt de ſacris ædibus, ſcribat ædem Saturni ad forum faciendam locaſſe L. Tarquinium regem; Titum vero Larcium dictatorem Saturnalibus eam dedicaſſe. Nec me fugit Gellium ſcribere ſenatum decreviſſe vt ædes Saturni fieret: eique rei L. Furium tribunum militum præfuiſſe. Habet aram & ante ſenaculum. illic Græco ritu capite aperto res diuina fit: quia primo a Pelaſgis, poſt ab Hercule ita eam a principio factitatam putant. Ædem vero Saturni ærarium Romani eſſe voluerunt, quod tempore quo incoluit Italiam fertur nullum in eius finibus furtum eſſe commiſſum: aut quia ſub illo nihil erat cuiuſquam priuatum;*

Nec ſignare ſolum aut partiri limite campum
Fas erat. in medium quærebant.

*ideo apud eum locaretur populi pecunia communis, ſub quo fuiſſent cunctis vniuerſa communia. Illud non omiſerim, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos: quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria clara & quaſi vocalis eſt; ante vero muta & obſcura & incognita. quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ & abſconditæ. Cur autem Saturnus ipſe in compedibus viſatur Verrius Flaccus cauſam ſe ignorare dicit. verum mihi Apollodori lectio ſic ſuggerit: Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & ſolui ad diem ſibi feſtum, id eſt, menſe hoc decembri: atque inde prouerbium ductum; deos laneos pedes habere. ſignificari vero decimo menſe ſemen in vtero animatum in vitam grandeſcere: quod donec erumpat in lucem mollibus naturæ vinculis detinetur. Eſt porro idem* κρόνος καὶ χρόνος. *Saturnum enim inquantum mythici fictionibus diſtrahunt, intantum phyſici ad quandam veriſimilitudinem reuocant. hunc aiunt abſcidiſſe*

abſcidiſſe



*abſcidiſſe Cæli patris pudenda: quibus in mare deiectis Venerem procreatam; quæ a ſpuma vnde coaluit Afrodite nomen accepit. ex quo intelligi volunt cum chaos eſſet tempora non fuiſſe. ſiquidem tempus eſt certa dimenſio quæ ex cæli conuerſione colligitur, tempus cœpit inde. ab ipſo natus putatur* κρόνος, *qui, vt diximus,* χρόνος *eſt. cumque ſemina rerum omnium poſt cælum gignendarum de cælo fluerent, & elementa vniuerſa quæ mundo plenitudinem facerent ex illis ſeminibus funderentur: vbi mundus omnibus ſuis partibus membriſque perfectus eſt; certo iam tempore finis factus eſt procedendi de cælo ſemina ad elementorum conceptionem. quippe quæ iam plena fuerant procreata. animalium vero æternam propagationem ad Venerem generandi facultas ex humore tranſlata eſt: vt per coitum maris feminæque cuncta deinceps gignerentur. Propter abſciſionis pudendorum fabulam etiam noſtri eum Saturnum vocitarunt,* παρὰ τὴν σάθην. *quæ membrum virile declarat, veluti Sathimnum. vnde etiam Satyros veluti Sathimnos, quod ſint in libidinem proni, appellatos opinantur. falcem ei quidem putant attributam, quod tempus omnia metat, exſecet & incidat. hunc aiunt filios ſuos ſolitum deuorare, eoſdemque rurſus euomere. per quod ſimiliter ſignificatur eum tempus eſſe; a quo vicibus cuncta gignantur abſumanturque, & ex eo denuo renaſcantur. eundemque a filio pulſum quid aliud eſt, quam tempora ſeneſcentia ab his quæ poſt ſunt nata depelli? Vinctum autem: quod certa lege naturæ connexa ſint tempora; vel quod omnes fruges quibuſdam vinculis nodiſque alternentur. nam & falcem volunt fabulæ in Siciliam decidiſſe; quod ſit terra iſta vel maxime fertilis.*

## CAP. IX.

### Quis deus Ianus, deque variis eius dei nominibus & poteſtate.

ET quia Ianum cum Saturno regnaſſe memorauimus, de Saturno autem quid mythici quid phyſici æſtiment iam relatum eſt: de Iano quoque quid ab vtriſque iactetur in medium proferemus. Mythici referunt regnante Iano omnium domos religione ac ſanctitate fuiſſe munitas: idcircoque ei diuinos honores eſſe decretos, & ob merita introitus & exitus ædium eidem conſecratos. Xenon quoque primo Italicon tradit Ianum in Italia primum dis templa feciſſe & ritus inſtituiſſe ſacrorum; ideo eum in ſacrificijs præfationem meruiſſe perpetuam. quidam ideo eum dici bifrontem putant; quod & præterita ſciuerit, & futura prouiderit. Sed phyſici eum magnis conſecrant argumentis diuinitatis. nam ſunt qui Ianum eundem eſſe atque Apollinem & Dianam dicant, & in hoc vno vtrumque exprimi numen affirment. Etenim, ſicut Nigidius quoque refert, apud Græcos Apollo colitur qui Θυραῖος vocatur: eiuſque aras ante fores ſuas celebrant ipſum exitus & introitus demonſtrantes potentem. idem Apollo apud illos Ἀγυιεὺς nuncupatur; quaſi viis præpoſitus vrbanis. illi enim vias, quæ intra pomœria ſunt, ἀγυιὰς appellant. Dianæ vero vt Triuiæ viarum omnium ijdem tribuunt poteſtatem. ſed apud nos Ianum omnibus præeſſe ianuis nomen oſtendit, quod ſimile Θυραίῳ. nam & cum claui ac virga figuratur: quaſi omnium & portarum cuſtos & rector viarum. pronuntiauit Nigidius Apollinem Ianum eſſe, Dianamque Ianam; appoſita, d, littera, quæ ſæpe, i, litteræ cauſa decoris apponitur; vt, reditur, redhibetur, redintegratur, & ſimilia. Ianum quidam ſolem demonſtrari volunt; & ideo geminum,

num,

num, quaſi vtriuſque ianuæ cæleſtis potentem; qui exoriens aperiat diem occidens claudat: inuocarique primum, cum alicui deo res diuina celebratur; vt per eum pateat ad illum cui immolatur acceſſus: quaſi preces ſupplicum per portas ſuas ad deos ipſe tranſmittat. inde & ſimulacrum eius plerunque fingitur manu dextera trecentorum & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum retinens; ad demonſtrandam anni dimenſionem, quæ præcipua eſt ſolis poteſtas. alij mundum, id eſt, cælum eſſe voluerunt; Ianumque ab eundo dictum, quod mundus ſemper eat dum in orbem voluitur, & ex ſe initium faciens in ſe refertur. vnde & Cornificius Etymorum libro tertio, Cicero, inquit, non Ianum ſed Eanum nominat ab eundo. hinc & Phœnices in ſacris imaginem eius exprimentes draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque ſuam deuorantem; vt appareat mundum & ex ſeipſo ali & in ſe reuolui. ideo & apud nos in quatuor partes ſpectat; vt demonſtrat ſimulacrum eius Faleris aduectum. Gauius Baſſus, in eo libro quem de dis compoſuit, Ianum bifrontem fingi ait quaſi ſuperum atque inferum ianitorem; eumdem quadriformem quaſi vniuerſa climata maieſtate complexum. Saliorum quoque antiquiſſimis carminibus deorum deus canitur. Marcus etiam Meſſalla Cn. Domitij in conſulatu collega idemque per annos quinquaginta & quinque augur de Iano ita incipit: Qui cuncta fingit eademque regit, aquæ terræque vim ac naturam grauem atque pronam in profundum dilabentem, ignis atq. animæ leuem immenſum in ſublime fugientem copulauit circumdato cælo: quæ vis cæli maxima duas vis diſpares colligauit. In ſacris quoque inuocamus Ianum geminum, Ianum Patrem, Ianum Iunonium, Ianum Conſiuium, Ianum Quirinum, Ianum Patulcium & Cluſiuium. Cur geminum inuocemus ſupra iam diximus. Patrem, quaſi deorum deum; Iunonium,

nium,

*nium, quaſi non ſolum menſis Ianuarij ſed omnium menſium ingreſſus tenentem. in ditione autem Iunonis ſunt omnes kalendæ. vnde & Varro libro quinto rerum diuinarum ſcribit Iano duodecim aras pro totidem menſibus dedicatas. Conſiuium, a conſerendo, id eſt, a propagine generis humani, quæ Iano auctore conſeritur; Quirinum, quaſi bellorum potentem ab haſta quam Sabini curim vocant; Patulcium & Cluſiuium, quia bello caulæ eius patent, pace clauduntur. huius autem rei hæc cauſa narratur. Cum bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commiſſum eſt, Romani portam quæ ſub radicibus collis Viminalis erat, quæ poſtea ex euentu Ianualis vocata eſt, claudere feſtinarent, quia in ipſam hoſtes ruebant: poſtquam eſt clauſa; mox ſponte patefacta eſt: cumque iterum ac tertio idem contigiſſet; armati plurimi pro limine quia claudere nequibant cuſtodes ſteterunt, cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur: ſubito fama pertulit fuſos a Tatio noſtros. Quam ob cauſam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt. cumque Sabini per portam patentem irrupturi eſſent; fertur ex æde Iani per hanc portam magnam vim torrentium vndis ſcatentibus erupiſſe; multaſque perduellium cateruas aut exuſtas feruenti aut deuoratas rapida voragine deperiiſſe. ea re placitum, vt belli tempore velut ad vrbis auxilium profecto deo fores reſerarentur. hæc de Iano.*

## CAP. X.

Quo die Saturnalia celebrari conſueverint, & quod primo vno tantum, deinde pluribus diebus ſunt celebrata.

SED, *vt ad Saturnalia reuertamur, bellum Saturnalibus ſumere nefas habitum. pœnas a nocente iſdem diebus exigere piaculare eſt. Apud maiores noſtros Saturnalia die vno finiebantur; qui erat ad quartumdecimum Kalendas*

*lendas*



*lendas Ianuarias. ſed, poſtquam C. Cæſar huic menſi duos addidit dies, ſextodecimo cœpta celebrari. ea re factum eſt vt, cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique a C. Cæſare inſerto die & alij vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur. licet & apud veteres opinio fuerit ſeptem diebus peragi Saturnalia; ſi opinio vocanda eſt quæ idoneis firmatur auctoribus. Nouius enim probatiſſimus Atellanarum ſcriptor ait,*

Olim exſpectata veniunt ſeptem Saturnalia.

*Mummius quoque, qui poſt Nouium & Pomponium diu iacentem artem Atellaniam ſuſcitauit,* Noſtri, *inquit,* maiores velut bene multa inſtituere; hoc optime; A frigore fecere ſummo dies ſeptem Saturnalia. *Sed Mallius ait eos qui ſe, vt ſupra diximus, Saturni nomine & religione defenderant per triduum feſtos inſtituiſſe dies, & Saturnalia vocauiſſe.* vnde & Auguſtus, huius rei, *inquit*, opinionem ſecutus in legibus iudiciariis triduo ſeruari ferias iuſſit. *Maſurius & alij vno die, id eſt, quartodecimo Kalendas Ianuarias fuiſſe Saturnalia crediderunt, quorum ſententiam Feneſtella confirmat, dicens Æmiliam virginem quintodecimo Kalendarum Ianuariarum eſſe damnatam. Quo die, ſi Saturnalia gererentur, nec cauſam omnino dixiſſet. deinde adiecit:* Sequebantur eum diem Saturnalia. *mox ait,* Poſtero autem die, qui fuit tertiusdecimus Kalendarum Ianuariarum, Liciniam virginem vt cauſam diceret iuſſam. *ex quo oſtendit tertiodecimo Kalend. profeſtum eſſe. duodecimo vero feriæ ſunt diuæ Angeroniæ, cui pontifices in ſacello Volupiæ ſacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac animorum ſolicitudines propiciata depellat. Maſurius adiicit ſimulacrum huius deæ ore obligato atque ſignato in ara Volupiæ propterea collocatum; quod qui ſuos dolores anxietateſque diſſimulant perueniant patientia bene-*

*tia bene-*

tiæ beneficio ad maximam voluptatem. Iulius Modeſtus ideo ſacrificari huic deæ dicit; quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmiſſo voto ſit liberatus. Vndecimo autem Kalendas feriæ ſunt Laribus conſecratæ; quibus ædem bello Antiochi Æmilius Regillus prætor in campo Martio curandam vouit. Decimo Kalendas feriæ ſunt Iouis, quæ appellantur Larentinalia; de quibus, quia fabulari libet, hæ fere opiniones ſunt. Ferunt enim regnante Anco ædituum Herculis per ferias otiantem deum teſſeris prouocaſſe ipſo vtriuſque manum tuente; adiecta conditione vt victus cœna ſcortoque multaretur. victore itaque Hercule illum Accam Larentiam per id tempus nobiliſſimum ſcortum intra ædem incluſiſſe cum cœna; eamque poſtero die diſtuliſſe rumorem quod poſt concubitum dei accepiſſet munus; nec commodum primæ occaſionis, cum ſe domum reciperet, offerendæ aſpernaretur. eueniſſe itaque vt egreſſa templo mox a Carucio capto eius pulchritudine compellaretur, cuius voluntatem ſecuta aſſumptaque nuptiis, poſt obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet populum Romanum nuncupauit heredem. & ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo vrbis ſepulta eſt: ac ſollemne ſacrificium eidem conſtitutum, quo dis manibus eius per flaminem ſacrificaretur, Iouique feriæ conſecratæ, quia æſtimauerunt antiqui animas a Ioue dari & rurſus poſt mortem eidem reddi. Cato ait Larentiam meretricio quæſtu locupletatam poſt exceſſum ſuum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lutirium & Solinium reliquiſſe; & ideo ſepulchri magnificentia & annuæ parentationis honore dignatam. Macer hiſtoriarum libro primo Fauſtuli coniugem Accam Larentiam Romuli & Remi nutricem fuiſſe confirmat. Hanc regnante Romulo Carucio cuidam Tuſco diuiti denuptam, auctamque hereditate viri, quam poſt Romulo quem educaſſet reliquit: & ab eo parentalia diem-

talia diem-



talia diemque feſtum cauſa pietatis ſtatutum. ex his ergo omnibus colligi poteſt & vno die Saturnalia fuiſſe. & non niſi quartodecimo Kalendarum Ianuariarum celebrata: quo ſolo die apud ædem Saturni conuiuio diſſoluto Saturnalia clamitabantur; qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cum primum Saturno pariter & Opi fuerit adſcriptus. Hanc autem deam Opem Saturni coniugem crediderunt; & ideo hoc menſe Saturnalia itemque Opalia celebrari: quod Saturnus eiuſque vxor tam frugum quam fructuum repertores eſſe credantur. itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos coli quaſi vitæ cultioris auctores; quos etiam nonnullis cælum ac terram eſſe perſuaſum eſt; Saturnumque a ſatu dictum, cuius cauſa de cælo eſt: & terram Opem; cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur; vel ab opere, per quod fructus frugeſque naſcuntur. Huic deæ ſedentes vota concipiunt, terramque de induſtria tangunt; demonſtrantes & ipſam matrem eſſe terram mortalibus appetendam. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem dicit, eoſque deos pro Ioue terraque coluiſſe, inſtituiſſeque vt patreſfamiliarum & frugibus & fructibus iam coactis paſſim cum ſeruis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerant. delectari enim deum honore ſeruorum contemplatu laboris. hinc eſt quod ex inſtituto peregrino huic deo ſacrum aperto capite facimus. abunde iam probaſſe nos æſtimo Saturnalia vno tantum die, id eſt quartodecimo Kalendarum ſolita celebrari: ſed poſt in triduum propagata primum ex adiectis a Cæſare huic menſi diebus, deinde ex edicto Auguſti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. a ſextodecimo igitur cœpta in quartumdecimum deſinunt; quo ſolo fieri ante conſueuerant. ſed Sigillariorum adiecta celebritas in ſeptem dies diſcurſum publicum & lætitiam religionis extendit.

CAP.

## CAP. XI.

Non eſſe contemnendam ſortem ſeruorum, cum & dij horum curam gerant, & multos ex his fideles, prouidos, fortes, & philoſophos quoque fuiſſe conſtet: tum ſigillariorum origo quæ fuerit.

*TVNC Euangelus, Hoc quidem, inquit, iam ferre non poſſum, quod Prætextatus noſter in ingenij ſui pompam & oſtentationem loquendi vel paulo ante honori alicuius dei aßignari voluit, quod ſerui cum dominis veſcerentur: quaſi vero curent diuina de ſeruis; aut ſapiens quiſquam domi ſuæ contumeliam tam fœdæ ſocietatis admittat; vel Sigillaria, quæ luſum reptanti adhuc infantiæ oſcillis fictilibus præbent, tentat officio religionis adſcribere. & quia princeps religioſorum putatur, nonnulla etiam ſuperſtitionis admiſcet quaſi vero nobis fas non ſit Prætextato aliquando non credere. Hic cum omnes exhorruiſſent: Prætextatus renidens; Superſtitioſum me Euangele nec dignum cui credatur æſtimes volo, niſi vtriusque tibi rei fidem ratio aſſerta monſtrauerit. &, vt primum de ſeruis loquamur, ioco ne an ſerio putas eſſe hominum genus quod di immortales nec cura ſua nec prouidentia dignentur? an forte ſeruos in hominum numero eſſe non pateris? audi igitur quanta indignatio de ſerui ſupplicio cælum penetrauerit. anno enim poſt Romam conditam quadringenteſimo quadrageſimo quarto Autronius quidam Maximus ſeruum ſuum verberatum patibuloque conſtrictum ante ſpectaculi commiſſionem per circum egit. ob quam cauſam indignatus Iupiter Annio cuidam per quietem imperauit vt ſenatui nuntiaret non ſibi placuiſſe plenum crudelitatis admiſſum. quo diſſimulante; filium ipſius mors repentina conſumpſit: ac, poſt ſecundam denunciationem, ob eandem negligentiam, ipſe*





*quoque in ſubitam corporis debilitatem ſolutus eſt. ſic demum ex conſilio amicorum lectica delatus ſenatui retulit: & vix conſummato ſermone ſine mora recuperata bona valetudine curia pedibus egreſſus eſt. ex ſenatus itaque conſulto & Mæuia lege ad propitiandum Iouem additus eſt illis Circenſibus dies is, qui inſtauratitius dictus eſt non a patibulo, vt quidam putant Græco nomine ἀπὸ τῦ ςαυρῦ, ſed a redintegratione, vt Varroni placet; qui inſtaurare ait eſſe inſtar nouare. vides quanto de ſeruo ad deorum ſummum cura peruenerit. tibi autem vnde in ſeruos tantum & tam immane faſtidium? quaſi non ex iiſdem tibi & conſtent & alantur elementis, eundemque ſpiritum ab eodem principe carpant. vis tu cogitare eos quos ius tuum vocas, iſdem ſeminibus ortos eodem frui cælo, æque viuere æque mori? ſerui ſunt, imo homines. ſerui ſunt, imo conſerui. ſi cogitaueris tantundem in vtroſque licere fortunæ: tam tu illum videre liberum potes, quam ille te ſeruum. neſcis qua ætate Hecuba ſeruire cœpit, qua Crœſus, qua Darij mater, qua Diogenes, qua Platon ipſe? poſtremo quid ita nomen ſeruitutis horremus? ſeruus eſt quidem, ſed neceßitate: ſed fortaſſe libero animo ſeruus eſt. hoc illi nocebit, ſi oſtenderis quis non ſit. alius libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes ſpei, omnes timori. & certe nulla ſeruitus turpior quam voluntaria. at nos iugo a fortuna impoſito ſubiacentem tanquam miſerum vilemque calcamus: quod vero nos noſtris ceruicibus inſerimus; non patimur reprehendi. inuenies inter ſeruos aliquem pecunia fortiorem. inuenies dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſeruorum manibus infigentem. non ergo fortuna homines æſtimabo ſed moribus. ſibi quiſque dat mores: conditionem caſus aßignat. Quemadmodum ſtultus eſt qui empturus equum non ipſum inſpicit ſed ſtratum eius ac frenos: ſic ſtultißimus eſt, qui hominem aut ex veſte aut ex conditione, quæ modo ve-*

ſtis nobis circundata eſt, æſtimandum putat. Non eſt, mi Euangele, quod amicum tantum in foro & in curia quæras. ſi diligenter attenderis, inuenies & domi. tu modo viue cum ſeruo clementer. comiter quoque & in ſermonem illum & nonnumquam in neceſſarium admitte conſilium. nam & maiores noſtri omnem dominis inuidiam, omnem ſeruis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, ſeruos familiares appellauerunt. colant ergo te potius ſerui tui, mihi crede, quam timeant. Dicet aliquis nunc me dominos de faſtigio ſuo deiicere, & quodammodo ad pileum ſeruos vocare; quos debere dixi magis colere quam timere. hoc qui ſenſerit, obliuiſcetur id dominis parum non eſſe, quod dis ſatis eſt. deinde qui colitur etiam amatur. non poteſt amor cum timore miſceri. vnde putas arrogantiſſimum illud manaſſe prouerbium, quo iactatur totidem hoſtes nobis eſſe quot ſeruos? Non habemus illos hoſtes, ſed facimus; cum in illos ſuperbiſſimi, contumelioſiſſimi, crudeliſſimi ſumus; & ad rabiem nos cogunt peruenire deliciæ, vt, quicquid non ex voluntate reſpondit, iram furoremque euocet. Domi enim nobis animos induimus tyrannorum; &, non quantum decet ſed quantum licet, exercere volumus in ſeruos. nam, vt cetera crudelitatis genera prætercam, ſunt qui, dum ſe, menſæ copiis & auiditate diſtendunt, circumſtantibus ſeruis mouere labra nec in hoc quidem vt loquantur licere permittant. virga murmur omne compeſcitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta ſunt. tuſſis, ſternutamentum, ſingultus magno malo luitur. ſic fit vt iſti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. at illi, quibus non tantum præſentibus dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum os non conſuebatur, parati erant cum domino porrigere ceruicem & periculum imminẽs in caput ſuum vertere. in conuiuiis loquebantur; ſed in tormentis tacebant. Vis exercitas in ſeruili pectore virtutes recenſeamus? primus tibi Vrbinus occurrat: qui cum iuſſus occidi in Reatino lateret, latebris proditus, vnus ex ſeruis anulo eius & veſte inſignitus in cubiculo, ad quod irruebant qui perſequebantur, pro domino iacuit; militibusque ingredientibus ceruicem præbuit, & ictum tamquam Vrbinus excepit. Vrbinus poſtea reſtitutus monumentum ei fecit, titulo ſcriptionis qui tantum meritum loqueretur adiecto. Æſopus libertus Demoſthenis conſcius adulterij, quod cum Iulia patronus admiſerat, tortus diutiſſime perſeuerauit non prodere patronum; donec alijs coarguentibus conſcijs Demoſthenes ipſe fateretur. & ne æſtimes ab vno facile celari poſſe ſecretum: Labienum ope libertorum latentem vt indicarent liberti nullo tormentorum genere compulſi ſunt. Ac ne quis libertos dicat hanc fidem beneficio potius libertatis acceptæ quam ingenio debuiſſe; accipe ſerui in dominum benignitatem cum ipſe a domino puniretur. Antium enim Reſtionem proſcriptum ſolumque nocte fugientem, diripientibus bona eius aliis, ſeruus compeditus inſcripta fronte, cum poſt damnationem domini aliena eſſet miſericordia ſolutus, fugientem perſecutus eſt: hortatuſque ne ſe timeret ſcientem contumeliam ſuam fortunæ imputandam eſſe non domino: abditumque miniſterio ſuo aluit. cum deinde perſequentes adeſſe ſenſiſſet; ſenem, quem caſus obtulit, iugulauit, & in conſtructam pyram coniecit. qua accenſa occurrit eis qui Reſtionem quærebant, dicens damnatum ſibi pœnas luiſſe, multo acrius a ſe vexatum quam ipſe vexauerat: & fide habita Reſtio liberatus eſt. Cæpionem quoque, qui in Auguſti necem fuerat animatus, poſtquam detecto ſcelere damnatus eſt, ſeruus ad Tiberim in ciſta detulit; peruectumque Hoſtiam inde in agrum Laurentem ad villam patris nocturno itinere perduxit. Cumis deinde nauigationis naufragio vna expulſum dominum Neapoli diſſimulanter occuluit: exceptuſque a centurione nec precio

nec minus vt dominum proderet potuit adduci. Aſinio etiam Pollione acerbe cogente Patauinos, vt pecuniam & arma conferrent, dominiſque ob hoc latentibus, præmio ſeruis cum libertate propoſito qui dominos ſuos proderent; conſtat ſeruorum nullum victum præmio dominum prodidiſſe. Audi in ſeruis non fidem tantum ſed & fecundum bonæ inuentionis ingenium. Cum premeret obſidio Grumentum: ſerui relicta domina ad hoſtes transfugerunt. capto deinde oppido impetum in domum habita conſpiratione fecerunt, & extraxerunt dominam vultu pœnam minante ac voce obuiis aſſerente quod tandem ſibi data eſſet copia crudelem dominam puniendi: raptamque quaſi ad ſupplicium obſequiis plenis pietate tutati ſunt. Vide in hac fortuna etiam magnanimitatem exitum mortis ludibrio præferentem. C. Vettium Pelignum Italicenſem comprehenſum a cohortibus ſuis vt Pompeio traderetur ſeruus eius occidit; ac ſe, ne domino ſuperſtes fieret, interemit. C. Graccum ex Auentino fugientem Euporus ſeruus, vel, vt quidam tradunt, Philocrates dum aliqua ſpes ſalutis erat indiuulſus comes qua potuit ratione tutatus eſt: ſuper occiſum deinde animam ſciſſis proprio vulnere viſceribus effudit. Ipſum P. Scipionem Africani patrem, poſtquam cum Annibale conflixerat, ſaucium in equum ſeruus impoſuit; & ceteris deſerentibus, ſolus in caſtra perduxit. Parum fuerit dominis præſtitiſſe viuentibus. Quid? quod in his quoque exigendæ vindictæ reperitur animoſitas? nam Seleuci regis ſeruus, cum ſeruiret amico eius a quo dominus fuerat interemptus, cœnantem in vltionem domini confodit. quid? quod duas virtutes, quæ inter nobiles quoque vnice claræ ſunt, in vno video fuiſſe mancipio, imperium regendi peritiam & imperium contemnendi magnanimitatem? Anaxilaus enim Meſſenius, qui Meſſanam in Sicilia condidit, fuit Rhegynorum tyrannus. is cum paruos relinqueret liberos

Micitho



Micitho ſeruo ſuo commendaſſe contentus eſt. is tutelam ſancte geſſit; imperiumque tam clementer obtinuit, vt Rhegyni a ſeruo regi non dedignarentur. perductis deinde in ætatem pueris & bona & imperium tradidit. ipſe paruo viatico ſumpto profectus eſt; & Olympiæ cum ſumma tranquillitate conſenuit. quid etiam in commune ſeruilis fortuna profuerit non paucis docetur. Bello Punico, cum deeſſent qui ſcriberentur, ſerui pro dominis pugnaturos ſe polliciti in ciuitatem recepti ſunt; & Volones, quia ſponte hoc voluerunt, appellati. ad Cannas quoque victis Romanis octo milia ſeruorum empta militauerunt: cumque minoris captiui redimi poſſent: maluit ſe reſpublica ſeruis in tanta tempeſtate committere. ſed & poſt calamitatem apud Thraſumenum notæ cladis acceptam libertini quoque in ſacramentum vocati ſunt. bello ſociali cohortium duodecim ex libertinis conſcriptarum opera memorabilis virtutis apparuit. C. Cæſarem, cum milites in amiſſorum locum ſubſtitueret, ſeruos quoque ab amicis accepiſſe & eorum forti opera vſum eſſe comperimus. Cæſar Auguſtus in Germania & Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellauit. ac ne putes hæc in noſtra tantum contigiſſe republica, Boryſthenitæ oppugnante Zopyrione ſeruis liberatis dataque ciuitate peregrinis & factis tabulis nouis hoſtem ſuſtinere potuerunt. Cleomenes Lacedæmonius, cum mille & quingenti ſoli Lacedæmonij qui arma ferre poſſent ſuperfuiſſent, ex ſeruis manumiſſis bellatorum nouem milia conſcripſit. Athenienſes quoque conſumptis publicis opibus ſeruis libertatem dederunt. ac ne in ſolo virili ſexu æſtimes inter ſeruos extitiſſe virtutes; accipe ancillarum factum non minus memorabile; nec quo vtilius reipublicæ in vlla nobilitate reperias. Nonis Iuliis diem feſtum eſſe ancillarum tam vulgo notum eſt, vt nec origo nec cauſa celebritatis ignota ſit. Iunoni enim Caprotinæ die illo libera pa-

 bera pa-

*bera pariter ancillæque ſacrificant ſub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis quæ in ancillarum animis pro conſeruatione publicæ dignitatis apparuit. nam poſt vrbem captam cum ſedatus eſſet Gallicus motus; reſpublica vero eſſet ad tenue deducta: finitimi oportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati præfecerunt ſibi Poſtumium Liuium Fidenatium dictatorem. qui mandatis ad ſenatum miſsis poſtulauit, vt, ſi vellent reliquias ſuæ ciuitatis manere, matresfamiliæ ſibi & virgines dederentur. cumque patres eſſent in ancipiti deliberatione ſuſpenſi: ancilla nomine Tutela ſeu Philotis pollicita eſt ſe cum ceteris ancillis ſub nomine dominarum ad hoſtes ituram: habituque matrum familias & virginum ſumpto hoſtibus cum proſequentium lacrimis ad fidem doloris ingeſtæ ſunt. quæ cum a Liuio in caſtris diſtributæ fuiſſent; viros plurimo vino prouocauerunt diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes. quibus ſoporatis; ex arbore caprifico quæ caſtris erat proxima ſignum Romanis dederunt. qui cum repentina incurſione ſuperaſſent: memor beneficij ſenatus omnes ancillas manu iuſsit emitti; dotemque iis ex publico fecit, & ornatum quo tunc erant vſæ geſtare conceſsit; diemque ipſum Nonas Caprotinas nuncupauit, ab illa caprifico ex qua ſignum victoriæ ceperunt: ſacrificiumque ſtatuit annua ſollemnitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur. Sed nec ad philoſophandum ineptum vel impar ſeruile ingenium fuit. Phædon ex cohorte Socratica Socratique & Platoni perfamiliaris adeo, vt Plato eius nomini librum illum diuinum de immortalitate animæ dicaret, ſeruus fuit forma atque ingenio liberali. hunc Cebes Socraticus hortante Socrate emiſſe dicitur, habuiſſeque in philoſophiæ diſciplinis. atque is poſtea philoſophus illuſtris emerſit: ſermoneſque eius de Socrate admodum elegantes leguntur. alij quoque non pauci ſerui fuerunt; qui poſt philoſophi clari exſtiterunt. ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in ſatyris æmulatus eſt; quos alij cynicos ipſe appellat Menippeas. ſed & Philoſtrati Peripatetici ſeruus Pompolus & Senonis Stoici ſeruus qui Perſeus vocatus eſt, & Epicuri cui Mys nomen fuit, philoſophi non incelebres illa ætate vixerunt: Diogenes etiam cynicus, licet ex libertate in ſeruitutem venum ierat. quem cum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid artificij nouiſſet percuntatus eſſet: noui, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. tunc Xeniades reſponſum eius demiratus emiſit manu; filioſque ſuos ei tradens; Accipe, inquit, liberos meos quibus imperes. De Epicteto autem philoſopho nobili, quod is quoque ſeruus fuit, recentior eſt memoria quam vt poſsit inter oblitterata neſciri. cuius etiam de ſe ſcripti duo verſus feruntur: ex quibus illud latenter intelligas, non omnimodo dis exoſos eſſe, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur; ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum potuit peruenire curioſitas.*

Δοῦλος Επίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος καὶ φίλος ἀθανάτοις.

*Habes, vt opinor, aſſertum non eſſe faſtidio deſpiciendum ſeruile nomen; cum & Iouem tetigerit cura de ſeruo, & multos ex his fideles, prouidos, fortes philoſophos etiam exſtitiſſe conſtiterit. Nunc de ſigillaribus, ne ridenda me potius æſtimes quam ſancta dixiſſe, paucis recenſendum eſt. Epicadus refert Herculem occiſo Geryone, cum victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte, qui nunc ſublicius dicitur, ad tempus inſtructo hominum ſimulacra pro numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluuium demiſiſſe: vt aqua ſecunda in mare deuecta pro corporibus defunctorum veluti patriis ſedibus redderentur, & inde vſum talia ſimulacra fingēdi inter ſacra manſiſſe. Sed mihi huius rei illa origo verior æſtimatur, quam paulo ante meminire-*

mini retuliſſe. Pelaſgos, poſtquam felicior interpretatio capita non viuentium ſed fictilia, & φωτὸς æſtimationem non ſolum hominem ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet, cœpiſſe Saturno cereos potius accendere, & in ſacellum Ditis aræ Saturni cohærens oſcilla quædam pro ſuis capitibus ferre: ex illo traditum vt cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur ac venalia pararentur; quæ homines pro ſe atque ſuis piaculum pro Dite Saturno facerent. ideo Saturnalibus talium commerciorum cœpta celebritas ſeptem occupat dies; quos tamen feriatos facit eſſe non feſtos omnes. nam medio, id eſt, tertiodecimo Kalendas feſtum probauimus: & aliis hoc aſſertionibus ab his probatum eſt, qui rationem anni menſium dierumque & ordinationem a C. Cæſare digeſtam plenius retulerunt.

## CAP. XII.

### Quomodo annum ordinauerit Romulus.

CVMQVE hic facere vellet finem loquendi ſubiecit; Aurelius Symmachus; Pergin, Prætextate, eloquio tam dulci de anno quoque ediſſertare antequam experiaris moleſtiam conſulentis; ſi quis forte de præſentibus ignorat quo ordine vel apud priſcos fuerit vel certioribus poſtea regulis innouatus ſit? ad quod diſcendum ipſe mihi videris audientum animos incitaſſe de diebus menſi additis differendo. tum ille eodem ductu orandi reliqua contexit. Anni certus modus apud ſolos ſemper Ægyptios fuit. aliarum gentium diſpari numero pari errore mutabant. &, vt contentus ſim referendo paucarum morem regionum, Arcades annum ſuum tribus menſibus explicabant, Acarnanes ſex; Græci reliqui trecentis quinquaginta quatuor diebus annum proprium computabant. Non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo annum ſuum



ſuum decem habuiſſe menſibus ordinatum, qui annus incipiebat a Martio & conficiebatur diebus trecentis quatuor: vt ſex quidem menſes, id eſt, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December tricenum eſſent dierum; quatuor vero, Martius, Maius, Quintilis, October, tricenis & ſingulis expedirentur: qui hodieque ſeptimanas habent Nonas, ceteri quintanas. Septimanas autem habentibus ab idibus reuertebantur Kalendæ ad diem ſeptimumdecimum. verum habentibus quintanas ad octauumdecimum remeabat initium Kalendarum. Hæc fuit Romuli ordinatio; qui primum anni menſem genitori ſuo Marti dicauit. quem menſem anni primum fuiſſe vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipſo Quintilis quintus eſt, & deinceps pro numero nominabantur. Huius etiam prima die ignem nouum Veſtæ aris accendebant: vt incipiente anno cura denuo ſeruandi nouati ignis inciperet. eodem quoque ingrediente menſe tam in regia curiiſque atque Flaminum domibus laureæ veteres nouis laureis mutabantur. eodem quoque menſe & publice & priuatim ad Annam Perennam ſacrificatum itur; vt annare perennareque commode liceat. Hoc menſe mercedes exſoluebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit: comitia auſpicabantur; vectigalia locabant: & ſeruis cœnas apponebant matronæ, vt domini Saturnalibus. illæ, vt principio anni ad promptum obſequium honore ſeruos inuitarent; hi, quia gratiam perfecti operis exſoluerent. Secundum menſem nominauit Aprilem vt quidam putant cum adſpiratione, quaſi Aphrilem; a ſpuma quam Græci afron vocant vnde orta Venus creditur. & hanc Romuli fuiſſe aſſerunt rationem; vt primum quidem menſem a patre ſuo Marte, ſecundum ab Æneæ matre Venere nominaret: & hi potiſſimum anni principia ſeruarent, a quibus eſſet Romani nominis origo; cum hodieque in ſacris Martem patrem, Venerem genitricem vocemus. alii putant

Romulum vel altiore prudentia vel certi numinis prouidentia ita primos ordinaſſe menſes, vt, cum præcedens Marti eſſet dicatus deo plerumque hominum necatori, vt Homerus naturæ conſcius ait,

Ἄρες Ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα,

ſecundus Veneri dicaretur, quæ vim eius quaſi benefica leniret. nam & in duodecim Zodiaci ſignis, quorum certa certorum numinum domicilia creduntur, cum primum ſignum aries Marti aſsignatus ſit: ſequens mox Venerem, id eſt, taurus accepit. & rurſus e regione ſcorpius ita diuiſus eſt, vt deo eſſet vtrique communis. nec æſtimatur ratione cæleſti carere ipſa diuiſio. ſiquidem aculeo velut potentiſsimo telo pars armata poſterior domicilium Martis eſt. priorem vero partem, cui ζυγὸς apud Græcos nomen eſt nos libram vocamus, Venus accepit; quæ velut iugo concordi iungit matrimonia amicitiaſque componit. Sed Cincius in eo libro, quem de Faſtis reliquit, ait imperite quoſdam opinari Aprilem menſem antiquos a Venere dixiſſe; cum nullus dies feſtus nullumque ſacrificium inſigne Veneri per hunc menſem a maioribus inſtitutum ſit: ſed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt ceterorum cæleſtium, laus celebretur. Cincio etiam Varro conſentit, affirmans nomen Veneris ne ſub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuiſſe; & ideo non potuiſſe menſem a Venere nominari: ſed, cum fere ante æquinoctium vernum triſte ſit cælum & nubibus obductum, ſed & mare nauigantibus clauſum, terra etiam ipſa aut aqua aut pruina aut niuibus contegantur, eaque omnia verno, id eſt, hoc menſe, aperiantur; arbores quoque nec minus cetera quæ continet terra aperire ſe in germen incipiant: ab his omnibus menſem Aprilem dici merito credendum eſt quaſi aperilem, ſicut apud Athenienſes Ἀνθεστηριὼν idem menſis vocatur, ab eo quod hoc tempore cuncta floreſcant. Non tamen

negat



negat Verrius Flaccus hoc die poſtea conſtitutum, vt matronæ Veneri ſacrum facerent, cuius rei cauſam, quia huic loco non conuenit, prætereundum eſt. Maium Romulus tertium poſuit, de cuius nomine inter auctores lata diſſenſio eſt. nam Fuluius Nobilior in Faſtis, quos in æde Herculis Muſarum poſuit, Romulum dicit poſtquam populum in maiores iunioreſque diuiſit, vt altera pars conſilio altera armis rempublicam tueretur, in honorem vtriuſque partis hunc Maium ſequentem Iunium vocaſſe. ſunt qui hunc menſem ad noſtros faſtos a Tuſculanis tranſiſſe commemorent, apud quos nunc quoque vocatur deus Maius, qui eſt Iupiter, a magnitudine ſcilicet ac maieſtate dictus. Cincius menſem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit vxorem; argumentoque vtitur quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deæ rem diuinam facit. ſed Piſo vxorem Vulcani Maieſtam non Maiam dicit vocari. contendunt alij Maiam Mercurij matrem menſi nomen dediſſe; hinc maxime probantes, quod hoc menſe mercatores omnes Maiæ pariter Mercurioque ſacrificant. Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo conſentit, hanc Maiam cui menſe Maio res diuina celebratur terram eſſe, hoc adeptam nomen a magnitudine; ſicut & mater magna in ſacris vocatur: aſſertionemque æſtimationis ſuæ etiam hinc colligunt, quod ſus prægnans ei mactatur, quæ hoſtia propria eſt terræ: & Mercurium ideo illi in ſacris adiungi dicunt; quia vox naſcenti homini terra contactu datur. ſcimus autem Mercurium vocis & ſermonis potentem. Auctor eſt Cornelius Labeo huic Maiæ ædem Kalendis Maiis dedicatam ſub nomine Bonæ deæ: & eandem eſſe Bonam deam & terram ex ipſo ritu occultiore ſacrorum doceri poſſe confirmat: hanc eandem Bonam deam Faunamque & Opem & Fatuam pontificum libris indigitari. Bonam; quod omnium nobis ad victum bonorum cauſa eſt. Faunam; quod omni vſui animantium

mantium

*mantium fauet. Opem; quod ipſius auxilio vita conſtet. Fatuam a fando; quod, vt ſupra diximus, infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram. Sunt qui dicant hanc deam potentiam habere Iunonis; ideoque ſceptrum regale in ſiniſtra manu ei additum. eamdem alij Proſerpinam credunt, porcaque ei rem diuinam fieri: quia ſegetem quam Ceres mortalibus tribuit porca depaſta eſt. alij χθονίαν ἑκάτην: Bœoti Semelam credunt, necnon eandem Fauni filiam dicunt; obſtitiſſeque voluntati patris in amorem ſuum lapſi, vt & virga myrtea ab eo verberaretur cum deſiderio patris nec vino ab eodem preſſa ceßiſſet: transfiguraſſe ſe tamen in ſerpentem pater creditur, & coiſſe cum filia. horum omnium hæc proferuntur indicia: quod virgam myrteam in templo haberi nefas ſit; quod ſuper caput eius extendatur vitis, qua maxime eam pater decipere tentauit, quod vinum in templum eius non ſuo nomine ſoleat inferri, ſed vas in quo vinum inditum eſt mellarium nominetur, & vinum lac nuncupetur; ſerpenteſq. in templo eius nec terrentes nec timentes appareant. Quidam Medeam putant; quod in ædem eius omne genus herbarum ſit, ex quibus antiſtites dant plerumque medicinas: & quod templum eius virum introire non liceat, propter iniuriam quam ab ingrato viro Iaſone perpeſſa eſt. Hæc apud Græcos ὁ θεὸς γυναικεία dicitur; quam Varro Fauni filiam eſſe tradit adeo pudicam, vt extra γυναικωνῖτιν numquam ſit egreſſa, nec nomen eius in publico fuerit auditum nec virum vmquam viderit nec a viro viſa ſit: propter quod nec vir templum eius ingreditur. Vnde & mulieres in Italia ſacro Herculis non licet intereſſe; quia Herculi, cum boues Geryonis per agros Italiæ duceret ſitienti reſpondit mulier aquam ſe non poſſe præſtare, quod feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. propter quod Hercules facturus ſacrum deteſtatus eſt præſen-*

*tiam fe-*



*tiam feminarum, & Potitio ac Pinario ſacrorum cuſtodibus iußit ne mulierem intereſſe permitterent. ecce occaſio nominis, quo Maiam eandem eſſe & Terram & Bonam deam diximus, coëgit nos de Bona dea quæcumque comperimus protuliſſe. Iunius Maium ſequitur aut ex parte populi, vt ſupra diximus, nominatus, aut, vt Cingius arbitratur, quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Præneſtinoſque hac appellatione in faſtos relatus ſit: adeo vt, ſicut Niſus in commentariis faſtorum dicit, apud maiores quoque noſtros hæc appellatio menſis diu manſerit: ſed poſt detritis quibuſdam litteris ex Iunonio Iunius dictus ſit. nam & ædes Iunoni Monetæ Kalend. Iuniis dedicata eſt. Nonnulli putauerunt Iunium menſem a Iunio Bruto, qui primus Romæ conſul factus eſt, nominatum: quod hoc menſe, id eſt, Kalendis Iunijs, pulſo Tarquinio ſacrum Carnæ deæ in Cælio monte voti reus fecerit. Hanc deam vitalibus humanis præeſſe credunt. ab ea denique petitur vt iecinora & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera, ſalua conſeruet. & quia cordis beneficio cuius diſßimulatione Brutus habebatur idoneus emendationi publici ſtatus exſtitit, hanc deam quæ vitalibus præeſt templo ſacrauit. cui pulte fabacia & larido ſacrificatur; quod his maxime rebus vires corporis roborentur. nam & Calendæ Iuniæ fabariæ vulgo vocantur: quia hoc menſe adultæ fabæ diuinis rebus adhibentur. Sequitur Iulius, qui cum, ſecundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis a numero vocaretur; nihilominus tamen etiam poſt præpoſitos a Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen; cum non videretur iam quintus eſſe, ſed ſeptimus. ſed poſtea in honorem Iulij Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio conſule, Iulius appellatus eſt; quod hoc menſe ad quartum Idus Quintiles Iulius procreatus ſit. Auguſtus deinde eſt, qui Sextilis ante voca-*

*tus eſt,*

*tus eſt, donec honori Auguſti daretur ex ſenatuſconſulto. cuius verba ſubieci:*

CVM. IMPERATOR. CAESAR. AVGVSTVS. MENSE. SEXTILI. ET. PRIMVM. CONSVLATVM. INIERIT. ET. TRIVMPHOS. TRES. IN. VRBEM. INTVLERIT. ET. EX. IANICVLO. LEGIONES. DEDVCTAE. SECVTAEQVE. SINT. EIVS. AVSPICIA. AC. FIDEM. SED. ET. AEGYPTVS. HOC. MENSE. IN. POTESTATEM. POPVLI. ROMANI. REDACTA. SIT. FINISQVE. HOC. MENSE. BELLIS. CIVILIBVS. IMPOSITVS. SIT. ATQVE. OB. HAS. CAVSAS. HIC. MENSIS. HVIC. IMPERIO. FELICISSIMVS. SIT. AC. FVERIT. PLACERE. SENATVI. VT. HIC. MENSIS. AVGVSTVS. APPELLETVR.

*item plebiſcitum factum ob eandem rem, Sexto Pacubio tribuno plebem rogante. Menſis September principalem ſui retinet appellationem; quem Germanici appellatione, Octobrem vero ſuo nomine Domitianus inuaſerat. ſed vbi infauſtum vocabulum ex omni ære vel ſaxo placuit eradi; menſes quoque vſurpatione tyrannicæ appellationis exuti ſunt. cautio poſtea principum ceterorum diri ominis infauſta vitantium menſibus a Septembri vſque ad Decembrem priſca nomina reſeruauit. Hæc fuit a Romulo annua ordinata dimenſio, qui, ſicut ſupra iam diximus, annum decem menſium, dierum vero quatuor & trecentorum habendum eſſe inſtituit; menſeſque ita diſpoſuit, vt quatuor ex his tricenos ſingulos, ſex vero tricenos haberent dies. Sed cum is numerus neque ſolis curſui neque lunæ rationibus conueniret: nonnumquam vſu veniebat vt frigus anni æſtiuis menſibus & contra calor hiemalibus proueniret. quod vbi contigiſſet: tantum dierum ſine vllo menſis nomine patiebantur abſumi; quantum ad id anni tempus adduceret, quo cæli habitus inſtanti menſi aptus inueniretur.*



## CAP. XIII.

De ordinatione anni per Numam: & quæ cauſa fuerit intercalandi: quoque tempore primum intercalatum ſit.

*SED ſecutus Numa, quantum ſub cælo rudi & ſæculo adhuc impolito ſolo ingenio magiſtro comprehendere potuit vel quia Græcorum obſeruatione forſan inſtructus eſt, quinquaginta dies addidit; vt in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim lunæ curſus confici credidit, annus extenderetur: atque his quinquaginta a ſe additis adiecit alios ſex retractos illis ſex menſibus, qui triginta habebant dies, id eſt, de ſingulis ſingulos; factoſque quinquaginta & ſex dies in duos nouos menſes pari ratione diuiſit ac de duobus priorem Ianuarium nuncupauit, primumque anni eſſe voluit, tamquam bicipitis dei menſem, reſpicientem ac proſpicientem tranſacti anni finem, futurique principia. ſecundum dicauit Februo deo qui luſtrationum potens creditur. luſtrari autem eo menſe ciuitatem neceſſe erat; quo ſtatuit vt iuſta dis Manibus ſoluerentur. Numæ ordinationem finitimi mox ſecuti totidem diebus totidemque menſibus, vt Pompilio placuit, annum ſuum computare cœperunt. ſed hoc ſolo diſcrepabant; quod menſes vndetricenum tricenumque numero alternauerunt. Paulo poſt Numa in honorem imparis numeri, ſecretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, vnum adiecit diem quem Ianuario dedit; vt tam in anno quam in menſibus ſingulis præter vnum Februarium impar numerus ſeruaretur. nam quia duodecim menſes, ſi ſinguli aut pari aut impari numero putarentur, conſummationem parem facerent: vnus pari numero inſtitutus vniuerſam putationem impa-*

*imparem fecit. Ianuarius igitur, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December, vndetricenis cenſebantur diebus, & quintanas nonas habebant: ac poſt idus in omnibus ad ſeptimum decimum kalendas computabatur. Martius vero, Maius, Quintilis & October, dies tricenos ſingulos poſsidebant. nonæ in his ſeptimanæ erant. ſimiliterque poſt Idus, decem & ſeptem dies in ſingulis vſque ad ſequentes Kalendas putabantur. ſed ſolus Februarius viginti & octo retinuit dies: quaſi inferis & deminutio & par numerus conueniret. Cum ergo Romani ex hac diſtributione Pompilij ad lunæ curſum, ſicut Græci, annum proprium computarent; neceſſario & interkalarem menſem inſtituerunt more Græcorum. nam & Græci, cum animaduerterent temere ſe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaſſe annum (quoniam appareret de ſolis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus & quadrante zodiacum conficit, deeſſe anno ſuo vndecim dies & quadrantem) interkalares ſtata ratione commenti ſunt: ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenum dierum compoſuerunt, interkalarent. id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum atque difficile omnibus annis vndecim dies & quadrantem interkalare. itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui naſcuntur ſi quadrans cum diebus vndecim octies componatur, inſerere in tres menſes, vt diximus diſtribuendos. hos dies ὑπερβαίνοντας, menſes vero ἐμβολίσμους appellitabant. Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit. ſed fruſtra, quippe fugit eos vnum diem, ſicut ſupra admonuimus, additum eſſe ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri. ea re per octennium conuenire numerus atque ordo non poterat. ſed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundendos Græcorum exemplo computabant dies; alterniſque annis binos & vicenos, al-*

*ternis*



*ternis ternos & vicenos interkalares expenſabant interkalationibus quatuor. ſed octauo quoque anno interkalantes octo affluebant dies ex ſingulis; quibus vertentis anni numerum apud Romanos ſupra Græcum abundaſſe iam diximus. hoc quoque errore iam cognito, hæc ſpecies emendationis inducta eſt. Tertio quoque octennio ita interkalandos diſpenſabant dies, vt non nonaginta ſed ſexaginta ſex interkalarent, compenſatis viginti & quatuor diebus pro illis qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creuerant. Omni autem interkalationi menſis Februarius deputatus eſt: quoniam is vltimus anni erat. quod etiam ipſum de Græcorum imitatione faciebant. nam & illi vltimo anni ſui menſi ſuperfluos interſerebant dies, vt refert Glaucippus qui de ſacris Athenienſium ſcribit. verum vna re a Græcis differebant. nam illi confecto vltimo menſe, Romani non confecto Februario ſed poſt viceſimum & tertium diem eius interkalabant. Terminalibus ſcilicet iam peractis: deinde reliquos Februarij menſis dies, qui erant quinque, poſt interkalationem ſubiungebant: credo vetere religionis ſuæ more vt Februarium omnimodo Martius conſequeretur. Sed cum ſæpe eueniret vt nundinæ modo in anni principem diem modo in nonas caderent (vtrumque autem perniciosum reipublicæ putabatur) remedium quo hoc auerteretur excogitatum eſt. quod aperiemus; ſi prius oſtenderimus cur nundinæ vel primis Kalendis vel nonis omnibus cauebantur. nam, quotiens incipiente anno dies cœpit qui addictus eſt nundinis, omnis ille annus infauſtis caſibus luctuoſus fuit: maximeque Lepidiano tumultu opinio iſta firmata eſt. Nonis autem conuentus vniuerſæ multitudinis vitandus æſtimabatur; quoniam populus Romanus exactis etiam regibus diem hunc nonarum maxime celebrabant, quem natalem Seruij Tullij exiſtimabant. quia, cum incertum eſſet quo menſe Seruius Tullius natus fuiſſet, nonis tamen na-*



*tum eſſe*

tum eſſe conſtaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. veritos ergo qui diebus præerant ne quid nundinis collecta vniuerſitas ob regis deſiderium nouaret cauiſſe vt nonæ a nundinis ſegregarentur. vnde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum eſt permiſſus arbitrio qui faſtis præerant, vti cum vellent interkalaretur: dummodo eum in medio Terminaliorum vel menſis interkalaris ita locarent, vt a ſuſpecto die celebritatem auerterent nundinarum. atque hoc eſt quod quidam veterum retulerunt non ſolum menſem apud Romanos verumetiam diem interkalarem fuiſſe. Quando autem primo interkalatum ſit varie refertur, & Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo aſſignat. Antias libro ſecundo Numam Pompilium ſacrorum cauſa id inueniſſe contendit. Iunius Seruium Tullium regem primum interkalaſſe commemorat; a quo & nundinas inſtitutas Varroni placet. Tuditanus refert libro tertio magiſtratuum Decemuiros, qui decem tabulis duas addiderunt, de interkalando populum rogaſſe. Caſſius eoſdem ſcribit auctores. Fuluius autem id egiſſe Manium conſulem dicit ab vrbe condita anno quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, inito mox bello Ætolico. ſed hunc arguit Varro ſcribendo antiquiſſimam legem fuiſſe inciſam in columna area a L. Pinario & Furio conſulibus, cui mentio interkalaris adſcribitur. Hæc de interkalandi principio ſatis relata ſint.

## CAP. XIIII.

Quem in modum primum Iulius, deinde Auguſtus Cæſares annum correxerint.

VERVM fuit tempus cum propter ſuperſtitionem interkalatio omnis omiſſa eſt. nonnumquam vero per gratiam ſacerdotum, qui publicanis proferri vel immi-





nui conſulto anni dies volebant, modo auctio modo retractio dierum proueniebat: & ſub ſpecie obſeruationis emergebat maior confuſionis occaſio. ſed poſtea C. Cæſar omnem hanc inconſtantiam temporum vagam adhuc & incertam in ordinem ſtatæ definitionis coegit, adnitente ſibi M. Flauio ſcriba; qui ſcriptos dies ſingulos ita ad dictatorem retulit, vt & ordo eorum inueniri facillime poſſet, & inuento certus ſtatus perſeueraret. Ergo C. Cæſar exordium nouæ ordinationis initurus dies omnes, qui adhuc confuſionem poterant facere, conſumpſit: eaque re factum eſt vt annus confuſionis vltimus in quadringentos quadraginta tres dies tenderetur. poſt hæc imitatus Ægyptios ſolos diuinarum rerum omnium conſcios ad numerum ſolis, qui diebus ſingulis tricenis ſexaginta quinque & quadrante curſum conficit, annum dirigere contendit. nam, ſicut lunaris annus menſis eſt, quia luna paulo minus quam menſem in zodiaci circumitione conſumit, ita ſolis annus hoc dierum numero colligendus eſt quem peragit dum ad id ſignum ſe denuo vertit ex quo digreſſus eſt. vnde annus vertens vocatur & habetur magnus; cum lunæ annus breuis putetur. horum Vergilius vtrumque complexus eſt:

Interea magnum ſol circumuoluitur annum. hinc Ateius Capito annum a circuitu temporis putat dictum: quia veteres, an, pro, circum, ponere conſuerunt, vt Cato in Originibus, An terminum. id eſt, circum terminum; &, ambire, dicitur, pro, circumire. Iulius ergo Cæſar decem dies obſeruationi veteri ſuperadiecit; vt annum trecenti ſexagintaquinque dies, quibus ſol zodiacum luſtrat efficerent: &, ne quadrans deeſſet, ſtatuit vt quarto quoque anno ſacerdotes, qui curabant menſibus ac diebus, vnum interkalarent diem; eo ſcilicet menſe ac loco quo etiam apud veteres interkalabatur, id eſt, ante quinque vltimos Februarij menſis dies; idque biſſextum cenſuit nominan-

minandum. dies autem decem, quos ab eo additos diximus, hac ordinatione diſtribuit: in Ianuarium & Sextilem & Decembrem binos dies inſeruit; in Aprilem autem Iunium, Septembrem, Nouembrem, ſingulos. ſed neque menſi Februario addidit diem ne deum inferum religio immutaretur: & Martio, Maio, Quintili, Octobri ſeruauit priſtinum ſtatum; quod ſatis pleno erant numero, id eſt, dierum ſingulorum tricenorumque. ideo & ſeptimanas habent nonas, ſicut Numa conſtituit: quia nihil in his Iulius mutauit. ſed Ianuarius, Sextilis, December, quibus Cæſar binos dies addidit, licet tricenos ſingulos habere poſt Cæſarem cœperint, quintanas tamen habent nonas; & ab idibus illis ſequentes Kalendæ in vndeuiceſimum reuertuntur: quia Cæſar quos addidit dies neque ante nonas neque ante idus inſerere voluit; ne nonarum aut iduum religionem, quæ ſtato erant die, nouella comperendinatione corrumperet. ſed nec poſt Idus mox voluit inſerere; ne feriarum quarumque violaretur indictio. ſed peractis cuiuſque menſis feriis locum diebus aduenis fecit. & Ianuario quidem, quos dicimus, quartum & tertium Kalendas Februarias dedit; Aprili ſextum Kalendas Maias; Iunio tertium Kalendas Iulias, Auguſto quartum & tertium Kalendas Septembreis; Septembri tertium Kalendas Octobris; Nouembri tertium Kalendas Decembres; Decembri vero quartum & tertium Kalendas Ianuarias. ita factum eſt, vt cum omnes hi menſes quibus dies addidit ante hanc ordinationem habuiſſent menſis ſequentis Kalendas ad ſeptimumdecimum reuertentes, poſtea ex augmento additorum dierum hi, qui duos acceperunt, ad nonumdecimum, qui vero vnum, ad octauumdecimum haberent reditum Kalendarum. Feriarum tamen cuiuſque menſis ordo ſeruatus eſt. nam ſi cui fere tertius ab idibus dies feſtus aut feriatus fuit, & tunc ad ſextumdecimum dicebatur: etiam poſt augmentum dierum eadem religio





dem religio ſeruata eſt, vt tertio ab idibus die celebraretur; licet ab incremento non iam ad ſextumdecimum Kalendas, ſed ad ſeptimumdecimum ſi vnus, ad octauumdecimum ſi duo additi ſunt, diceretur. nam ideo nouos dies circa finem cuiuſque menſis inſeruit, vbi finem omnium quæ in menſe erant reperit feriarum, adiectoſque a ſe dies faſtos notauit; vt maiorem daret actionibus libertatem: & non ſolum nullum nefaſtum ſed nec comitialem quemquam de adiectis diebus inſtituit; ne ambitionem magiſtratuum augeret adiectio. ſic annum ciuilem Cæſar habitis ad lunam dimenſionibus conſtitutum edicto palam poſito publicauit. Et error hucuſque ſtare potuiſſet, ni ſacerdotes ſibi errorem nouum ex ipſa emendatione feciſſent. nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequam quintus inciperet, interkalare: illi quarto non peracto ſed incipiente interkalabant. hic error ſex & triginta annis permanſit: quibus annis interkalati ſunt dies duodecim, cum debuerint interkalari nouem. ſed hunc quoque errorem ſero deprehenſum correxit Auguſtus; qui annos duodecim ſine interkalari die tranſigi iuſſit: vt illi tres dies, qui per annos triginta & ſex vitio ſacerdotalis feſtinationis excreuerant, ſequentibus annis duodecim nullo die interkalato deuorarentur. poſt hoc, vnum diem ſecundum ordinationem Cæſaris quinto quoque incipiente anno interkalari iuſſit; & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam cuſtodiam inciſione mandauit.

## CAP. XV.

### De Calendis, Idibus, ac Nonis.

TVNC Horus, Dies quidem hic, inquit, interkalaris antequam quintus annus incipiat inſerendus cum Ægypti matris artium ratione conſentit. ſed nihil in illorum men-

rum menſibus explicandis videtur operoſum; quos tricenum dierum omnes habent; eoque explicitis duodecim menſibus, id eſt, trecentis ſexaginta diebus exactis, tunc inter Auguſtum atque Septembrem reliquos quinque dies anno ſuo reddunt, adnectentes quarto quoque anno exacto intercalarem, qui ex quadrantibus conſit. at hic non a primo in vltimum menſis diem ad incrementum continuum numerus accedit; ſed poſt Kalendas dirigitur in nonas: vnde ad quaſdam idus deflecti audio. Poſt rurſus, ni fallor, imo vt nunc quoque retuliſti, in ſequentes kalendas. quæ omnia quid ſibi velint ſcire equidem vellem. nam illud nec conſequi poſſe me ſpero, vt vocabula comprehendam quæ ſingulis apud vos diebus adduntur; dum alios faſtos variiſque alios nominibus nuncupatis. nundinas quoque veſtras neſcire me fateor: de quibus obſeruatio tam diligens tam cauta narratur. Hæc nec mihi erubeſcendum eſt ignorare peregrino: a te vero, Prætextate, diſcere nec ciuem puderet. Tunc Prætextatus. Non ſolum, inquit, tibi, Hore, cum ſis Ægypto oriundus, ſed ne nobis quidem, quibus origo Romana eſt, erubeſcendum puto quærere, quod quæſitu dignum omnes veteres putauerunt. nam de kalendis nonis & idibus deq. feriarum variis obſeruationibus innumeros auctores cura quæſtionis exercuit: & ideo nos quæ de his ab omnibus dicta ſunt in vnum breuiter colligemus. Romulus enim, cum ingenio acri quidem ſed agreſti, ſtatum proprij ordinaret imperij, initium cuiuſque menſis ex illo ſumebat die quo nouam lunam contigiſſet videri. quia vero non continuo euenit vt eodem die ſemper appareat; ſed modo tardius modo celerius ex certis cauſis videri ſolet: cõtigit vt cum tardius apparuit præcedenti menſi plures dies, aut cum celerius pauciores darentur. & ſingulis quibuſque menſibus perpetuam numeri legem primus caſus addixit. ſic factum eſt vt alij triginta & vnum, alij vndetriginta ſorti-





rentur dies. omnibus tamen menſibus ex die nonarum idus nono die repræſentari placuit: & inter idus ac ſequentes kalendas conſtitutum eſt ſedecim dies eſſe numerandos. ideo menſis vberior duos illos quibus augebatur dies inter kalendas ſuas & nonas habebat. hinc aliis quintus a kalendis dies aliis ſeptimus nonas facit. Cæſar tamen vt ſupra diximus ſtata ſacra cuſtodiens nec in illis menſibus, quibus binos adiecit dies, ordinem voluit mutare nonarum, quia peractis totius menſis feriis dies ſuos rei diuinæ cautus inſeruit. Priſcis ergo temporibus, antequam faſti a Cn. Flauio ſcriba inuitis patribus in omnium notitiam proderẽtur, pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obſeruaret adſpectum, viſamque regi ſacrificulo nuntiaret. itaque ſacrificio a rege & minore pontifice celebrato idem pontifex kalata, id eſt, vocata in Capitolium plebe iuxta curiam Kalabrã, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies a kalendis ad nonas ſupereſſent pronuntiabat: & quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat. verbum autem καλῶ Græcum eſt, id eſt, voco. & hunc diem qui ex his diebus qui kalarentur primus eſſet, placuit kalendas vocari. hinc & ipſi curiæ, ad quam vocabantur, Kalabræ nomen datum eſt. Ideo autem minor pontifex numerum dierum qui ad nonas ſupereſſent kalando prodebat; quod poſt nouam lunam oportebat nonarum die populares qui in agris eſſent confluere in vrbem accepturos cauſas feriarum a rege ſacrorum ſcripturoſque quid eſſet eo menſe faciendum. vnde quidam hinc nonas æſtimant dictas, quaſi nouæ initium obſeruationis; vel quod ab eo ſemper ad idus nouem dies putentur: ſicut apud Tuſcos nonæ plures habebantur; quod hi nono quoque die regem ſuum ſalutabant & de proprijs negocijs conſulebant. Iduum porro nomen a Tuſcis, apud quos is dies itis, vocatur, ſumptum eſt. item autem illi in-

terpretabantur Iouis fiduciam. nam cum Iouem accipiamus lucis auctorem, vnde & Lucetium Salij in carmine canunt & Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocant; ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant vt diei patrem: iure hic dies Iouis fiducia vocatur; cuius lux non finitur cum ſolis occaſu, ſed ſplendorem diei & noctis continuat illuſtrante luna: quod ſemper in plenilunio, id eſt, medio menſe, fieri ſolet. diem igitur, qui vel nocturnis caret tenebris, Iouis fiduciam Tuſco nomine vocauerunt: vnde & omnes idus Iouis ferias obſeruandas ſanxit antiquitas. alij putant idus, quod ea die plena luna videatur, a videndo vidus appellatas, mox litteram, u, detractam: ſicut contra, quod Græci ἰδεῖν dicunt; nos, u, littera addita, videre dicimus. nonnullis placet idus dictas vocabulo Græco, οἷον ἀπὸ τοῦ εἴδους, quod eo die plenam ſpeciem luna demonſtret. ſunt qui æſtiment idus ab oue iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tuſci; & omnibus idibus Ioui immolatur a flamine. Nobis illa ratio nominis vero propior æſtimatur, vt idus vocemus diem qui diuidit menſem. iduare enim Etruſca lingua diuidere eſt. inde vidua quaſi valde idua, id eſt, valde diuiſa: aut vidua, id eſt, a viro diuiſa. Vt autem idus omnes Ioui ita omnes Kalendas Iunoni tributas & Varronis & pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus ſeruant; qui & cognomen deæ ex cerimoniis addiderunt Kalendarem Iunonem vocantes. Sed & omnibus kalendis a menſe Martio ad decembrem huic deæ kalendarum die ſupplicant. Romæ quoq. kalendis omnibus, præter quod pontifex minor in curia Kalabra rem diuinam Iunoni facit, etiam regina ſacrorum, porcam vel agnam in regia Iunoni immolat: a qua etiam Ianum Iunonium vocatum eſſe diximus, quod illi deo omnis ingreſſus, huic deæ cuncti kalendarum dies videntur adſcripti. cum enim initia menſium maiores noſtri ab exortu





lunæ ſeruauerint; iure Iunoni addixerunt kalendas, lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia luna per aërem meat (vnde & Græci lunam ἄρτεμιν nuncuparunt, id eſt, ἀεροτόμην, quod aëra ſecat) Iuno autem aëris arbitra eſt; merito initia menſium, id eſt, kalendas huic deæ conſecrauerunt. Nec hoc prætermiſerim quod nuptiis copulandis kalendas, nonas & idus religioſas, id eſt, deuitandas cenſuerunt. hi enim dies præter nonas feriati ſunt. ferijs autem vim cuiquam fieri piaculare eſt. ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum iuris pontificij peritiſſimum dicere ſolitum refert Varro, quia feriis tergere veteres foſſas liceret; nouas facere ius non eſſet: ideo magis viduis quam virginibus idoneas eſſe ferias ad nubendum. Subiiciet aliquis: Cur ergo nonis, ſi feriatus dies non eſt, prohibetur celebritas nuptiarum? Huius quoque rei in aperto cauſa eſt. nam quia primus nuptiarum dies verecundiæ datur, poſtridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipiſci & rem facere diuinam; omnes autem poſtriduanti dies ſeu poſt kalendas ſiue poſt nonas idusve ex æquo atri ſunt: ideo & nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt, ne nupta aut poſtero die libertatem auſpicaretur vxoriam, aut atro immolaret, quo nefas eſt ſacra celebrari.

## CAP. XVI.

Quæ diſcrimina diuerſitateſque fuerint dierum apud Romanos.

SED quia nos ad commemorationem dierum ordo deduxit: de hoc quoque, quod Hori noſtri conſultatio continet, pauca dicenda ſunt. Numa vt in menſes annum ita in dies menſem quemque diſtribuit; dieſque omnes aut feſtos aut profeſtos aut interciſos vocauit. feſti dis dicati ſunt. profeſti hominibus ob adminiſtrandam rem priuatam

publicamque conceſsi. interciſi deorum hominumque communes ſunt. feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. profeſtis, faſti, comitiales, comperendini, ſtati, prœliales. interciſi in ſe non in alia diuiduntur. illorum enim dierum quibuſdam horis fas eſt quibuſdam fas non eſt ius dicere. nam, cum hoſtia cæditur, fari nefas eſt: inter cæſa & porrecta fari licet: rurſus, cum adoletur, non licet. ergo de diuiſione feſtorum & profeſtorum dierum latius differendum eſt. Sacra celebritas eſt vel cum ſacrificia dis offeruntur, vel cum dies diuinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur deorum, vel cum feriæ obſeruantur. feriarum autem publicarum genera ſunt quatuor. aut enim ſtatiuæ ſunt, aut conceptiuæ, aut imperatiuæ, aut nundinæ. & ſunt ſtatiuæ vniuerſi populi communes certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſeruationibus annotatæ: in quibus præcipue ſeruantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. conceptiuæ ſunt, quæ quotannis a magiſtratibus vel a ſacerdotibus concipiuntur in dies certos vel etiam incertos: vt ſunt Latinæ, Sementiuæ, Paganalia, Compitalia. imperatiuæ ſunt, quas conſules vel prætores pro arbitrio poteſtatis indicunt. nundinæ ſunt paganorum itemque ruſticorum; quibus conueniunt negotiis propriis vel mercibus prouiſuri. ſunt præterea feriæ propriæ familiarum; vt familiæ Claudiæ vel Æmiliæ ſeu Iuliæ ſiue Corneliæ: & ſi quas ferias proprias quæque familia ex vſu domeſticæ celebritatis obſeruat. ſunt ſingulorum; vt natalium fulgurumque ſuſceptiones, item funerum atque expiationum. apud veteres quoque qui nominaſſet Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, ferias obſeruabat. item Flaminica, quotiens tonitrua audiſſet, feriata erat, donec placaſſet deos. affirmabant autem ſacerdotes pollui ferias, ſi indictis conceptiſque opus aliquod fieret. præterea regem ſacrorum flamineſque non licebat videre feriis opus fieri; & ideo



ideo per præconem denuntiabatur ne quid tale ageretur: & præcepti negligens multabatur. præter multam vero affirmabatur eum qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet porco piaculum dare debere; prudentem expiare non poſſe Scæuola pontifex affirmabat. ſed Vmbro negat eum pollui qui opus vel ad deos pertinens ſacrorumve cauſa feciſſet, vel aliquid ad vrgentem vitæ vtilitatem reſpiciens actitaſſet. Scæuola denique conſultus quid feriis agi liceret, reſpondit, quod prætermiſſum noceret. ſi bos in ſpecum decidiſſet eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet; non eſt viſus ferias polluiſſe: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicauit ruina. vnde & Maro omnium diſciplinarum peritus ſciens lauari ouem aut lanæ purgandæ aut ſcabiei curandæ gratia, pronunciauit tunc ouem per ferias licere merſari, ſi hoc remedij cauſa fieret:

Balantumque gregem fluuio merſare ſalubri. adijciendo enim, ſalubri, oſtendit auertendi morbi gratia tantummodo non etiam ob lucrum purgandæ lanæ cauſa fieri conceſſum. Hæc de feſtis & qui inde naſcuntur, qui etiam nefaſti vocantur. Nunc de profeſtis, & qui ex his procedunt, loquemur, id eſt, faſtis, comitialibus, comperendinis, ſtatis, prœlialibus. Faſti ſunt; quibus licet fari prætori tria verba ſollemnia: do, dico, addico. his contrarij ſunt nefaſti. Comitiales ſunt, quibus cum populo agi licet. & faſtis quidem lege agi poteſt, cum populo non poteſt; comitialibus vtrumque poteſt. Comperendini; quibus vadimonium licet dicere. Stati; qui iudicij cauſa cum peregrino inſtituuntur. vt Plautus in Curculione: Si ſtatus condictus cum hoſte interceſſit dies. hoſtem nunc more vetere ſignificat peregrinum. Prœliales ab iuſtis non ſegregauerim. ſiquidem iuſti ſunt cōtinui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum ruſſi coloris in arce poſitum eſt. prœliales autem omnes

omnes, quibus fas eſt res repetere, vel hoſtem laceſſere. nam cum Latiar, hoc eſt, Latinarum ſollemne concipitur, item diebus Saturnaliorum, ſed & cum mundus patet, nefas eſt prœlium ſumere: quia nec Latinarum tempore, quo publice quondam induciæ inter populum Romanum Latinoſque firmatæ ſunt, inchoari bellum decebat, nec Saturni feſto qui ſine vllo tumultu bellico creditur imperaſſe, nec patente mundo quod ſacrum Diti patri & Proſerpinæ dicatum eſt: meliuſque occluſa Plutonis fauce eundum ad prœlium putauerunt. vnde & Varro ita ſcribit: Mundus cum patet, deorum triſtium atque inferum quaſi ianua patet. propterea non modo prœlium committi verumetiam dilectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, nauim ſoluere, vxorem liberum quærendorum cauſa ducere religioſum eſt. Vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies qui eſſent notati rebus aduerſis; vitabant etiam feriis. ſicut Varro in augurum libris ſcribit in hæc verba; Viros vocare feriis non oportet: ſi vocauit piaculum eſto. Sciendum eſt tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuiſſe licentiam, ſi ipſi inferrent bellum: at cum exciperent, nullum obſtitiſſe diem quo minus vel ſalutem ſuam vel publicam defenderent dignitatem. quis enim obſeruationi locus cum eligendi facultas non ſuperſit? dies autem poſtridianos ad omnia maiores noſtri cauendos putarunt; quos etiam atros, velut infauſta appellatione, damnarunt. eoſdem tamen nonnulli communes velut ad emendationem nominis vocitauerunt. horum cauſam Gellius annalium libro quintodecimo & Caſſius Hemina hiſtoriarum libro ſecundo referunt. Anno ab vrbe condita trecenteſimo ſexageſimo tertio a tribunis militum Virgilio Mallio Æmilio Poſtumio collegiſque eorum in ſenatu tractatum, quid eſſet propter quod totiens intra paucos annos male eſſet afflicta reſpublica; & ex præ-

cepto



cepto patrum L. Aquinium haruſpicem in ſenatum venire iuſſum religionum requirendarum gratia dixiſſe, Q. Sulpicium tribunum militum ad Aliam aduerſum Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia feciſſe poſtridie idus Quintiles; item apud Cremeram multiſque aliis temporibus & locis poſt ſacrificium die poſtero celebratum male ceſſiſſe conflictum: tunc patres iuſſiſſe vt ad collegium pontificum de his religionibus referretur; pontificeſque ſtatuiſſe poſtridie omnes kalendas, nonas, idus atros dies habendos; vt hi dies neque prœliales neque puri neque comitiales eſſent. ſed & Fabius Maximus Seruilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iouemque præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet. ante diem quoque quartum kalendas vel nonas vel idus tamquam inominalem diem plerique vitant. eius obſeruationis an religio vlla ſit tradita quæri ſolet. ſed nos nihil ſuper ea re ſcriptum inuenimus: niſi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam vaſtiſſimam pugnæ Cannenſis factam refert ante diem quartum nonas Sextiles. ad rem ſane militarem nihil attinere notat Varro vtrum faſtus vel nefaſtus dies ſit; ſed ad ſolas hoc actiones reſpicere priuatas. Quod autem nundinas ferias dixi, poteſt argui: quia Titus de feriis ſcribens nundinarum dies non inter ferias retulit, ſed tantum ſollemnes vocauit: & quod Iulius Modeſtus affirmat Meſſala augure conſulente pontifices an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, reſpondiſſe eos nundinas ſibi ferias non videri: & quod Trebatius in libro primo religionum ait nundinis magiſtratum poſſe manumittere iudiciaque addicere. ſed contra Iulius Cæſar ſextodecimo auſpiciorum libro negat nundinis concionem aduocari poſſe, id eſt, cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non poſſe. Cornelius etiam Labeo primo faſtorum libro nun-

bro nundinis ferias eſſe pronuntiat. Cauſam vero huius varietatis apud Granium Licinianum libro ſecundo diligens lector inueniet. ait enim nundinas Iouis ferias eſſe. ſiquidem flaminica omnibus nundinis in regia Ioui arietem ſoleat immolare, ſed lege Hortenſia effectum vt faſtæ eſſent: vti ruſtici qui nundinandi cauſa in vrbem veniebant lites componerent. nefaſto enim die prætori fari non licebat. ergo, qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetuſtatis: qui contra ſentiunt, æſtimatu ætatis quæ legem ſecuta eſt vera depromunt. Harum originem quidam Romulo aſsignant: quem communicato regno cum T. Tatio ſacrificiis & ſodalitatibus inſtitutis nundinas quoque adiecisse commemorant; ſicut Tuditanus affirmat. ſed Caſsius Seruium Tullium feciſſe nundinas dicit; vt in vrbem ex agris conuenirent vrbanas ruſticaſque res ordinaturi. Geminus ait diem nundinarum exactis iam regibus cœpiſſe celebrari; quia plerique de plebe repetita Seruij Tullij memoria parentarent ei in nundinis. cui rei etiam Varro conſentit. Rutilius ſcribit Romanos inſtituiſſe nundinas, vt octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die, intermiſſo rure, ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent: & vt ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita a ſingulis atque vniuerſis facile noſcebantur. vnde etiam mos tractus vt leges trinundino die promulgarentur. ea re etiam candidatis vſus fuit in comitium nundinis venire & in colle conſiſtere; vnde coram poſſent ab vniuerſis videri. ſed hæc omnia negligentius haberi cœpta, & poſt abolita, poſt quam internundino etiam ob multitudinem plebis frequentes adeſſe cœperunt. Eſt etiam Nundina Romanorum dea, a nono die naſcentium nuncupata qui luſtricus dicitur. eſt autem dies luſtricus, quo infantes luſtrantur & nomen accipiunt. ſed is maribus nonus, octauus eſt feminis. Plene vt arbitror, anni





tror, anni ac menſium conſtitutione digeſta, habet Horus noſter quod de dierum vocabulis & obſeruatione conſulat. Et ſcire equidem velim nunquid ſit quod argutus Niligena & gentis accola numerorum potentis ex hoc ordine Romanæ diſpenſationis irrideat: an Tuſcum quoque Tiberim aliquid ex diſciplinis ſuis hauſiſſe conſentiat. ſubiecit Euſtathius: Non ſolum Horus noſter grauis vir & ornatus ſed nec quiſquam alius, vt æſtimo, tam futilis poſſet eſſe iudicij, qui Romani anni ſic ad vnguem, vt aiunt, emendatum ordinem non probaret; cui maiorem gratiam & tenax memoria & luculenta oratio referentis adiecit. nec mirum ſi hæc digeries morſum reprehenſionis euaſit; cui accerſita eſt ab Ægypto poſtremæ correctionis auctoritas. Nam Iulius Cæſar vt ſiderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Ægyptijs diſciplinis hauſit; ita hoc quoque ex eadem inſtitutione mutuatus eſt vt ad ſolis curſum finiendi anni tempus extenderet. Latij vero veteres incolæ, quia nihil iam tum diſcere ab Ægypto licebat, ad quam nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in numerandis menſium diebus ſequuti ſunt; vt retrouerſum cedente numero ab augmento in diminutionem computatio reſoluta deſineret. ita enim nos decimum diem deinde nonum & poſtea octauum dicimus, vt Athenienſes δεκάτην καὶ ἐνάτην φθίνοντος ſoliti ſunt dicere. Homerus quoque cum ait;

Τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο.

Quid aliud niſi illum φθίνοντα dicit cuius paulatim deficientis ſupputatio in nomen deſinit ſecuturi; & ἱστάμενον illum qui præcedit numerum ſucceſſuris priori in defectum meanti: quod & Homerus veſter Mantuanus intelligens illud ſtare dici, ad quod acceditur; ait:

Stat ſua cuique dies;

extremum diem ſtare dicens, quaſi ad quem per omnes ſtatur. idem poëta doctrina ac verecundia iuxta nobilis ſciens Romanos veteres ad lunæ curſum & ſequentes ad ſolis anni tempora digeſſiſſe, vtriuſque ſæculi opinioni reuerentiam ſeruans, inquit:

Vos quoque, labentem cælo quæ ducitis annum
Liber & alma Ceres:

tam lunam quam ſolem duces anni hac inuocatione deſignans.

## Cap. XVII.

Omnes deos referri ad Solem. Et quod ex variis Apollinis oſtendatur nominibus, ipſum eundem eſſe deum quem Solem dicimus.

Hic Auienus: Hoc equidem mecum multum ac frequenter agitaui quid ſit quod ſolem modo Apollinem modo Liberum modo ſub aliarum appellationum varietate veneremur. Et quia ſacrorum omnium præſulem eſſe te, Vetti Prætextate, diuina voluerunt: perge, quæſo, rationem mihi tantæ ſub vno nomine in omnibus diuerſitatis aperire. Tum Vettius; Caue æſtimes, mi Auiene, poëtarum gregem cum de dis fabulantur non ab adytis plerunque philoſophiæ ſemina mutuari. nam quod omnes pæne deos duntaxat qui ſub cælo ſunt ad ſolem referunt; non vana ſuperſtitio ſed ratio diuina commendat. ſi enim ſol, vt veteribus placuit, dux & moderator eſt luminum reliquorum & ſolus ſtellis errantibus præſtat; ipſarum vero ſtellarum curſus ordinem rerum humanarum, vt quibuſdam videtur, pro poteſtate diſponunt, vel, vt Plotino conſtat placuiſſe, ſignificant: neceſſe eſt vt ſolem qui moderatur noſtra moderantes omnium quæ circa nos geruntur fateamur auctorem. & ſicut Maro, cum de vna Iunone diceret, quo numine læſo, oſtendit vnius dei effectus varios pro variis cenſendos



cenſendos eſſe numinibus: ita diuerſæ virtutes ſolis nomina dis dederunt: vnde ἓν τὸ πᾶν ſapientum principes prodiderunt. virtutem igitur ſolis quæ diuinationi curationique præeſt Apollinem vocauerunt: quæ ſermonis auctor eſt, Mercurij nomen accepit. nam quia ſermo interpretatur cogitationes latentes, Ἑρμῆς ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν propria appellatione vocitatus eſt. virtus ſolis eſt, quæ fructibus, effectus eiuſdem eſt qui frugibus præeſt: & hinc natæ ſunt appellationes deorum, ſicut ceterorum qui ad ſolem certa & arcana ratione referuntur. &, ne tanto ſecreto nuda præſtetur aſſertio. auctoritates veterum de ſingulis conſulamus. Apollinis nomen multiplici interpretatione ad ſolem refertur. cuius rei ordinem pergam pandere. Plato ſolem Ἀπόλλωνα cognominatum ſcribit ἀπὸ τοῦ ἀεὶ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, id eſt, a iactu radiorum: Chryſippus Apollinem ὡς οὐχὶ τῶν πολλῶν ϗ φαύλων οὐσιῶν τοῦ πυρὸς ὄντα (prima enim nominis littera retinet ſignificationem negandi, ἢ ὅτι μόνος ἐςὶ ϗ οὐχὶ πολλοί. nam & Latinitas eum, quia tantam claritudinem ſolus obtinuit, ſolem vocauit) Speuſippus, quod ex multis ignibus conſtet vis eius, ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνεςῶτος: Cleanthes ὡς ἀπ' ἄλλων ϗ ἄλλων τόπων τὰς ἀνατολὰς ποιουμένου; quod ab alijs atq. alijs locorum declinationibus faciat ortus. Cornificius arbitratur Apollinem nominatum ἀπὸ τοῦ ἀναπολεῖν: id eſt, quia intra circuitum mundi, quem Græci πόλον appellant, impetu latus ad ortus refertur. alij cognominatum Apollinem putant ὡς ἀπολλῦντα τὰ ζῶα. exanimat enim & perimit animantes, cum peſtem intemperie caloris immittit. vt Euripides in Phaëthonte:

Ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι', ὥς μ' ἀπώλεσας; Ὅθεν σ' Ἀπόλλων ἐμφανῶς κλήσει βροτός. item Archilochus: Ἄναξ Ἄπολλον ϗ σὺ, τοὺς μὲν αἰτίους πήμαινε, ϗ σφᾶς ὄλλυ' ὥσπερ ὀλλύεις. denique inuſtos morbo Ἀπολλωνοβλήτους ϗ Ἡλιοβλήτους appellant.

*appellant. & quia ſimiles ſunt ſolis effectus lunæ in iuuando nocendoque; ideo feminas certis afflictas morbis Σεληνοβλήτους καὶ Ἀρτεμιδοβλήτους vocant. hinc eſt quod arcu & ſagittis Apollinis ſimulacra decorantur: vt per ſagittas intelligatur vis emiſſa radiorum. vnde Homerus,*

Αὐτὰρ ἔπειτ᾽ αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιεὶς, Βάλλ᾽.

*Idem auctor eſt & publicæ ſoſpitatis, quam creditur ſol animantibus præſtare temperie. ſed quia perpetuam præſtat ſalubritatem & peſtilens ab ipſo caſus rarior eſt: ideo Apollinis ſimulacra manu dextera Gratias geſtant, arcum cum ſagittis ſiniſtra: quod ad noxam ſit pigrior; & ſalutem manus promptior largiatur. hinc eſt quod eidem attribuitur medendi poteſtas: quia temperatus ſolis calor morborum omnium fuga eſt. nam ὡς ἀπελαύνοντα τὰς νόσους Ἀπόλλωνα, tamquam Ἀπέλλωνα, cognominatum putant. Quæ ſententia Latinæ quoque nominis enuntiationi congruens fecit ne huius dei nomen verteremus; vt Apollinem apellentem mala intelligas, quem Athenienſes ἀλεξίκακον appellant. & Lindij colunt Apollinem λοίμιον, hoc cognomine finita peſtilentia nuncupatum. eadem opinio ſoſpitalis & medici dei in noſtris quoque ſacris fouetur. namque virgines Veſtales ita indigitant:*

APOLLO. MEDICE. APOLLO. PAEAN. *Cum ergo ſint huiuſce ſideris, id eſt, ſolis duo maximi effectus; alter quo calore temperato iuuat mortalium vitam, alter quo iactu radiorum nonnumquam peſtiferum virus immittit: duo eademque cognomina circa ſingulos effectus propriis enuntiationibus ſignant, appellantes deum ἰήιον atque παιᾶνα, quæ cognomina vtrique effectui apta ſunt; vt ſit ἰήιος ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, a ſanando, & παιὰν, ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας: & rurſus ἰήιος ἀπὸ τοῦ ἱέναι, ab immittendo, βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιεὶς, & παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν, a feriendo. obtinuit tamen vt cum ſanitatem dari ſibi precantur ἰὴ παιὰν per η litteram*



*litteram enuntient, id eſt, medere paan. cum autem ἵε παιὰν per ε, litteram dicunt cum aſpiratione prioris litteræ: ſignificant hoc dici in aliquem aduerſa precatione, βάλλε παιὰν, id eſt, immitte feriendo. qua voce ferunt Latonam vſam cum Apollinem hortaretur impetum Pythonis inceſſere ſagittis. cuius rei naturalem rationem ſuo loco reddam. Hanc vocem, id eſt, ἵε παιὰν, confirmaſſe fertur oraculum Delphicum Athenienſibus petentibus opem dei aduerſus Amazonas Theſeo regnante. namque ituros bellum iuſſit his ipſis verbis ſemetipſum auxiliatorem inuocare hortarique. Apollodorus in libro decimoquarto περὶ θεῶν, ἰήιον ſolem ſcribit ita: appellari Apollinem ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸν κόσμον ἵεσθαι καὶ ἰέναι; quod ſol per orbem impetu fertur. Sed Timotheus ita: σύ τ᾽ ὦ τὸν ἀεὶ πόλον οὐράνιον λαμπραῖς ἀκτῖσιν ἥλιε βάλλων πέμψον ἑκαβόλον ἐχθροῖς βέλος σᾶς ἀπὸ νευρᾶς ἰὲ παιάν. Eundem deum præſtantem ſalubribus cauſis οὔλιον appellant, id eſt, ſanitatis auctorem, vt ait Homerus:*

Οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε.

*Meandrius ſcribit Mileſios ἀπόλλωνι οὐλίῳ pro ſalute ſua immolare. Pherecydes refert Theſea, cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, vouiſſe pro ſalute atque reditu ſuo Ἀπόλλωνι οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι οὐλίᾳ. Nec mirum ſi gemini effectus variis nominibus celebrantur: cum alios quoque deos ex contrario in eadem re duplici cenſeri & poteſtate accipiamus & nomine; vt Neptunum, quem alias ἐνοσίχθονα, id eſt, terram mouentem, alias ἀσφαλίωνα, id eſt, ſtabilientem vocant. item Mercurius hominum mentes vel oculos & excitat & ſopit: vt ait poëta;*

Εἵλετο δὲ ῥάβδον τῇ τ᾽ ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει.

*vnde & Apollinem, id eſt, Solem, modo ſoſpitatem modo peſtem ſignificantibus cognominibus adoramus: cum tamen peſtis quæ ab eo noxiis immittitur aperte hunc deum bonis propugnare ſignificet. hinc eſt quod apud Pachynum Siciliæ promon-*

*promontorium Apollo Libyſtinus eximia religione celebratur. nam cum Libyci inuaſuri Siciliam claſſem appuliſſent ad id promontorium: Apollo, qui ibi colitur inuocatus ab incolis immiſſa hoſtibus peſte, & pæne cunctis ſubita morte interceptis, Libyſtinus cognominatus eſt. Noſtris quoque continetur annalibus ſimilis eiuſdem dei præſentiæ maieſtas. nam cum ludi Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio Marcij vatis carmineque Sibyllino: repentino hoſtis aduentu plebs ad arma excitata occurrit hoſti; eoque tempore nubes ſagittarum in aduerſos viſa ferri & hoſtem fugauit & victores Romanos ad ſpectacula dei ſoſpitalis reduxit, hinc intelligitur prœlij cauſa non peſtilentiæ, ſicut quidam æſtimant, ludos inſtitutos. Hæc eſt autem huius æſtimationis ratio; quod tunc ſol ſuper ipſum noſtræ habitationis verticem fulget. nam cancer in æſtiuo tropico eſt, in quo meante ſole radij temperatam noſtram non eminus ſed ſuperne demiſſi rectis fulgoribus luſtrant. vnde æſtimatum eſt a nonnullis ad propitiandum tunc maxime deum caloris Apollinaribus litari. Sed inuenio in litteris hos ludos victoriæ non valetudinis cauſa, vt quidam annalium ſcriptores memorant, inſtitutos. bello enim Punico hi ludi ex libris Sibyllinis primum ſunt inſtituti ſuadente Cornelio Ruſo decemuiro, qui propterea Sybilla cognominatus eſt; & poſtea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari. Fertur autem in carminibus Marcij vatis, cuius duo volumina illata ſunt in ſenatum, inuentum eſſe ita ſcriptum,* HOSTEM. ROMANI. SI. EX. AGRO. EXPELLERE. VVLTIS. VOMICAM. QVE. QVAE. GENTIVM. VENIT. LONGE. APOLLINI. CENSEO. VOVENDOS. LVDOS. QVI. QVOT. ANNIS. COMITER. FIANT. HIS. LVDIS. FACIENDIS. PRAESIT. IS. PRAETOR. QVI. IVS. POPVLO. PLEBI. QVE. DABIT.

SVM-



SVMMVM. DECEMVIRI. GRAECO. RITV. HOSTIIS. SACRA. FACIANT. HOC. SI. RECTE. FACIETIS. GAVDEBITIS. SEMPER. FIET. QVE. RES. PVBLICA. MELIOR. NAM. IS. DIVOS. EXSTINGVET. PERDVELLES. VESTROS. QVI. VESTROS. CAMPOS. PASCVNT. PLACIDE. *Ex hoc carmine cum procurandi gratia dies vnus rebus diuinis impenſus eſſet: poſtea ſenatuſconſultum factum vti Decemuiri, quo magis inſtruerentur de ludis Apollini agundis reque diuina recte facienda, libros Sibyllinos adirent. in quibus cum eadem reperta nuntiatum eſſet: cenſuerunt patres Apollini ludos vouendos faciendoſq. inque eam rem duodecim milia æris prætori & duas hoſtias maiores dari: decemviriſque præceptum eſt vt Græco ritu hiſce hoſtiis ſacrum facerent Apollini boue aurato & capris duabus albis auratis, Latonæ boue femina aurata. ludos in circo populus coronatus ſpectare iuſſus. Hæc præcipue traditur origo ludorum Apollinarium. Nunc ex aliis quoque huius dei nominibus eundem eſſe Apollinē & ſolem probemus. Loxias cognominatur vt ait Oenopides,* ὅτι ἐκπορεύεται τὸν λοξὸν κύκλον ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολὰς κινούμενος, *id eſt, quod obliquū circulum ab occaſu ad orientem pergit; aut, vt Cleanthes ſcribit* ἐπειδὴ καθ' ἕλικας κινεῖται. λοξαὶ γάρ εἰσιν καὶ αὗται. *quod flexuoſum pergit iter* ἢ ὅτι τὰς λοξὰς ἀκτῖνας ἵησιν ἐφ' ἡμᾶς βορείους ὄντας νότιος ὤν; *vel quod tranſuerſos in nos a meridie immittit radios, cum ſimus ad ipſum ſeptemtrionales. Delius cognominatur* ἀπὸ τοῦ δῆλα καὶ φανερὰ πάντα ποιεῖν τῷ φωτί, *quod illuminando omnia clara demōſtret.* φοῖβος *appellatur, vt ait Cornificius,* ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, *quod vi fertur. plerique autem a ſpecie & nitore Phœbū, id eſt,* καθαρὸν καὶ λαμπρὸν *dictum putant. itē Phaneta appellant* ἀπὸ τοῦ φαίνειν: *&* φαναῖον, ἐπειδὴ φαίνεται νέος, *quia ſol quotidie renouat ſeſe. vnde Vergilius:* Mane nouum. *Camerienſes, qui ſacram ſoli incolunt*



*inſulam*

inſulam, ἀειγεννήτῃ Apollini immolant; τῷ τὸν ἀεὶ γίγνεσθαι καὶ ἥλιον ἀεὶ γεννᾶν, id eſt, quod ſemper exoriens gignitur, quodque ipſe generat vniuerſa inſeminando, fouendo, producendo, alendo, augendoque. Apollinis Lycij plures accipimus cognominis cauſas. Antipater Stoicus Lycium Apollinem nuncupatum ſcribit ἀπὸ τοῦ λευκαίνεσθαι πάντα φωτίζοντος ἡλίου. Cleanthes Lycium Apollinem appellatum notat, quia veluti lupi pecora rapiunt ita ipſe quoque humorem eripit radiis. priſci Græcorum primam lucem, quæ præcedit ſolis exortus λύκην appellauerunt, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, id eſt temporis: hodieque lycophos cognominant. de quo tempore ita poëta ſcribit:

Ἦμος δ' οὔτ' ἄρπω ἠὼς, ἔτι ἀμφιλύκη νύξ.

idem Homerus;

Εὔχεο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ.

quod ſignificat, τῷ γεννῶντι τὴν λύκην, id eſt, qui generat exortu ſuo lucem. radiorum enim ſplendor propinquantem ſolem longe lateque præcedens, atque caliginem paulatim extenuans tenebrarum, parit lucem. neque minus Romani vt pleraque alia ex Græco, ita lucem videntur a lyce figuraſſe. Annum quoque vetuſtiſſimi Græcorum λυκάβαντα appellant, τὸν ἀπὸ τοῦ λύκου, id eſt, ſole βαινόμενον καὶ μετρούμενον. λύκον autem ſolem vocari etiam Lycopolitana Thebaidos ciuitas teſtimonio eſt: quæ pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc eſt λύκον, colit, in vtroque ſolem venerans; quod hoc animal rapit & conſumit omnia in modum ſolis, ac plurimum oculorum acie cernens tenebras noctis euincit. ipſos quoque λύκους ἀπὸ τῆς λύκης id eſt a prima luce appellatos quidam putant: quia hæ feræ maxime id tempus aptum rapiendo pecori obſeruant, quod antelucanum poſt nocturnam famem ad paſtum ſtabulis expellitur. Apollinem πατρῷον cognominauerunt non propria gentis vnius aut ciuitatis religione, ſed vt auctorem pro-





generandorum omnium rerum; quod ſol humoribus exſiccatis ad progenerandum omnibus præbuit cauſam, vt ait Orpheus:

Πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

vnde nos quoque Ianum patrem vocamus Solem ſub hac appellatione venerantes. Νόμιον Ἀπόλλωνα cognominauerunt non ex officio paſtorali, & fabula, per quam fingitur Admeti regis pecora pauiſſe; ſed quia ſol paſcit omnia quæ terra progenerat. vnde non vnius generis ſed omnium pecorum paſtor canitur. vt apud Homerum Neptuno dicente:

Φοῖβε, σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.

Atque idem apud eundem poëtam equarum paſtor ſignificatur, vt ait:

Τὰς ἐν Πιερίῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων,
Ἄμφω θηλείας, φόβον Ἄρηος φορεούσας.

præterea ædes, vt ouium paſtoris, ſunt apud Camirenſes, ἐπιμηλίῳ, apud Naxios ποιμνίῳ: itemque deus ἀρνοκόμης colitur, & apud Leſbios ναπαῖος. & multa ſunt cognomina per diuerſas ciuitates ad dei paſtoris officium tendentia. quapropter vniuerſi pecoris antiſtes & vere paſtor agnoſcitur. Apollo ἐλελεὺς appellatur, ἀπὸ τοῦ ἑλίσσεσθαι περὶ τὴν γῆν, quod æterno circa terram meatu veluti volui videtur: vt ait Euripides;

Ἥλιε θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.

ἢ ὅτι συναλισθέντος πολλοῦ πυρὸς περιπολεῖ: vt ait Empedocles;

Οὕνεκ' αὖ ἀλισθεὶς μέγαν οὐρανὸν ἀμφιπολεύει,

ὑπὸ τ' ἄλλων ἀπὸ τοῦ συναλίσκειν καὶ συναθροίζειν τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν ἀνατείλῃ, quod exoriens homines conducit in cœtum. Apollo chryſocomas cognominatur, a fulgore radiorum, quas vocant comas aureas ſolis. vnde & ἀκερσεκόμης; quod numquam radij poſſunt a fronte lucis auelli: item argyrotoxus; quod enaſcens per ſummum orbis ambitum ve-

*lut arcus quidam figuratur alba & argentea ſpecie; ex quo arcu radij in modum emicant ſagittarum. Smyntheus cognominatur;* ὅτι ζέων θεῖ: *quia feruens currit:* καρνεῖος, ὅτι καιόμενος ὁρᾶται νέος: *vel quod, cum omnia ardentia conſumantur, hic ſuo calore candens ſemper nouus conſtat. item* Ἀπόλλων σκιάλλιος ὅτι τὰς κινήσεις ἀλλοίας ποιεῖ, *ſemper nobis ab auſtro currens.* θυμβραῖος Ἀπόλλων, ὁ τοὺς ὄμβρους θείς: *quod eſt deus imbricitor.* Ἀπόλλων φιλήσιος; *quod lumen eius exoriens amabile amiciſſima veneratione conſalutamus.* Ἀπόλλων πύθιος: οὐκ ἀπὸ τῆς πύσεως, *id eſt, non a conſultatione oraculorum dictus a phyſicis æſtimatur; ſed* ἀπὸ τοῦ πύθειν, *id eſt,* σήπειν: *quod numquam ſine vi caloris efficitur. hinc ergo* πύθιον *dictum æſtimant: licet hoc nomen ex nece draconis inditum deo Græci fabulentur. quæ tamen fabula non abhorret ab intellectu naturalis arcani. quod apparebit ſi percurratur ordo, qui de Apolline naſcente narratur, ſicut paulo ſuperius enarraturum me eſſe promiſi. Latonæ Apollinem Dianamque parituræ Iuno dicitur obſtitiſſe. ſed, vbi quandoque partus effuſus eſt, draconem ferunt qui* πύθων *vocitabatur inuaſiſſe cunas deorum; Apollinemque in prima infantia ſagittis beluam confeciſſe. quod ita intelligendum naturalis ratio demonſtrat. namque poſt chaos vbi primum cœpit confuſa deformitas in rerum formas & in elementa niteſcere, terraque adhuc humida ſubſtantia molli atque inſtabili ſedenutaret, conualeſcente paulatim ætherio calore, atque inde ſeminibus in eam igneis defluentibus hæc ſidera edita eſſe creduntur, & ſolem quidem maxima vi caloris in ſuperna raptum; lunam vero humidiore & velut femineo ſexu naturali quodam preſſam tepore inferiora tenuiſſe tamquam ille magis ſubſtantia patris conſtet, hæc matris. ſiquidem Latonam phyſici volunt terram videri; cui diu interuenit Iuno ne numina quæ diximus ederentur; hoc eſt, aër qui tunc humidus*





*adhuc grauiſque obſtabat ætheri ne fulgor luminum per humoſi aëris denſitatem tamquam e cuiuſdam partus progreſſione fulgeret. ſed diuinæ prouidentiæ vicit inſtantia, quæ creditur iuuiſſe partum; ideo in inſula Delo, ad confirmandam fidem fabulæ, ædes prouidentiæ, quam* ναὸν προνοίας ἀθηνᾶς *appellant, apta religione celebratur. propterea in inſula dicuntur nati; quod ex mari nobis oriri videntur. hæc inſula ideo Delos vocatur; quia ortus & quaſi partus luminum omnia facit* δῆλα, *id eſt, aperta clareſcere. Hæc eſt autem de nece draconis ratio naturalis, vt ſcribit Antipater Stoicus. nam terræ adhuc humidæ exhalatio meando in ſupera volubili impetu, atque inde ſeſe, poſtquam calefacta eſt, inſtar ſerpentis mortiferi in infera reuoluendo corrumpebat omnia vi putredinis, quæ non niſi ex calore & humore generatur; ipſumque ſolem denſitate caliginis obtegendo videbatur quodammodo lumen eius eximere. ſed diuino feruore radiorum tandem velut ſagittis incidentibus extenuata, exſiccata, enecta interempti draconis ab Apolline fabulam fecit. Eſt & alia ratio draconis perempti. nam ſolis meatus, licet ab ecliptica linea numquam recedat, ſurſum tamen ac deorſum ventorum vices certa deflexione variando iter ſuum velut flexū draconis inuoluit. vnde Euripides;*

Πυριγενὴς δ᾽ ὁ δράκων ὁδὸν ἡγεῖται ταῖς τετραμόρφοις
Ὥραις ζευγνὺς ἁρμονίᾳ πολύκαρπον ὄχημα.

*ſub hac ergo appellatione cæleſtis itineris ſol cum confeciſſet ſuum curſum, draconem confeciſſe dicebatur. inde fabula exorta eſt de ſerpentis nece. Sagittarum autem nomine non niſi radiorum iactus oſtenditur: qui tunc longiſſimi intelliguntur, quo tempore altiſſimus ſol diebus longiſſimis ſolſtitio æſtiuo conficit annuum curſum. inde* ἑκηβόλος *&* ἑκατηβόλος *dictus* ἕκαθεν τὰς ἀκτῖνας βάλλων, *e longiſſimo altiſſimoque radios in terram vſque demittens. De Pythij cognomine ſufficere iſta poſſent;*

ni hæc quoque ſe ratio eiuſdem appellationis ingereret. cum enim ſol in ſigno cancri æſtiuum ſolſtitium facit, in quo eſt longiſſimi diei terminus, & inde retrogreſſum agit ad diminutionem dierum, Pythius eo tempore appellatur, ὡς πύματον θέων, ὅ ἐστι τὸν τελευταῖον δρόμον τρέχων. Idem ei nomen conuenit & cum capricornum rurſus ingrediens vltimum breuiſſimi diei curſum intelligitur peregiſſe, & ideo in alterutro ſignorum peracto annuo ſpatio draconem Apollo, id eſt, flexuoſum iter ſuum, ibi confeciſſe memoratur. hanc opinionem Cornificius in etymis retulit. Ideo autem his duobus ſignis, quæ portæ ſolis vocantur, cancro & capricorno hæc omnia contigerunt; quod cancer animal retro atque oblique cedit. eademque ratione ſol in eo ſigno obliquum, vt ſolet, incipit agere retrogreſſum. capræ vero conſuetudo hæc in paſtu videtur, vt ſemper altum paſcendo petat. ſed & ſol in capricorno incipit ab imis in alta remeare. Ἀπόλλωνα Διδυμαῖον vocant, quod geminam ſpeciem ſui numinis præfert ipſe illuminando formandoque lunam. etenim ex vno fonte lucis gemino ſidere ſpatia diei & noctis illuſtrant. vnde & Romani ſolem ſub nomine & ſpecie Iani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur. Ἀπόλλωνα Δέλφιον vocant; quod quæ obſcura ſunt claritudine lucis oſtendit; ἀπὸ τοῦ δηλοῦν ἀφανῆ; aut, vt Numenio placet, quaſi vnum & ſolum. ait enim priſca Græcorum lingua δέλφον vnum vocari. vnde & frater, inquit, ἀδελφὸς dicitur, quaſi iam non vnus. Hieropolitani præterea, qui ſunt gentis Aſſyriorum, omnes ſolis effectus atque virtutes ad vnius ſimulacri barbati ſpeciem redigunt; eundemque Apollinem appellant. huius facies prolixa in acutum barba figurata eſt, eminente ſuper caput calatho. ſimulacrum thorace munitum eſt. dextera erectam tenet haſtam ſuperſtante victoriæ paruulo ſigno: ſiniſtra floris porrigit ſpeciem: ſummiſque ab humeris gorgoneum velamentum

die mi-



redimitum anguibus tegit ſcapulas. aquilæ propter exprimunt inſtar volatus: ante pedes imago feminea eſt; cuius dextera læuaque ſunt ſigna feminarum. ea cingit flexuoſo volumine draco. radios in terram ſuperne iaci barba demiſſa ſignificat. calathus aureus ſurgens in altum monſtrat ætheris ſummam; vnde ſolis creditur eſſe ſubſtantia. haſtæ atque loricæ argumento imago adiungitur Martis; quem eumdem ac ſolem eſſe procedens ſermo patefaciet. victoria teſtatur cuncta ſummitti huius ſideris poteſtati. floris ſpecies florem rerum proteſtatur, quas hic deus inſeminat, progenerat, fouet, nutrit, maturatque. ſpecies feminea terræ imago eſt, quam ſol deſuper illuſtrat. ſigna duo æque feminea quibus ambitur, hylen naturamque ſignificant confamulantes: & draconis effigies flexuoſum iter ſideris monſtrat. aquilæ propter altiſſimam velocitatem volatus, altitudinem ſolis oſtendunt. addita eſt gorgonea veſtis, quod Minerua quam huius præſidem accipimus, ſolis virtus ſit: ſicut & Porphyrius teſtatur Mineruam eſſe virtutem ſolis, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat. nam ideo hæc dea Iouis capite prognata memoratur, id eſt, de ſumma ætheris parte edita, vnde origo ſolis eſt.

## CAP. XVIII.

Liberum quoq. patrem, eum ipſum eſſe deum quem Solem.

HAEC, quæ de Apolline diximus, poſſunt etiam de Libero patre dicta æſtimari. nam Ariſtoteles, qui theologumena ſcripſit, Apollinem & Liberum patrem vnum eundemque deum eſſe, cum multis argumentis aſſerat, etiam apud Ligyreos ait in Thracia eſſe adytum Libero conſecratum, ex quo redduntur oracula. ſed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero ſumpto, vti apud Clarium aqua potata, effantur oracula. apud Lacedæmonios etiam

in ſa-

*in ſacris, quæ Apollini celebrant Hyacinthia vocantes, hedera coronantur Bacchico ritu. item Bœotij Parnaſum montem Apollini ſacratum eſſe memorantes ſimul tamen in eodem & oraculum Delphicum & ſpeluncas Bacchicas vni deo conſecratas colunt. vnde & Apollini & Libero patri in eodem monte res diuina celebratur. Quod cũ & Varro & Granius Flaccus affirment, etiam Euripides his docet,* Διόνυσος θυρσοῖσι καὶ νεβρῶν δοραῖς καθαπτὸς, ἐν πεύκαισι παρνασὸν καταπηδᾷ χορεύων. *In hoc monte Parnaſo Bacchanalia alternis annis aguntur: vbi & Satyrorum, vt affirmant, frequens cernitur cœtus, & plerumq. voces propriæ eorum exaudiuntur: itemque cymbalorũ crepitus ad aures hominum ſæpe perueniunt. &, ne quis opinetur diuerſis dis Parnaſum montem dicatum, idem Euripides in Licymnio Apollinem Liberumque vnum eumdemq. deum eſſe ſignificans ſcribit,*

Δέσποτα φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν, Ἄπολλων, εὔλυρε.

*ad eandem ſententiam Æſchylus:*

Ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ καβαῖος, ὁ μάντις.

*ſed licet illo prius aſſerto eundem eſſe Apollinem ac ſolem, edoctoque poſtea ipſum eſſe Liberum patrem qui Apollo eſt, nulla ex his dubitatio ſit ſolem ac Liberum patrem eiuſdem numinis habendum: abſolute tamen hoc argumentis liquidioribus adſtruetur. in ſacris enim hæc religioſi arcani obſeruatio tenetur, vt ſol, cum in ſupero, id eſt, in diurno hemiſphærio eſt; Apollo vocitetur: cum in infero, id eſt nocturno; Dionyſus, qui eſt Liber pater, habeatur. item Liberi patris ſimulachra partim puerili ætate partim iuuenili fingũt, præterea barbata ſpecie, ſenili quoque, vti Græci eius quem Baccapea, item quem Briſea appellant, & vt in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes. Hæ autem ætatum diuerſitates ad ſolem referuntur, vt paruulus videatur hiemali ſolſtitio, qualem Ægyptij proferunt ex adyto die certa; quod tũc breuiſſimo die veluti par-*

*uus &*



*uus & infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali ſimiliter atque adoleſcentis adipiſcitur vires, figuraque iuuenis ornatur. poſtea ſtatuitur eius ætas pleniſſima effigie barbæ ſolſtitio æſtiuo; quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum. exinde per deminutiones dierum veluti ſeneſcenti quarta forma deus figuratur. Item in Thracia eundem haberi ſolem atque Liberum accipimus; quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant, vt Alexander ſcribit: eique deo in colle Zilmiſſo ædes dicata eſt ſpecie rotunda; cuius medium interpatet tectum. rotunditas ædis monſtrat huiuſce ſideris ſpeciem: ſummoque tecto lumen admittitur, vt appareat ſolem cuncta vertice ſummo luſtrare lucis immiſſu, & quia oriente eo vniuerſa pateſiunt. Orpheus quoque ſolem volens intelligi ait inter cetera:*

Τήκων αἰθέρα δῖον, ἀκίνητον πρὶν ἐόντα.
Ἐξανέφηνε θεοῖσιν ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
Ὃν δὴ νῦν καλέουσι φάνητά τε καὶ διόνυσον,
Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα, καὶ ἀνταύγην ἀρίδηλον.
Ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
Οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον.
Ἀλλαχθεὶς δ' ὄνομ' ἔσχε προσωνυμίας πρὸς ἕκαστον
Παντοδαπὰς κατὰ καιρὸν, ἀμειβομένοιο χρόνοιο.

*phaneta dixit ſolem* ἀπὸ τοῦ φωτὸς καὶ φανεροῦ. *id eſt, a lumine atque illuminatione, quia cunctis viſitur cuncta conſpiciens Dionyſos, vt ipſe vates ait,* ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, *id eſt, quod circumferatur in ambitum. vnde Cleanthes ita cognominatum ſcribit* ἀπὸ τοῦ διανύσαι, *quia quotidiano impetu ab oriente ad occaſum diem noctemque faciendo, cæli conficit curſum. phyſici* διόνυσον, διὸς νοῦν, *quia ſolem, mundi mentem eſſe dixerunt. mundus autem vocatur cælum, quod appellant Iouem.*

*uem. vnde Aratus de cælo dicturus ait:*

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.

*Liber a Romanis appellatur; quod liber & vagus eſt, vt ait Næuius:*

Hac qua ſol vagus igneas habenas
Immittit propius, iugatque terræ.

*idem verſus Orphici* εὐβουλῆα *vocantes boni conſilij hunc deum præſtitem monſtrant. nam, ſi conceptu mentis conſilia naſcuntur; mundi autem mentem ſolem eſſe opinantur auctores, a quo in homines manat intelligendi principium: merito boni conſilij ſolem antiſtitem crediderunt. Solem liberum eſſe manifeſte pronũtiat Orpheus hoc verſu:*

Ἥλιος ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν.

*& is quidem verſus abſolutior. ille vero eiuſdem vatis operoſior;*

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

*huius verſus auctoritas fundatur oraculo Apollinis Clarij; in quo aliud quoque nomen Soli adijcitur, qui in iſdem ſacris verſibus inter cetera vocatur* ἰαώ. *nam conſultus Apollo Clarius quis deorum habendus ſit, qui vocatur* ἰαώ *ita effatus eſt:*

Ὄργια μὲν δεδαῶτας ἐχρῆν νηπευθέα κεύθειν.
Ἐν δ' ἀπάτῃ παύρη σύνεσις καὶ νοῦς ἀλαπαδνός.
Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰαώ,
Χείματι μέν τ' ἀΐδην, δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν ἰαώ.

*Huius oraculi vim numinis nominiſque interpretationem, qua Liber pater & Sol* ἰαώ *ſignificatur, exſecutus eſt Cornelius Labeo in libro cui titulus eſt,* De oraculo Apollinis Clarij. *Item Orpheus Liberum atque Solem vnum eſſe deum eundemque demonſtrans de ornatu veſtituque eius in ſacris Liberalibus ita ſcribit:*

Ταῦτά γε πάντα τελεῖν ἱερᾷ σκευῇ πυκάσαντα

Σῶμα



Σῶμα θεοῦ πλάττειν ἐριαυγοῦς ἠελίοιο.
Πρῶτα μὲν ἀργυφέαις ἐναλίγκιον ἀκτίνεσσιν
Πέπλον φοινίκεον πυρὶ ἴκελον ἀμφιβαλέσθαι.
Αὐτὰρ ὕπερθε νεβροῖο παναίολον εὐρὺ καθάψαι
Δέρμα πολύστικτον θηρὸς κατὰ δεξιὸν ὦμον,
Ἄστρων δαιδαλέων μίμημ' ἱεροῦ τε πόλοιο.
Εἶτα δ' ὕπερθε νεβρῆς χρύσεον ζωστῆρα βαλέσθαι
Παμφανόωντα πέριξ στέρνων φορέειν μέγα σῆμα
Εὐθὺς ὅτ' ἐκ περάτων γαίης φαέθων ἀνορούων
Χρυσείαις ἀκτῖσι βάλῃ ῥόον ὠκεανοῖο,
Αὐγὴ δ' ἄσπετος ᾖ, ἀνὰ δὲ δρόσῳ ἀμφιμιγεῖσα
Μαρμαίρῃ δίνῃσιν ἑλισσομένη κατὰ κύκλον,
Πρόσθε θεοῦ. ζώνη δ' ἄρ ὑπὸ στέρνων ἀμετρήτων
Φαίνετ' ἄρ ὠκεανοῦ κύκλος, μέγα θαῦμ' ἐσιδέσθαι.

*Hinc & Vergilius ſciens Liberum patrem Solem eſſe & Cererem Lunam, qui pariter fertilitatibus glebæ & maturandis frugibus vel nocturno temperamento vel diurno calore moderantur,*

Veſtro, *ait*, ſi munere Tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.

*Solem vero terrenæ eſſe fecunditatis auctorem idem poëta profano mox docuit exemplo, cum ait:*

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros. *& reliqua. Si enim hominum commento ignis adhibitus multiplex præſtat auxilium: quid adſcribendum eſt ætherio ſolis calori?*

## CAP. XIX.

Ne Martis quidem aut Mercurij aliud eſſe numen quam Solem.

QVAE *de Libero patre dicta ſunt hæc Martem eundem ac ſolem eſſe demonſtrant. ſiquidem plerique Liberum cum Marte coniungunt vnum deum eſſe monſtrantes*

ſtrantes. vnde Bacchus ἐνυάλιος cognominatur; quod eſt inter propria Martis nomina. colitur etiam apud Lacedæmonios ſimulacrum Liberi patris haſta inſigne non thyrſo. ſed & cum thyrſum tenet, quid aliud quam latens telum gerit, cuius mucro hedera lambente protegitur? quod oſtendit vinculo quodam patientiæ obligandos impetus belli. habet enim hedera vinciendi obligandique naturam; necnon & calor vini, cuius Liber pater auctor eſt, ſæpe homines ad furorem bellicum vſque propellit. igitur propter cognatum vtriusque effectus calorem Martem ac Liberum vnum eundemque deum eſſe voluerunt. certe Romani vtrumque patris appellatione venerantur, alterum Liberum patrem, alterum Marſpitrem, id eſt, Martem patrem cognominantes. hinc etiam Liber pater bellorum potens probatur; quod eum primum ediderunt auctorem triumphi. Cum igitur Liber pater idem ac Sol ſit, Mars vero idem ac Liber pater: Martem Solem eſſe quis dubitet? Accitani etiam Hiſpana gens, ſimulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant Neton vocantes. & certe ratio naturalis exigit vt di caloris cœleſtis parentes magis nominibus quam re ſubſtantiaque diuiſi ſint. feruorem autem, quo animus excandeſcit excitaturque aliâs ad iram aliâs ad virtutes, nonnumquam ad temporalis furoris exceſſum, per quas res etiam bella naſcuntur, Martem cognominauerunt. cuius vim poëta exprimendo & ſimilitudini ignis applicando ait:

Μαίνετο δ' ὡς ὅτ' ἄρης ἐγχέσπαλος ἢ ὀλοὸν πῦρ. in ſumma pronunciandum eſt effectum ſolis, de quo feruor animorum, de quo calor ſanguinis excitatur, Martem vocari. Vt vero Mercurius Sol probetur ſuperius edocta ſuffragio ſunt. eumdem enim eſſe Apollinem atque Mercurium vel hinc apparet: quod apud multas gentes ſtella Mercurij ad Apollinis nomen refertur; & quod Apollo Muſis præſidet; Mercurius ſermonem, quod eſt Muſarum munus, impertit. præter hoc

ter hoc



ter hoc quoque Mercurium pro ſole cenſeri multa documenta ſunt. primum; quod ſimulacra Mercurij pinnatis alis adornantur: quæ res monſtrat Solis velocitatem. nam quia mentis potentem Mercurium credimus, appellatumque ita intelligimus ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, & ſol mundi mens eſt, ſumma autem eſt velocitas mentis vt ait Homerus;

ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα:

ideo pinnis Mercurius quaſi ipſa natura ſolis ornatur. Hoc argumentum Ægyptij lucidius abſoluunt ipſius ſolis ſimulacra pinnata fingentes; quibus color apud illos non vnus eſt. alterum enim cærula ſpecie alterum clara fingunt; ex his clarum ſuperum & cæruleum inferum vocant. inferi autem nomen Soli datur, cum in inferiore hemiſphærio, id eſt, hiemalibus ſignis curſum ſuum peragit; ſuperi, cum partem zodiaci ambit æſtiuam. Eadem circa Mercurium ſub alia fabula fictio eſt, cum inter ſuperos & inferos deos adminiſter ac nuntius æſtimatur. Argiphontes præterea cognominatur non quod Argum peremerit, quem ferunt per ambitum capitis multorum oculorum luminibus ornatum cuſtodiſſe Iunonis imperio Inachi filiam Io eius deæ pelicem conuerſam in bouis formam: ſed ſub huiuſcemodi fabula Argus eſt cælum ſtellarum luce diſtinctum; quibus ineſſe quædam ſpecies cæleſtium videtur oculorum. cælum autem Argum vocitari placuit a candore & velocitate παρὰ τὸ λευκὸν καὶ ταχύ. Et videtur terram deſuper obſeruare: quam Ægyptij, hieroglyphicis litteris cum ſignare volunt, ponunt bouis figuram. is ergo ambitus cæli ſtellarum luminibus ornatus tunc æſtimatur enectus a Mercurio, cum ſol diurno tempore obſcurando ſidera velut enecat, vi luminis ſui conſpectum eorum auferendo mortalibus. pleraque etiam ſimulacra Mercurij quadrato ſtatu figurantur ſolo capite inſignita & virilibus erectis. quæ figura ſignificat Solem mundi eſſe caput & rerum ſatorem, omnemque vim



que vim

*que vim eius non in quodam diuiſorum miniſterio membrorum ſed in ſola mente conſiſtere, cuius ſedes in capite eſt. quatuor latera eadem ratione finguntur, qua & tetrachordum Mercurio creditur attributum. quippe ſignificat hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur; vel quod duobus æquinoctiis duobuſque ſolſtitiis zodiaci ratio diſtincta eſt: vt lyra Apollinis chordarum ſeptem tot cæleſtium ſphærarum motus præſtat intelligi, quibus Solem moderatorem natura conſtituit. in Mercurio ſolem coli etiam ex caduceo claret, quod Ægyptij in ſpecie draconum maris & feminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum. hi dracones parte media voluminis ſui inuicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur; primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oſculis ambitum circuli iungunt: & poſt nodum caudæ reuocantur ad capulum caducei; ornanturque alis ex eadem capuli parte naſcentibus. Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ geneſis appellatur, Ægyptij protendunt deos præſtites homini naſcenti quatuor adeſſe memorantes, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην: & duo priores Solem ac Lunam intelligi volunt, quod Sol auctor ſpiritus caloris ac luminis humanæ vitæ genitor & cuſtos eſt; & ideo naſcentis dæmon, id eſt, deus creditur: Luna τύχη; quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate iactantur: amor oſculo ſignificatur; neceſſitas nodo. cur pinnæ adiiciantur iam ſuperius abſolutum eſt. Ad huiuſmodi argumenta draconum præcipue volumen electum eſt propter iter vtriuſque ſideris flexuoſum.*

CAP.



## CAP. XX.

Quin Æſculapium quoque, & Salutem, & Herculem, & cum Iſide, ipſum etiam Serapin, alios quam Solem deos non eſſe.

HINC *eſt quod ſimulacris Aeſculapij & Salutis draco ſubiungitur; quod hi ad Solis naturam Lunæque referuntur. & eſt Aeſculapius vis ſalubris de ſubſtantia ſolis ſubueniens animis corporibuſque mortalium: Salus autem naturæ lunaris effectus eſt, quo corpora animantium iuuantur ſalutifero firmata temperamento. ideo ergo ſimulacris eorum iunguntur figuræ draconum; quia præſtant vt humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum reuireſcant virorem, vt vireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta, propterea & ad ipſum ſolem ſpecies draconis refertur; quia Sol ſemper velut à quadam imæ depreſſionis ſenecta in altitudinem ſuam vt in robur reuertitur iuuentutis. Eſſe autem draconem inter præcipua ſolis argumenta, etiam nominis fictione monſtratur, quod ſit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν id eſt, videre. nam ferunt hunc ſerpentem acie acutiſſima & peruigili naturam ſideris huius imitari; atque ideo ædium, adytorum, oraculorum, theſaurorum cuſtodiam draconibus aſſignari. Aeſculapium vero eundem eſſe atque Apollinem non ſolum hinc probatur quod ex illo natus creditur; ſed quod ei & ius diuinationis adiungitur. nam Apollodorus in libris quibus titulus eſt περὶ θεῶν ſcribit quod Aeſculapius diuinationibus & auguriis præſit. nec mirum: ſiquidem medicinæ atque diuinationum conſociatæ ſunt diſciplinæ. nam medicus vel commoda vel incommoda in corpore futura prænoſcit; ſicut ait Hippocrates oportere medicũ dicere de ægro, τά τε παρεόντα καὶ τὰ προγεγονότα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, id eſt,*

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequentur.

quod congruit diuinationibus, quæ ſciunt

τά τε ὄντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Sed nec Hercules a ſubſtantia ſolis alienus eſt. quippe Hercules ea eſt ſolis poteſtas, quæ humano generi virtutem ad ſimilitudinem præſtat deorum. Nec æſtimes Alcmena apud Thebas Bœotias natum ſolum vel primum Herculem nuncupatum. immo poſt multos atque poſtremus ille hac appellatione dignatus eſt honoratuſque hoc nomine; quia nimia fortitudine meruit nomen dei virtutem regentis. ceterum deus Hercules religioſe quidem & apud Tyron colitur: verum ſacratiſſima & auguſtiſſima AEgyptij eum religione venerantur, vltraque memoriam quæ apud illos retro longiſſima eſt, vt carentem initio colunt. Ipſe creditur & gigantas interemiſſe cum cælo propugnaret, quaſi virtus deorum. gigantas autem quid aliud fuiſſe credendum eſt quam hominum quandam impiam gentem deos negantem; & ideo æſtimatam deos pellere de cæleſti ſede voluiſſe: horum pedes in draconum volumina deſinebant. quod ſignificat nihil eos rectum nihil ſuperum cogitaſſe, totius vitæ eorum greſſu atque proceſſu in inferna mergente. ab hac gente ſol pœnas debitas vi peſtiferi caloris exegit. Et reuera Herculem ſolem eſſe vel ex nomine claret. Heracles enim quid aliud eſt niſi heras, id eſt, aëris cleos; quæ porro alia aëris gloria eſt niſi ſolis illuminatio; cuius receſſu profunditate occulitur tenebrarum? Præterea ſacrorum adminiſtrationes apud AEgyptios multiplici actu multiplicem dei aſſerunt poteſtatem, ſignificantes Herculem hunc eſſe τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων ἥλιον. Ex re quoque alibi terrarum geſta argumentum non vile colligitur. nam Theron rex Hiſpaniæ citerioris, cum ad expugnandum Herculis templum ageretur furore inſtructus exercitu nauium; Gaditani



ex aduerſo venerunt prouecti nauibus longis: commiſſoque prælio adhuc æquo Marte exſiſtente pugna ſubito in fugam verſæ ſunt regiæ naues; ſimulque improuiſo igne correptæ conflagrauerunt. pauciſſimi, qui ſuperfuerant, hoſtium capti indicauerunt apparuiſſe ſibi leones proris Gaditanæ claſſis ſuperſtantes, ac ſubito ſuas naues immiſſis radijs quales in Solis capite pinguntur exuſtas. Eidem AEgypto adiacens ciuitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſeruat: omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere, vel dum calathum capiti eius infigunt, vel dum ſimulacro ſignum tricipitis animantis adiungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem. dextera parte caput canis exoritur manſueta ſpecie blandientis. pars vero læua ceruicis rapacis lupi capite finitur; eaſque formas animalium draco connectit volumine ſuo capite redeunte ad dei dexteram qua compeſcitur monſtrum. Ergo leonis capite monſtratur præſens tempus: quia conditio eius inter præteritum futurumq. actu præſenti valida feruenſque eſt. ſed & præteritum tempus lupi capite ſignatur, quod memoria rerum tranſactarum rapitur & aufertur. item canis blandientis effigies futuri temporis deſignat euentum; de quo nobis ſpes licet incerta blanditur. tempora autem cui niſi proprio famularentur auctori? cuius vertex inſignitus calatho & altitudinem ſideris monſtrat & potentiam capacitatis oſtentat: quia in eum omnia terrena redeunt dum immiſſo calore rapiuntur. Accipe nunc quid de Sole vel Sarapi pronuntietur oraculo. nam Sarapis, quem AEgyptij deum maximum prodiderunt, oratus a Nicocreonte Cypriorum rege quis deorum haberetur his verſibus, ſollicitam religionem regis inſtruxit:

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω.

Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαςὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται.
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

*ex his apparet Sarapis & ſolis vnam & indiuiduam eſſe naturam. Iſis iuncta religione celebratur, quæ eſt vel terra vel natura rerum ſubiacens Soli. hinc eſt quod continuatis vberibus corpus deæ omne denſetur, quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur vniuerſitas.*

## CAP. XXI.

Adonin, Attinem, Oſirin, & Horum, aliud non eſſe quam Solem. Præterea & duodecim ſigna Zodiaci ad naturam Solis referri.

ADONIN *quoque Solem eſſe non dubitabitur inſpecta religione Aſſyriorum; apud quos Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent. nam phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero hemiſphærium terræ Proſerpinam vocauerunt. ergo apud Aſſyrios ſiue Phœnicas lugens inducitur dea: quod Sol annuo greſſu per duodecim ſignorum ordinem pergens partem quoque hemiſphærij inferioris ingreditur; quia de duodecim ſignis zodiaci ſex ſuperiora ſex inferiora cenſentur: &, cum eſt in inferioribus & ideo dies breuiores facit, lugere creditur dea, tamquam Sole raptu mortis temporalis amiſſo a Proſerpina retento; quam numen terræ inferioris circuli & antipodum diximus. rurſumque Adonin redditum Veneri credi volunt, cum ſol euictis ſex ſignis inferioris ordinis incipit noſtri circuli luſtrare hemiſphærium cum incremẽto luminis & dierum. ab apro autem tradunt interemptum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes; quod aper hiſpidus & aſper gaudet locis humidis & lutoſis pruinaque contectis, proprieque hiemali fructu paſcitur glande. ergo hiems veluti vulnus eſt ſolis, quæ & lucem eius nobis minuit & calorem; quod vtrumque animantibus accidit morte. Simulacrum huius deæ in monte Libano fingitur capite obnupto, ſpecie triſti, faciem manu læua intra amictum ſuſtinens, lachrymæ viſione conſpicientium manare creduntur. quæ imago præter quod lugentis eſt, vt diximus, deæ, terræ quoque hiemalis eſt; quo tempore obnupta nubibus ſole viduata ſtupet, fonteſque veluti terræ oculi vberius manant, agrique interim ſuo cultu vidui mæſtam faciem ſui monſtrant. Sed cum ſol emerſit ab inferioribus partibus terræ, vernaliſque æquinoctij tranſgreditur fines augendo diem: tunc eſt & Venus læta & pulchra virent arua ſegetibus, prata herbis, arbores foliis. ideo maiores noſtri Aprilem menſem Veneri dicauerunt. Similiter Phryges fabulis & ſacrorum adminiſtrationibus immutatis, circa matrem deûm & Attinem eadem intelligi præſtant. quis enim ambigat matrem deûm terram haberi? Hæc dea leonibus vehitur validis impetu atque feruore animalibus; quæ natura cæli eſt, cuius ambitu aër continetur qui vehit terram. Solem vero ſub nomine Attinis ornant fiſtula & virga. fiſtula ordinem ſpiritus inæqualis oſtendit: quia venti, in quibus nulla æqualitas eſt, propriam ſumunt de ſole ſubſtantiam. virga poteſtatem ſolis aſſerit qui cũcta moderatur. præcipuam autem Solis in his ceremonijs veri rationem hinc etiam poteſt colligi; quod ritu eorum catabaſi finita, ſimulationeque luctus peracta, celebratur lætitiæ exordium ad octauum Kalendas Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore ſol diem longiorem nocte protendit. idem ſub diuerſis nominibus religionis effectus eſt apud Ægyptios, cũ Iſis Oſirin luget. nec in occulto eſt neque aliud eſſe Oſirin quam Solem, nec Iſin aliud eſſe quam terram,*

*terram, vt diximus, naturamve rerum: eademque ratio quæ circa Adonin & Attinem vertitur in AEgyptia quoque religione luctum & lætitiam vicibus annuæ adminiſtrationis alternat. hinc Oſirin AEgyptij, vt ſolem eſſe aſſerant, quotiens hieroglyphicis litteris ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum; inque eo ſpeciem oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirin monſtrant; ſignificantes hunc deum Solem eſſe, regalique poteſtate ſublimem cuncta deſpicere: quia Solem Iouis oculum appellat antiquitas. Apud eoſdem Apollo, qui eſt Sol, Horus vocatur. ex quo & horæ vigintiquatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt: & quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur. Idem AEgyptij volentes ipſius Solis nomine dicare ſimulacrum figurauere raſo capite, ſed dextra parte crine remanente. ſeruatus crinis docet Solem naturæ rerum nunquam eſſe in operto. dempti autem capilli reſidente radice monſtrant hoc ſidus etiam tempore quo non viſitur a nobis ruſum emergendi, vti capillos, habere ſubſtantiam. eodem argumento ſignificatur & tempus quo anguſta lux eſt; cum velut abraſis incrementis naturaque manente exſtantia, ad minimum diei ſol peruenit ſpatium; quod veteres appellauere brumale ſolſtitium; brumam a breuitate dierum cognominantes, id eſt, βραχὺ ἦμαρ. ex quibus latebris vel anguſtiis rurſus emergens ad æſtiuum hemiſphærium tanquam enaſcens in augmenta porrigitur; & tunc ad regnum ſuum perueniſſe iam creditur. propterea AEgyptij animal in zodiaco conſecrauere ea cæli parte, qua maxime annuo curſu Sol valido efferuet calore; leoniſque inibi ſignum domicilium Solis appellant: quia id animal videtur ex natura Solis ſubſtantiam ducere; primumque impetu & calore præſtat animalia, vti præſtat ſol ſidera; validuſque eſt leo pectore & priore corporis parte, ac degenerat poſterioribus membris. æque ſolis vis prima parte*





*diei ad meridiem increſcit, vel prima parte anni a vere in æſtatem; mox elangueſcens deducitur vel ad occaſum qui diei, vel ad hiemem quæ anni pars videtur eſſe poſterior, idemque oculis patentibus atque igneis cernitur ſemper; vt Sol patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili cernit. Nec ſolus leo ſed ſigna quoque vniuerſa zodiaci ad naturam Solis iure referuntur, &, vt ab ariete incipiam, magna illi concordia eſt. nam is per menſes ſex hibernales ſiniſtro incubat lateri, ab æquinoctio verno ſupra dexterum latus: ſicut & Sol ab eodem tempore dexterum hemiſphærium, reliquo ambit ſiniſtrum. Ideo & Hammonem, quem deum Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet ſicut ſol radijs. nam & apud Græcos ἀπὸ τοῦ κάρα κριὸς appellatur. Taurum vero ad ſolem referri multiplici ratione AEgyptius cultus oſtendit: vel quia apud Heliopolim taurum Soli conſecratum, quem Neton cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in ciuitate Memphi Solis inſtar excipitur; vel quia in oppido Hermunthi magnifico Apollinis templo conſecratum Soli colunt taurum, Pacin cognominantes, inſignem miraculis conuenientibus naturæ Solis. nam & per ſingulas horas mutare colores affirmatur, & hirſutus ſetis dicitur in aduerſum naſcentibus contra naturam omnium animalium. vnde habetur veluti imago Solis in diuerſam mundi partem nitentis. Gemini autem, qui alternis mortibus viuere creduntur, quid aliud niſi Solem, vnum eundemque ſignificant modo deſcendentem in ima mundi, modo mundi in ſummam altitudinem reſurgentem? Cancer oblique greſſu quid aliud niſi iter Solis oſtendit, qui viam nunquam rectam ſed per illam ſemper meare ſortitus eſt,*

Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo;

*maximeque in illo ſigno Sol a curſu ſupero incipit obliquus inferio-*

*ra iam petere. De leone ſupra iam dictum eſt. Virgo autem, quæ manu ariſtam refert, quid aliud quam* δύναμις ἡλιακὴ *quæ fructibus curat? & ideo iuſtitia creditur; quæ ſola facit naſcentes fructus ad hominum vſus peruenire. Scorpius totus, in quo Libra eſt, naturam Solis imaginatur; qui hieme torpeſcit & tranſacta hac aculeum rurſus erigit vi ſua nullum naturæ damnum ex hiberno torpore perpeſſa. Sagittarius, qui omnium Zodiaci domiciliorum imus atque poſtremus eſt, ideo ex homine in feram per membra poſteriora degenerat quaſi poſtremis partibus ſuis a ſuperis in inferna detruſus. ſagittam tamen iacit: quod indicat tunc quoque vniuerſorum conſtare vitam radio Solis vel ab ima parte venientis. Capricornus ab infernis partibus ad ſupera Solem reducens capræ naturam videtur imitari; quæ dum paſcitur, ab imis partibus prominentium ſemper ſcopulorum alta depoſcit. Aquarius nonne ipſam vim Solis oſtendit? vnde enim imber caderet in terras, niſi ſolis calor ad ſupera traheret humorem; cuius refuſio pluuialis eſt copia? In vltimo ordine zodiaci piſces locati ſunt: quos conſecrauit Soli non aliqua naturæ ſuæ imitatio, vt cetera, ſed oſtentatio potentiæ ſideris; a quo vita non ſolum aëris terreniſque animalibus datur, ſed illis quoque quorum conuerſatio aquis merſa velut a conſpectu ſolis exſulat. tanta eſt vis Solis vt abſtruſa quoque penetrando viuificet.*

## CAP. XXII.

Quod Nemeſis, Pan, (quem vocant Inuum) & Saturnus, aliud non ſint quam Sol.

ET, *vt ad Solis multiplicem poteſtatem reuoluatur oratio, Nemeſis, quæ contra ſuperbiam colitur, quid aliud eſt quam Solis poteſtas? cuius iſta natura eſt vt fulgentia obſcuret & conſpectui auferat, quæque ſunt in ob-*





*ſcuro illuminet offeratque conſpectui. Pan ipſe, quem vocant Inuum, ſub hoc habitu quo cernitur Solem ſe eſſe prudentioribus permittit intelligi. hunc deum Arcades colunt appellantes* τὸν τῆς ὕλης κύριον*: non ſiluarum dominum ſed vniuerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem ſignificari volentes. cuius materiæ vis vniuerſorum corporum, ſeu illa diuina ſeu terrena ſint, componit eſſentiam. ergo Inui cornua barbæque prolixa demiſsio naturam lucis oſtendunt, qua ſol & ambitum cæli ſuperioris illuminat & inferiora colluſtrat. vnde Homerus de eo ait;*

Ὤρνυθ' ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι, ἠδὲ βροτοῖσιν.

*Quid fiſtula vel virga ſignificent ſuperius in habitu Attinis expreſsimus. Quod in capræ pedes deſinit, hæc argumenti ratio eſt; quia materia, quæ in omnem ſubſtantiam Sole diſpenſante porrigitur, diuinis de ſe corporibus effectis in terræ finitur elementum. ad huius igitur extremitatis ſignum pedes huius animalis electi ſunt, quod & terrenum eſſet & tamen ſemper peteret alta paſcendo; ſicut Sol vel cum radios ſuperne dimittit in terras vel cum ſe recolligit in montibus viſitur. Huius Inui amor & deliciæ* ἠχὼ *creditur nullius oculis obnoxia: quod ſignificat harmoniam cæli, quæ Soli amica eſt quaſi ſphærarum omnium de quibus naſcitur moderatori; nec tamen poteſt noſtris vmquam ſenſibus deprehendi. Saturnus ipſe, qui auctor eſt temporum & ideo a Græcis immutata littera* κρόνος *quaſi* χρόνος *vocatur, quid aliud niſi Sol intelligendus eſt? cum tradatur ordo elementorum temporum numeroſitate diſtinctus, luce patefactus, nexus æternitate conductus, viſione diſcretus: quæ omnia actum Solis oſtendunt.*

## CAP. XXIII.

Iouem quoque, & Aſſyriorum Adad, eundem eſſe quem Solem. Tum & theologorum, & Orphei autoritate oſtendi poſſe, omnes referri ad Solem.

*NEC ipſe Iupiter rex deorum Solis naturam videtur excedere: ſed eumdem eſſe Iouem ac Solem claris docetur indiciis. nam cum ait Homerus:*

Ζεὺς γὰρ ἐς ὠκεανὸν μετ᾽ ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἕποντο,
Δωδεκάτη δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται οὔλυμπόνδε.

*Iouis appellatione Solem intelligi Cornificius ſcribit, cui vnda oceani velut dapes miniſtrat. ideo enim, ſicut & Poſſidonius & Cleanthes affirmant, Solis meatus a plaga quæ vſta dicitur non recedit; quia ſub ipſa currit oceanus, qui terram & ambit & diuidit. omnium autem phyſicorum aſſertione conſtat calorem humore nutriri. nam quod ait,*

θεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἕποντο,

*ſidera intelliguntur; quæ cum eo ad occaſus ortuſque cotidiano impetu cæli feruntur, eodemque aluntur humore.* θεοὺς *enim dicunt ſidera & ſtellas,* ἀπὸ τοῦ θέειν, *id eſt* τρέχειν, *quod ſemper in curſu ſint;* ἢ ἀπὸ τοῦ θεωρεῖσθαι. *addit poëta,*

Δωδεκάτη δέ τοι αὖθις,

*non dierum ſed horarum ſignificans numerum, quibus referuntur ad hemiſpharij ſuperioris exortum. Intellectum noſtrum ducunt in eandem ſententiam etiam de Timæo Platonis hæc verba:* Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα, καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ᾽ ἕπεται στρατιὰ θεῶν καὶ δαιμόνων κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη, μένει δὲ ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. *his enim verbis magnum in cælo ducem ſolem vult ſub appellatione*



*tione Iouis intelligi alato curru velocitatem ſideris monſtrans. nam, quia in quocunque ſigno fuerit præſtat omnia ſigna & ſidera ſignorumque præſtites deos, videtur cunctos deos ducatu præire ornando cuncta ordinandoque; atque ideo velut exercitum eius ceteros deos haberi per* XII. *ſignorum partes diſtributos: quia ipſe duodecimi ſigni, in quocumque ſigno fuerit, locum occupat. nomen autem dæmonum cum deorum appellatione coniungit; aut quia dij ſunt* δαήμονες, *id eſt, ſcientes futuri, aut, vt Poſſidonius ſcribit in libris quibus titulus eſt* περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων, *quia ex ætherea ſubſtantia parta atque diuiſa qualitas illis eſt; ſiue* ἀπὸ τοῦ δαιομένου, *id eſt,* καιομένου: *ſeu* ἀπὸ τοῦ δαιομένου, *hoc eſt,* μεριζομένου. *Quod autem addit* μένει δ᾽ ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη; *ſignificat quia hæc ſola, quam terram eſſe accipimus manet immobilis intra domum deorum, id eſt, intra mundum, vt ait Euripides;*

Καὶ γαῖα μῆτερ. ἑστίαν δέ σ᾽ οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.

*hinc quoque oſtenditur quid de Sole & Ioue ſit ſentiendum cum alibi dicatur;*

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

*& alibi:*

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

*vnde vtrumque conſtat vna poteſtate cenſendum. Aſſyrij quoque Solem ſub nomine Iouis, quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis ceremoniis celebrant in ciuitate quæ Heliopolis nuncupatur. eius dei ſimulacrum ſumptum eſt de oppido Ægypti, quod & ipſum Heliopolis appellatur, regnante apud Ægyptios Senemure, ſeu idem Senepos nomine fuit: perlatumque eſt primum in eam per Opiam legatum Deleboris regis Aſſyriorum, ſacerdoteſque Ægyptios, quorum princeps fuit Partemetis; diuque habitum apud Aſſyrios poſtea Heliopolim commigrauit. Cur ita factum,*

*ctum, quaque ratione Ægypto profectum in hac loca vbi nunc eſt poſtea venerit rituque Aſſyrio magis quam Ægyptio colatur dicere ſuperſedi, quia ad præſentem non attinet cauſam. Hunc vero eumdem Iouem Solemque eſſe cum ex ipſo ſacrorum ritu tum ex habitu dinoſcitur. ſimulacrum enim aureum ſpecie imberbi inſtat dextra eleuata cum flagro in aurigæ modum; læua tenet fulmen & ſpicas quæ cuncta Iouis Soliſque conſociatam potentiam monſtrant. Huius templi religio etiam diuinatione præpollet, quæ ad Apollinis poteſtatem refertur qui idem atque Sol eſt. vehitur enim ſimulacrum dei Heliopolitani ferculo, vti vehuntur in pompa ludorum Circenſium deorum ſimulacra: & ſubeunt plerumque prouinciæ proceres raſo capite longi temporis caſtimonia puri; feruntarque diuino ſpiritu, non ſuo arbitrio, ſed quo deus propellit vehentes: vt videmus apud Antium promoueri ſimulacra Fortunarum ad danda reſponſa. Conſulunt hunc deum & abſentes miſſis diplomatibus conſignatis: reſcribitque ordine ad ea quæ conſultatione addita continentur. Sic & imperator Traianus initurus ex ea prouincia Parthiam cum exercitu conſtantiſſimæ religionis hortantibus amicis, qui maxima huiuſce numinis ceperant experimenta, vt de euentu conſuleret rei cœptæ, egit Romano conſilio prius explorando fidem religionis; ne forte fraus ſubeſſet humana: & primum miſit ſignatos codicillos, ad quos ſibi reſcribi vellet. deus iuſſit afferri chartam, eamque ſignari puram & mitti, ſtupentibus ſacerdotibus ad eiuſmodi factum. ignorabant quippe condicionem codicillorum. hos cum maxima admiratione Traianus excepit; quod ipſe quoque puris tabulis cum deo egiſſet. tunc aliis codicillis conſcriptis ſignatiſque conſuluit, an Romam perpetrato bello rediturus eſſet. vitem centurialem deus ex muneribus in æde dedicatis deferri iuſſit, diuiſamque in partes ſudario condi ac proinde ferri. exitus*



*exitus rei obitu Traiani apparuit oſſibus Romam relatis. nam fragmentis ſpecies reliquiarum, vitis argumento caſus futuri tempus oſtenſum eſt. Et, ne ſermo per ſingulorum nomina deorum vagetur, accipe quid Aſſyrii de Solis potentia opinentur. deo enim, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. eius nominis interpretatio ſignificat*, vnus. *hunc ergo vt potentiſſimum adorant deum: ſed ſubiungunt eidem deam nomine Adargatin; omnemque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem terramque intelligentes, nec multitudine nominum enuntiantes diuiſam eorum per omnes ſpecies poteſtatem, ſed argumentis, quibus ornantur, ſignificantes multiplicem præſtantiam duplicis numinis. ipſa autem argumenta Solis rationem loquuntur. namque ſimulachrum Adad inſigne cernitur radiis inclinatis. quibus monſtratur vim cæli in radiis eſſe Solis, qui demittuntur in terram. Adargatis ſimulacrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt; monſtrando radiorum vi ſuperne miſſorum enaſci quæcumque terra progenerat. ſub eodem ſimulacro ſpecies leonum ſunt, eadem ratione terram eſſe monſtrantes qua Phryges finxere matrem deûm, id eſt, terram leonibus vehi. Poſtremo potentiam Solis ad omnium poteſtatum ſummitatem referri indicant theologi; qui in ſacris hoc breuiſſima precatione demonſtrant, dicentes:* ἥλιε παντοκράτορ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς. *Solem eſſe omnia & Orpheus teſtatur his verſibus:*

Κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικαύγεα κύκλον
Οὐρανίαις στροφάλιγξι περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων.
Ἀγλαὲ Ζεῦ Διόνυσε, πάτερ πόντου, πάτερ αἴης,
Ἥλιε παγγενέτορ, παναίολε, χρυσεοφεγγές.

CAP.

## CAP. XXIV.

De laudibus variaque eruditione Vergilij. Tum de iis quæ ſequentibus libris per ordinem ſunt explicanda.

HIC, cum Prætextatus feciſſet finem loquendi, omnes in eum affixis vultibus admirationem ſtupore prodebant: dein laudare hic memoriam; ille doctrinam, cuncti religionem; affirmantes hunc eſſe vnum arcanæ deorum naturæ conſcium, qui ſolus diuina & aſſequi animo & eloqui poſſet ingenio. Inter hæc Euangelus, Equidem, inquit, miror potuiſſe tantorum poteſtatem numinum comprehendi. verum, quod Mantuanum noſtrum ad ſingula cum de diuinis ſermo eſt teſtem citatis, gratioſius eſt quam vt iudicio fieri putetur. an ego credam quod ille cum diceret,

Liber & alma Ceres,

pro Sole & luna, non hoc in alterius poëtæ imitationem poſuit, ita dici audiens, cur tamen diceretur ignorans? niſi forte, vt Græci omnia ſua in immenſum tollunt, nos quoque etiam poëtas noſtros volumus philoſophari: cum ipſe Tullius, qui non minus profeſſus eſt philoſophandi ſtudium quam loquendi, quotiens aut de natura deorum aut de fato aut de diuinatione diſputat, gloriam quam oratione conflauit incondita rerum relatione minuat. Tum Symmachus, De Cicerone, Euangele, qui conuitiis impenetrabilis eſt, poſt videbimus. nunc, quia cum Marone nobis negotium eſt, reſpondeas volo vtrum poëtæ huius opera inſtituendis tantum pueris idonea iudices, an alia illis altiora ineſſe fatearis, videris enim mihi ita adhuc Vergilianos habere verſus, qualiter eos pueri magiſtris prælegentibus canebamus. Immo pueri cum eſſemus, Symmache, ſine iudicio mirabamur: inſpicere autem vitia nec per magiſtros nec per ætatem licebat; quæ tamen non pudenter quiſquam negabit, cum ipſe confeſſus

ſit. qui



ſit. qui enim moriens poëma ſuum legauit igni, quid niſi famæ ſuæ vulnera poſteritati ſubtrahenda curauit? nec immerito. erubuit quippe de ſe futura iudicia, ſi legeretur petitio deæ precantis filio arma a marito cui ſoli nupſerat, nec ex eo prolem ſuſcepiſſe ſe nouerat; vel ſi mille alia multum pudenda ſeu in verbis modo Græcis modo barbaris, ſeu in ipſa diſpoſitione operis deprehenderētur. Cumq. adhuc dicentem omnes exhorruiſſent: ſubtexit Symmachus; Hæc eſt equidem, Euangele, Maronis gloria, vt nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur. verum iſta, quæ proſcindis, defendere quilibet poteſt ex plebeia grāmaticorum cohorte; ne Seruio noſtro, qui priſcos, vt mea fert opinio, præceptores doctrina præſtat in excuſandis talibus quæratur iniuria. ſed quæro vtrum, cum poëtica tibi in tanto poëta diſplicuerit, nerui tamen oratorij qui in eodem validiſſimi ſunt placere videantur. Hæc verba primum Euangeli riſus excepit. deinde ſubiecit: Id hercule reſtat denique vt & oratorem Vergilium renuntietis. nec mirum. cum & ad philoſophos eum ambitus veſter paulo ante prouexerit. Si in hac opinione es, inquit Symmachus, vt Maro tibi nihil niſi poëticum ſenſiſſe æſtimetur, licet hoc quoque eidem nomen inuideris: audi quid de operis ſui multiplici doctrina ipſe pronunciet. ipſius enim Maronis epiſtola, qua compellat Auguſtum, ita incipit: Ego verò frequentes à te litteras accipio. & infra: De Ænea quidem meo; ſi mehercule iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. ſed tanta inchoata res eſt, vt pæne vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar: cum præſertim, vt ſcis, alia quoque ſtudia ad id opus multoque potiora impertiar. Nec his Vergilij verbis copia rerū diſſonat, quam plerique omnes litteratores pedibus illotis prætereunt, tamquam nihil vltra verborum explanationem liceat noſſe grammatico. ita ſibi belli iſti homines certos ſcientiæ fines, & velut qua-

dam pomœria & effata poſuerunt; vltra quæ ſi quis egredi audeat, introſpexiſſe in ædem deæ, a qua mares abſterrentur, exiſtimandus ſit. ſed nos, quos craſſa Minerua dedecet, non patiamur abſtruſa eſſe adyta ſacri poëmatis; ſed arcanorum ſenſuum inueſtigato aditu doctorum cultu celebranda præbeamus recluſa penetralia. & ne videar velle omnia vnus amplecti, ſpondeo violentiſsima inuenta vel ſenſa rhetoricæ in Vergiliano me opere demonſtraturum. Euſebio autem oratorum eloquentiſsimo non præripio de oratoria apud Maronem arte tractatum; quem & doctrina & docendi vſu melius exſequetur. reliquos omnes qui adeſtis impenſe precatus ſim vt quid veſtrum quiſque præcipuum ſibi annotauerit de Maronis ingenio velut ex ſymbolo conferamus. Mirum in modum alacritatem omnibus qui aderant hæc verba pepererunt. & aſſurgens quiſque in deſiderium alios audiendi non vidit & ſe in idem munus vocandum. itaque hortatu mutuo concitati in aſſenſum facile ac libenter animati ſunt: intuenteſque omnes Prætextatum orabant vt iudicium ſuum primus aperiret, ceteris per ordinem quem caſus ſedendi fecerat ſecuturis. & Vettius: Equidem inter omnia, quibus eminet laus Maronis, hoc aſsiduus lector admiror, quia doctiſsime ius pontificium tamquam hoc profeſſus in multa & varia operis ſui arte ſeruauit. &, ſi tantæ diſſertationi ſermo conceſſerit, promitto fore vt Vergilius noſter pontifex maximus aſſeratur. poſt hunc Flauianus, Apud poëtam noſtrum, inquit, tantam ſcientiam iuris auguralis inuenio vt, ſi aliarum diſciplinarum doctrina deſtitueretur, hæc illum vel ſola profeſsio ſublimaret. Euſtathius deinde, Maxime, inquit, prædicarem quanta de Græcis cautus & tamquam aliud agens modo artificij diſsimulatione modo profeſſa imitatione tranſtulerit; ni me maior admiratio de aſtrologia totaque philoſophia teneret, quam parcus & ſobrius operi ſuo nuſquam reprehendẽdus aſperſit.

Furius



Furius Albinus alterum fouens Prætextati latus, iuxtaque eum Cæcina Albinus ambo vetuſtatis affectationem in Vergilio prædicabant; alter in verſibus, Cæcina in verbis. Auienus, Non aſſumam mihi, ait, vt vnam aliquã de Vergilianis virtutibus audeam prædicare; ſed, audiendo quæcumq dicetis ſi quid vel de his mihi videbitur vel iamdudum legenti adnotandum viſum eſt, opportunius proferam: modo memineritis à Seruio noſtro exigendum, vt quicquid obſcurum videbitur quaſi litteratorum omniũ longe maximus palam faciat. His dictis & vniuerſo cœtui complacitis, Prætextatus cum in ſe cõuerſa omniũ ora vidiſſet, Philoſophia, inquit, quod vnicum eſt munus deorum & diſciplina diſciplinarum honorãda eſt anteloquio. vnde meminerit Euſtathius primũ ſibi locum ad diſſerendum omni alia profeſsione cedente conceſſum. huic tu, mi Flauiane, ſuccedes, vt & auditu veſtro recreer, & aliquanto ſilentio inſtaurẽ vires loquendi. Inter hæc ſeruilis moderator obſequij, cui cura vel adolendi Penates vel ſtruendi penum & domeſticorum actuũ miniſtros regendi, admonet dominum familiam pro ſollemnitate annui moris epulatam. hoc enim feſto religioſæ domus prius famulos inſtructis tamquam ad vſum domini dapibus honorant: & ita demũ patribus familias menſæ apparatus nouatur. inſinuat igitur præſul famulicij cœnæ tẽpus & dominos iam vocare. tum Prætextatus: Reſeruãdus igitur eſt Vergilius noſter ad meliorem partem diei, vt mane nouum inſpiciendo per ordinem carmini deſtinemus. nunc hora nos admonet, vt honore veſtro hæc menſa dignetur. Sed & Euſtathius & poſt hunc Symmachus meminerint craſtina diſſertatione ſeruari ſibi anteloquij functionem. & Flauianus: Ex placita iam vos lege conuenio, vt ſequenti die Penates mei beari ſe tanti cœtus hoſpitio glorientur. His cum omnes aſſenſi eſſent: ad cœnam, alio aliud de his quæ inter ſe contulerant reminiſcente, approbanteque, cum magna alacritate animi conceſſerunt.

# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & *inluſtris*

## CONVIVIORVM SECVNDI DIEI Saturnaliorum

## LIBER SECVNDVS.

### CAP. I.

Qua occaſione de iocis ac dicteriis veterum, ſermo ortus fuerit inter conuiuas.

*HIC vbi modeſtus edendi modus ceſſare fecit caſtimoniam ferculorum, & conuiuialis lætitia minuſculis poculis oriebatur: Auienus ait; Bene ac ſapienter Maro noſter tumultuoſum ac ſobrium vno eodemque verſu deſcripſit ſub paucorum verborum immutatione conuiuium. nam vbi ſub apparatu regio procedere ſolet luxus ad ſtrepitum,*

Poſtquam prima, *inquit*, quies epulis:

*at, cum Heroës caſtigatis dapibus aſſidunt, non reducit quietem, quia nec præceſſit tumultus: ſed inquit;*

Poſtquam exempta fames epulis.

*Noſtrum hoc conuiuium, quod & heroici ſeculi pudicitiam, & noſtri conduxit elegantiam, in quo ſplendor ſobrius & diligens parſimonia, Agathonis conuiuio, vel poſt magniloquentiam Platonis non componere tantum, ſed nec præferre dubitauerim. nam ipſe rex menſæ nec in moribus Socrate minor, & in republica philoſopho efficacior. ceteri qui adeſtis eminentiores eſtis ad ſtudia virtutum, quam, vt poëtis*





*comicis & Alcibiadi, qui tantum fuit fortis ad crimina, aliiſque quibus frequens illud conuiuium fuit, vos quiſquam æſtimet comparandos. Bona verba quæſo, Prætextatus ait, circa reuerentiam tantum Socraticæ maieſtatis, nam reliquis qui in illo fuere ſympoſio, hæc lumina quis non præponenda cõ ſentiat: ſed quorſum tibi, Auiene, hoc tendit exemplum? Quia ſub illorum, inquit, ſupercilio non defuit qui pſaltriam intromitti peteret, vt puella ex induſtria ſupra naturam mollior, canora dulcedine & ſaltationis lubrico exerceret illecebris philoſophantes. illic hoc fieri tentatum eſt, vt Agathonis victoria celebraretur. nos honorem dei, cuius hoc feſtum eſt, nullo admixtu voluptatis augemus. neque ego ſum neſcius, vos nec triſtitiam nec nubilum vultum in bonis ducere; nec Craſſum illum, quem Cicero, auctore Lucilio, ſemel in vita riſiſſe ſcribit, magnopere mirari. Ad hæc Prætextatus cum diceret, ludicras voluptates nec ſuis Penatibus aſſuetas, nec ante cœtum tam ſerium producendas: excepit Symmachus; Quia*

Saturnalibus optimo dierum,

*vt ait Veronenſis poëta, nec voluptas nobis vt Stoicis tamquam hoſtis repudianda eſt; nec vt Epicureis ſummum bonum in voluptate ponendum; excogitemus alacritatem laſciuia carentem. &, ni fallor, inueni, vt iocos veterum ac nobilium virorũ edecumatos ex multiiugis libris relatione mutua proferamus. hæc nobis ſit litterata lætitia & docta cauillatio, vicẽ planipedis & ſabulonis impudica & prætexta verba iacientis, ad pudorem ac modeſtiam verſus imitata. hæc res & cura & ſtudio digna veteribus viſa eſt. Et iam primum animaduerto duos, quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venuſtatem ceteris præſtitiſſe. Plautus quidem ea re clarus fuit, vt poſt mortem eius comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de iocorum copia noſceren-*

*noſcerentur. Cicero autem quantum in ea re valuerit quis ignorat, qui vel liberti eius libros, quos is de iocis patroni compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curauit? quis item neſcit conſularem eum ſcurram ab inimicis appellari ſolitum? quod in oratione etiam ſua Vatinius poſuit. Atque ego, ni longũ eſſet, referrem, in quibus cauſis cum nocentiſſimos reos tueretur victoriam iocis adeptus ſit. vt ecce, pro L. Flacco; quem repetundarum reum ioci opportunitate de manifeſtiſſimis criminibus exemit. is iocus in oratione non exſtat: mihi ex libro Fuſii Biuaculi notus eſt & inter alia eius dicta celebratur. ſed in hoc verbum non caſu incidi: volens feci. iocos enim hoc genus veteres noſtri dicta dicebant. teſtis idem Cicero, qui in libro epiſtolarum ad Cornelium Nepotem ſecundo ſic ait;* Itaque noſtri, cum omnia quæ dixiſſemus dicta eſſent, quæ facete & breuiter & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. *hæc Cicero. Nouius vero Pomponiuſque iocos non raro dicta nominant: Marcus etiam Cato ille Cenſorius argute iocari ſolitus eſt. horum nos ab inuidia muniret auctoritas, etiam ſi noſtris cauillaremur. at, cum veteribus dicta referamus, ipſa vtique auctorum dignitate defendimur. Si ergo probatis inuentum: agite; quod cuique de dictis talibus in mentem veniet, viciſſim memoriam noſtram excitando referamus. Placuit vniuerſis lætitiæ excogitata ſobrietas: & vt Prætextatus incipiendo auctoritatem de exemplo præberet hortati ſunt.*

## CAP. II.

### De diuerſorum iocis atque dicteriis.

TVM *ille: Dictum volo hoſtis referre ſed victi, & cuius memoria inſtaurat Romanorum triumphos. Annibal Karthaginienſis apud regem Antiochum profugus facetiſ-*





*ſime cauillatus eſt. ea cauillatio huiuſcemodi fuit. Oſtendebat Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparauerat; conuertebatque exercitum inſignibus argenteis & aureis florentẽ. inducebat etiam currus cum falcibus & elephantos cum turribus equitatumque frenis & ephippiis monilibus ac phaleris præfulgentem. atque ibi rex contemplatione tanti & tam ornati exercitus gloriabundus Annibalem aſpicit; &, Putas ne, inquit, ſatis eſſe Romanis hæc omnia? tunc Pœnus eludens ignauiam imbelliamque militum eius pretioſe armatorum, Plane, inquit, ſatis eſſe credo Romanis hæc, etſi auariſſimi ſunt. Nihil prorſus neque tam lepide neque tam acerbe dici poteſt. rex de numero exercitus ſui ac de æſtimanda æquiperatione quæſiuerat: reſpondit Annibal de præda.*

*Flauianus ſubiecit: Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur propteruiam. in eo mos erat vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet igne conſumeretur. hinc Catonis iocus eſt. nam Q. Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & nouiſſime domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, propteruiam feciſſe dicebat: quod comeſſe non potuerit, id combuſiſſe.*

*Symmachus deinde: Mater M. Bruti Seruilia, cum precioſum ære paruo fundum abſtuliſſet à Cæſare ſubiiciente haſtæ bona ciuium, non effugit dictum tale Ciceronis: Equidem quo melius emptum ſciatis comparauit Seruilia hunc fundum Tertia deducta. Filia autem Seruiliæ erat Iunia Tertia. eademque C. Caſſij vxor, laſciuiente Dictatore tam in matrem quam in puellam. tunc luxuriam ſenis adulteri ciuitas ſubinde rumoribus iociſque carpebat, vt mala non tantum ſeria ferent.*

*Poſt hunc Cæcina Albinus: Plancus in iudicio fertè amici cum moleſtum teſtem deſtruere vellet, interrogauit, quia ſutorem ſciebat quo artificio ſe tueretur, ille vrbane reſpon-*

dit; gallam ſubigo. ſutorium hoc habetur inſtrumentum; quod non inſicete in adulterij exprobrationem ambiguitate conuertit. nã Plancus in Mauia Galla nupta male audiebat.

Secutus eſt Furius Albinum: Poſt Mutinenſem fugam quærentibus quid ageret Antonius, reſpondiſſe familiaris eius ferebatur: Quod canis in Ægypto: bibit & fugit. quando in illis regionibus conſtat canes raptu crocodilorum exterritos currere & bibere.

Euſtathius deinde: Publius Mucium inprimis maliuolum cum videſſet ſolito triſtiorem, Aut Mucio, inquit, neſcio quid incommodi acceſſit, aut neſcio cui aliquid boni.

Inde Auienus, Fauſtus Syllæ filius cum ſoror eius eodem tempore duos mœchos haberet Fuluium fullonis filium & Pompeium Maculam, Miror, inquit, ſororem meam habere maculam, cum fullonem habeat.

Hic Euangelus: Apud L. Mallium, qui optimus pictor Romæ habebatur, Seruilius Geminus fortè cœnabat: cumque filios eius deformes vidiſſet, nõ ſimiliter, inquit, Malli fingis & pingis. & Mallius, In tenebris enim fingo, inquit, luce pingo.

Euſebius deinde, Demoſthenes, inquit, excitatus ad Laidis famam, cuius formam tunc Græcia mirabatur, acceſſit, vt & ipſe famoſo amore potiretur. qui, vbi dimidium talentum vnius precium noctis audiuit, diſceſſit hoc dicto: ὐκ ἀγοράζω τοσύτυ μεταμελῆσαι.

Inter hæc, cum Seruius ordine ſe vocante per verecundiam ſileret, Omnes nos, inquit Euangelus, impudentes grammatice pronuntias, ſi tacere talia vis videri tuitionem pudoris. vnde neque tuum nec Diſarij aut Hori ſupercilium liberum erit a ſuperbiæ nota, ni Prætextatum & nos velitis imitari.

Tunc Seruius, poſtquam magis ſilentium erubeſcendum vidit, ad libertatem ſe ſimilis relationis animauit. Marcus, inquit, Otacilius Pitholaus cum Caninius Reuilius vno tantum

tum



cum die conſul fuiſſet, dixit: Ante flamines, nunc conſules diales fiunt.

Nec Diſarius vltra exprobrationem taciturnitatis expectans, ait: * * * * * *

Poſt hunc Horus quoque, Affero ad vos, inquit, δίστιχον Platonis, quo ille adoleſcens luſerit, cum tragœdiis quoque eadem ætate præluderet:

Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον.
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη.

Orta ex his lætitia, & omnibus in cenſorium iudicium remiſsis, ac retractantibus quæ a ſingulis antiquæ feſtiuitatis ſapore prolata ſunt, Symmachus ait: Hos Platonis verſiculos quorum magis vetuſtatem an breuitatem mireris incertum eſt, legiſſe me memini in Latinum tanto latius verſos quanto ſolet noſtra quàm Græcorum lingua breuior & anguſtior æſtimari: &, vt opinor, hæc verba ſunt:

Dum ſemihulco ſauio
Meum puellum ſauior:
Dulcemque florem ſpiritus
Duco ex aperto tramite:
Anima ægra amore & ſaucia
Cucurrit ad labias mihi,
Rictumque in oris peruium
Et labra pueri mollia
Rimata itiner tranſitus
Vt tranſiliret nititur.
Tum ſi moræ quid pluſculæ
Fuiſſet in cœtu oſculi
Amoris igni percita
Tranſiſſet, & me linqueret:
Et mira prorſus res fieret,
Vt ad me fierem mortuus,
Ad puerum vt intus viuerem.



De iocis

## CAP. III.

### De iocis M. Tullij Ciceronis.

SED *miror omnes vos ioca tacuiſſe Ciceronis, in quibus facundiſſimus, vt in omnibus, fuit. & ſi videtur, vt ædituus reſponſa numinis ſui prædicat, ita ego quæ memoriæ ſuggeſſerit refero dicta Ciceronis. Tum omnibus ad audiendum erectis ille ſic incipit:*

*M. Cicero, cum apud Damaſippum cœnaret, & ille mediocri vino poſito diceret,* Bibite falernum hoc annorum quadraginta eſt: Bene, *inquit,* ætatem fert.

*Idem cum Lentulum generum ſuum exiguæ naturæ hominem longo gladio accinctum vidiſſet,* Quis, *inquit,* generum meum ad gladium alligauit?

*Nec Q. Ciceroni fratri circa ſimilem mordacitatem pepercit. nam cum in ea prouincia, quam ille rexerat, vidiſſet clypeatam imaginem eius ingentibus lineamentis vſque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipſe ſtaturæ paruæ) ait,* Frater meus dimidius maior eſt quã totus.

*In conſulatu Vatinij, quem paucis diebus geſſit, notabilis Ciceronis vrbanitas circumferebatur:* Magnum oſtentum, *inquit,* anno Vatinij factum eſt; quod illo conſule nec bruma nec ver nec æſtas nec autumnus fuit. *Quærenti deinde Vatinio quod grauatus eſſet domum ad ſe infirmatum venire reſpondit;* Volui in conſulatu tuo venire: ſed nox me comprehendit. *vlciſci autem ſe Cicero videbatur, vt qui reſpondiſſe ſibi Vatinium meminerat, cum humeris ſe reipublicæ de exſilio reportatum gloriaretur:* Vnde ergo tibi varices?

*Caninius quoque Reuilius, qui vno die, vt iam Seruius retulit, conſul fuit, roſtra cum adſcendiſſet pariter honorem iniit conſulatus & eierauit: quod Cicero omni gaudens*

*occaſione*



*occaſione vrbanitatis increpuit;* λογοθεώρητος eſt Caninius conſul. *& deinde:* Hoc conſecutus eſt Reuilius vt quæreretur quibus conſulibus conſul fuerit. *dicere præterea non deſtitit;* Vigilantem habemus conſulem Caninium, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit.

*Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit: cuius hæc de eo dicta ferebantur.* Ego vero quem fugiam habeo, quem ſequar non habeo. *ſed & cum ad Pompeium veniſſet dicentibus eum ſero veniſſe, reſpondit:* Minime ſero veni: nam nihil hic paratum video. *deinde interroganti Pompeio vbi gener eius Dolabella eſſet reſpondit:* Cum ſocero tuo: *& cum donaſſet Pompeius transfugam ciuitate Romana,* hominem bellum, *inquit,* Gallis ciuitatem promittit alienam, qui nobis noſtram non poteſt reddere. *propter quæ merito videbatur dixiſſe Pompeius:* Cupio ad hoſtes Cicero tranſeat, vt nos timeat.

*In Cæſarem quoque mordacitas Ciceronis dentes ſuos ſtrinxit. nam primum poſt victoriam Cæſaris interrogatus cur in electione partis erraſſet reſpondit;* Præcinctura me decepit; *iocatus in Cæſarem qui ita toga præcingebatur vt trahendo laciniam velut mollis incederet; adeo vt Sulla tanquam prouidus dixerit Pompeio:* Caue tibi illum puerum male præcinctum. *deinde cum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus a Cæſare eueſtigio in quatuordecim ad ſpectandum tranſiit, violato ordine, & cum detrectatus eſt eques Romanus & cum mimus remiſſus: ait Cicero prætereunti Laberio & ſedile quærenti:* Recepiſſem te, niſi anguſte ſederem, *ſimul & illum reſpuens & in nouum ſenatum iocatus, cuius numerum Cæſar ſupra fas auxerat. nec impune, reſpondit enim Laberius:* Mirum ſi anguſte ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere; *exprobrata leuitate Ciceroni, qua immerito optimus ciuis male audiebat.*

*Idem Cicero alias facilitatem Cæſaris in allegendo ſenatu*

*irriſit*

*irriſit palam. nam, cum ab hoſpite ſuo P. Mallio rogaretur vt decurionatum priuigno eius expediret, aſſiſtente frequentia dixit:* Romæ ſi vis habebit: Pompeis difficile eſt.

*Nec intra hæc eius mordacitas ſtetit. quippe ab Androne quodam Laodiceno ſalutatus, cum cauſam aduentus requiſiſſet comperiſſetque (nam ille ſe legatum de libertate patriæ ad Cæſarem veniſſe reſpondit) ita expreſſit publicam ſeruitutem,* Ἐὰν ἐπιτύχῃς περὶ ἡμῶν πρέσβευσον.

*Vigebat in eo excedens iocos & ſeria mordacitas, vt hoc eſt ex epiſtola ad* C. *Caſſium dictatoris violatorem;* Vellem idibus Martiis me ad cœnam inuitaſſes, profectò reliquiarum nihil fuiſſet, nunc me reliquiæ veſtræ exercent. *idem Cicero de Piſone genero & M. Lepido lepidiſſime cauillatus eſt.*

*Dicente adhuc Symmacho, &, vt videbatur, plura dicturo, intercedens Auienus, vt fieri in ſermonibus conuiualibus ſolet,* Nec *Auguſtus, inquit, Cæſar in huiuſmodi dicacitate quoquam minor, & fortaſſe nec Tullio. &, ſi volentibus vobis erit, aliqua eius quæ memoria ſuggeſſerit relaturus ſum. & Horus: Permitte Auiene Symmachus explicet de his, quos iam nominauerat: dicta Ciceronis, & opportunius quæ de Auguſto vis referre ſuccedent. Reticente Auieno Symmachus: Cicero, inquam, cum Piſo gener eius mollius incederet, filia autem concitatius: ait genero;* Ambula tanquam femina: *ait filiæ:* Ambula tamquam vir. *& cum M. Lepidus in ſenatu dixiſſet patribus conſcriptis;* Ego non tanti feciſſem ſimile factum: *Tullius ait;* Ego non tanti feciſſem ὁμοιόπτωτον. *Sed perge Auiene; ne vltra te dicturientem retardem.*

CAP.



## CAPVT IIII.

De iocis Auguſti in alios, & aliorum rurſus in ipſum.

ET *ille: Auguſtus, inquam, Cæſar affectauit iocos, ſaluo tamen maieſtatis pudoriſque reſpectu; nec vt caderet in ſcurram. Aiacem tragœdiam ſcripſerat, eamdemque quod ſibi diſplicuiſſet deleuerat: poſtea Lucius grauis tragœdiarum ſcriptor interrogabat eum quid ageret Aiax ſuus. & ille,* in ſpongiam, *inquit,* incubuit.

*Idem Auguſtus, cum ei quidam libellum trepidus offerret & modò proferret manum modo retraheret,* Putas, *inquit,* te aſſem elephanto dare?

*Idem cum ab eo Pacuuius Taurus congiarium peteret diceretque iam hoc homines vulgo loqui non paruam ſibi ab illo pecuniam datam:* Sed tu, *inquit,* noli credere.

*Alium præfectura equitum ſummotum & inſuper ſalarium poſtulantem, dicentemque non lucri cauſa dari hoc mihi rogo, ſed vt iudicio tuo munus videar impetraſſe & ita officium depoſuiſſe, hoc dicto repercuſſit:* Tu te accepiſſe apud omnes affirma; & ego dediſſe me nõ negabo.

*Vrbanitas eiuſdem innotuit circa Herennium deditum vitiis iuuenem, quem cum caſtris excedere iuſſiſſet; & ille ſupplex hac deprecatione vteretur:* Quo modo ad patrias ſedes reuertar? quid patri meo dicam? *reſpondit,* Dic me tibi diſplicuiſſe.

*Saxo in expeditione percuſſum ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen ſua opera iactantem, ſic leniter caſtigauit:* At tu cum fugies, *inquit,* nunquam poſt te reſpexeris.

*Galbæ, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud ſe cauſam & frequenter dicenti,* Corrige in me ſi quid reprehendis; *reſpondit:* Ego te monere poſſum corrigere non poſſum.

Cum

*Cum multi Seuero Caßio accuſante abſoluerentur; & architectus fori Auguſti exſpectationem operis diu traheret: ita iocatus eſt;* Vellem Caſſius & meum forum accuſet.

*Vettius cum monumentum patris exaraſſet: ait Auguſtus;* Hoc eſt vere monumentum patris colere.

*Cum audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſsit interfici, filium quoque eius occiſum: ait;* Melius eſt Herodis porcum eſſe quàm filium.

*Idem Auguſtus, quia Mæcenatem ſuum nouerat eſſe ſtylo remiſſo molli & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpius exhibebat, & contra caſtigationem loquendi, quam alias ille ſcribendo ſeruabat in epiſtola ad Mæcenatem familiari plura in iocos effuſa ſubtexuit:* Vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tyberinum margaritum, Cilniorum Smaragde, iaſpi figulorum, berylle Porſenæ, carbunculum habeas, ἵνα συντέμω πάντα μάλαγμα mœcharum

*Exceptus eſt a quodam cœna ſatis parca & quaſi quotidiana. nam pene nulli ſe inuitanti negabat. poſt epulum igitur inops ac ſine vllo apparatu diſcedens vale dicenti hoc tantum inſuſurrauit:* Non putabam me tibi tam familiarem.

*Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi iuſſerat, obſcuritate quereretur; dicente venditore,* Erige altius, & ſuſpice. *his vſus eſt ſalibus;* Quid? ego vt me populus Romanus dicat bene cultum in ſolario ambulaturus ſum?

*Nomenclatori ſuo, de cuius obliuione querebatur, dicenti:* Nunquid ad forum mandas? Accipe, *inquit,* commendatitias, quia illic neminem noſti.

*Vatinio in prima ſua ætate eleganter inſultauit, confuſus ille podagra, volebat tamen videri diſcußiſſe iam vitium, & mille paſſus ambulare ſe gloriabatur. cui Cæſar,* Non miror, *inquit,* dies aliquanto ſunt longiores.



*Relata ad ſe magnitudine æris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit excedentem ducenties celauerat, culcitam emi cubicularem in eius auctione ſibi iußit. & præceptum mirantibus hanc rationem reddidit:* Habenda eſt ad ſomnum culcita, in qua ille cum tantum deberet dormire potuit.

*Non eſt intermittendus ſermo eius, quem Catonis honori dedit. venit forte in domum in qua Cato habitauerat, dein Strabone in adulationem Cæſaris male exiſtimante de peruicacia Catonis, ait:* Quiſquis præſentem ſtatum ciuitatis commutari non volet & ciuis & vir bonus eſt. *ſatis ſerio & Catonem laudauit, & ſibi, nequis affectaret res nouare, conſuluit.*

*Soleo in Auguſto magis mirari quos pertulit iocos, quam ipſe quos protulit, quia maior eſt patientiæ quam facundiæ laus; maxime cum æquanimiter aliqua etiam iocis mordaciora pertulerit. Cuiuſdam prouincialis iocus aſper innotuit. intrauerat Romam ſimillimus Cæſari, & in ſe omnium ora conuerterat. Auguſtus perduci ad ſe hominem iußit; viſumque hoc modo interrogauit:* Dic mihi adoleſcens. Fuit aliquando mater tua Romæ? *negauit ille: nec contentus adiecit:* Sed pater meus ſæpe.

*Temporibus triumuiralibus Pollio, cum Feſcenninos in eum Auguſtus ſcripſiſſet ait:* At ego taceo. non eſt enim facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.

*Curtius eques Romanus deliciis diffluens, cum macrum turdum ſumpſiſſet in conuiuio Cæſaris, interrogauit an mittere liceret. reſponderat princeps,* Quid ni liceat? *ille per feneſtram ſtatim miſit.*

*Æs alienum Auguſtus cuiuſdam ſenatoris cari ſibi non rogatus exſoluerat numerato quadragies. At ille pro gratiarum*

tiarum actione hoc ſolum ei ſcribit; Mihi nihil.

Solebat Licinius libertus eius inchoanti opera patrono magnas pecunias conferre: quem morem ſecutus centum promiſit per libellum, in quo virgulæ ſuperductæ pars vltra pecuniæ defectionem protendebatur vacante infra loco. Cæſar occaſione vſus priori alterum centies ſua manu iunxit ſpatio diligenter expleto & affectata litteræ ſimilitudine: geminatamque accepit ſummam diſſimulante liberto. qui poſtea cœpto alio opere leniter factum ſuum Cæſari obiecit libello tali dato; Confero tibi, domine, ad noui operis impenſam quod videbitur.

Mira etiam cenſoris Auguſti & laudata patientia. corripiebatur eques Romanus a principe tanquam minuiſſet facultates ſuas. at ille ſe multiplicaſſe coram probauit. mox idem ſubiecit quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruiſſet. ille vxorem ſibi & tres eſſe liberos dixit. tunc adiecit; poſt hac Cæſar cum de honeſtis hominibus inquiris honeſtis mandato. Etiam militis non libertatem tantum ſed & temeritatem tulit. in quadam villa inquietas noctes agebat rumpente ſomnum eius crebro noctuæ cantu. prendendam curauit noctuam. miles aucupij peritus & ſpe ingentis præmij pertulit. laudato imperator mille nummos dari iuſſit. ille auſus eſt dicere, Malo viuat; auemque dimiſit. quis non miratus eſt non offenſo Cæſare abiſſe militem contumacem?

Veteranus, cum die ſibi dicto periclitaretur, acceſſit in publico ad Cæſarem; rogauitque vt ſibi adeſſet. ille aduocatum, quem ex comitatu ſuo elegerat ſine mora dedit; commendauitque ei litigatorem. exclamauit ingenti voce veteranus: At nō ego Cæſar periclitāte te Actiaco bello vicarium quæſiui; ſed pro te ipſe pugnaui; detexitq. impreſſas cicatrices. erubuit Cæſar venitque in aduocationem; vt qui vereretur non ſuperbus tantum ſed etiam ingratus videri.

Delectatus



Delectatus inter cœnam erat ſymphoniacis Toronij Flacci Mangonis, atque eos frumento donauerat; cum in alia acroamata fuiſſet nummis liberalis: eoſdemque poſtea Toronius æque inter cœnam quærenti Cæſari ſic excuſauit: Ad molas ſunt.

Sublimis Actiaca victoria reuertebatur, occurrit ei inter gratulantes coruum tenens quem inſtituerat hæc dicere: Haue. Cæſar. victor. imperator. Miratus Cæſar officioſam auem viginti milibus nummorum emit. ſocius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate peruenerat, affirmauit Cæſari habere illum & alium coruum; quem vt afferre cogeretur rogauit. allatus verba quæ didicerat expreſſit: Haue. victor. imperator. Antoni. nihil exaſperatus ſatis duxit iubere illum diuidere donatiuum cum contubernali. ſalutatus ſimiliter à pſitaco emi eum iuſſit. idem miratus in pica hanc quoque redemit. exemplum ſutorem pauperem ſolicitauit vt coruum inſtitueret ad parem ſalutationem; qui impendio exhauſtus ſæpe ad auem non reſpondentem dicere ſolebat, opera & impenſa periit. aliquando tamen coruus cœpit dicere dictatam ſalutationem. Hac audita dum tranſit Auguſtus reſpondit: Satis domi ſalutatorum talium habeo. ſuperfuit coruo memoria vt & illa quibus dominum querentem ſolebat audire ſubtexeret: Opera & impenſa periit. ad quod Cæſar riſit; emique auem iuſſit quanti nullam adhuc emerat.

Solebat deſcendenti a palatio Cæſari honorificum aliquod epigramma porrigere Græculus. id cum fruſtra ſæpe feciſſet; rurſumque eum idem facturum vidiſſet Auguſtus; breui ſua manu in charta exarauit Græcum epigramma; pergenti deinde ad ſe obuiam miſit. ille legēdo laudare; mirari tam voce quam vultu: cumque acceſſiſſet ad ſellam; demiſſa in pauperem fundum manu paucos denarios protulit quos principi daret. adiectus hic ſermo: νὴ τὴν σὴν τύχην, σεβαστὲ, εἰ

S πλεῖον

πλέον εἶχον,πλέον ἐδίδουν. *ſecuto omnium riſu diſpenſatorem Cæſar vocauit, & ſeſtertia centum milia numerare Græculo iuſſit.*

## CAP. V.

Super iocis ac moribus Iuliæ, Auguſti filiæ.

VVLTIS *aliqua & filiæ eius Iuliæ dicta referamus? ſed ſi garrulus non putabor volo de moribus feminæ pauca præmittere, ni quiſquam veſtrum habeat ſeria & diſcenda quæ proferat. hortantibuſque omnibus vt cœpto inſiſteret. ita de Iulia orſus eſt. Annum agebat triceſimum & octauum, tempus ætatis, ſi mens ſana ſupereſſet, vergentis in ſenium; ſed indulgentia tam fortunæ quam patris abutebatur; cum alioquin litterarum amor multaque eruditio, quod in illa domo facile erat, præterea mitis humanitas minimeque ſæuus animus ingentem feminæ gratiam conciliarent, mirantibus qui vitia noſcebant tantam pariter diuerſitatem. non ſemel præceperat pater, temperato tamen inter indulgentiam grauitatemque ſermone, moderaretur profuſos cultus perſpicuoſque comitatus. idem cum ad nepotum turbam ſimilitudinemque reſpexerat, qua repræſentabatur Agrippa, dubitare pudicitiam filiæ erubeſcebat. inde blandiebatur ſibi Auguſtus lætum in filia animum vſque ad ſpeciem procacitatis ſed reatu liberum; & talem fuiſſe apud maiores Claudiam credere audebat. itaque inter amicos dixit duas ſe habere filias delicatas, quas neceſſe haberet ferre, rempublicam & Iuliam.*

*Venerat ad eum licentiore habitu; & oculos offenderat patris tacentis. mutauit cultus ſui poſtera die morem & lætum patrem affectata ſeueritate complexa eſt. at ille, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudium continere non potuit: &,* Quantum hic, *ait,* in filia Auguſti probabilior eſt cultus? *non defuit patrocinio ſuo Iulia his verbis:* Hodie enim me patris oculis ornaui, heri viri.



*Notum & illud. Auerterant in ſe populum in ſpectaculo gladiatorum Liuia & Iulia, comitatus diſſimilitudine. quippe, cingentibus Liuiam grauibus viris, hæc iuuentutis & quidem luxurioſa grege circumſidebatur. Admonuit pater ſcripto, Videret quantum inter duas principes feminas intereſſet. eleganter illa reſcripſit;* Et hi mecum ſenes fient.

*Eadem Iulia mature habere cœperat canos, quos legere ſecrete ſolebat. ſubitus interuentus patris aliquando oppreſſit ornatrices. diſſimulauit Auguſtus deprehenſis ſuper veſtem eius canis; & aliis ſermonibus tempore extracto induxit ætatis mentionem; interrogauitque filiam vtrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet an calua: & ; cum illa reſpondiſſet,* Ego, pater, cana eſſe malo; *ſic illi mendacium obiecit:* Quid ergo iſtæ te caluam tam cito faciunt?

*Item cum grauem amicum audiſſet Iulia ſuadentem melius facturam ſi ſe compoſuiſſet ad exemplar paternæ frugalitatis, ait;* ille obliuiſcitur Cæſarem ſe eſſe. ego memini me Cæſaris filiam.

*Cumque conſcij flagitiorum mirarentur quo modo ſimiles Agrippæ filios pareret, quæ tam vulgo poteſtatem ſui corporis faceret: ait;* Numquam enim niſi naui plena tollo vectorem.

*Simile dictum Populiæ Marci filiæ. quæ miranti cuidam quid eſſet quapropter aliæ beſtiæ numquam marem deſiderarent niſi cum prægnantes vellent fieri, reſpondit;* Beſtiæ enim ſunt.

## CAP. VI.

Rurſus de virorum iocis, argutiſque reſponſis.

SED *vt a feminis ad viros & a laſciuis iocis ad honeſtos reuertar, Caſcellius iuriſconſultus vrbanitatis miræ libertatiſque habebatur, præcipue tamen is iocus eius innotuit.*

*tuit. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerent ne quis in harenam niſi pomum miſiſſe vellet. forte his diebus Caſcellius conſultus a quodam an nux pinea pomum eſſet, reſpondit;* Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.

*Mercatori deinde quemadmodum cum ſocio nauim diuideret interroganti reſpondiſſe traditur:* Nauim ſi diuidis; nec tu nec ſocius habebitis.

*In Galbam eloquentia clarum, ſed quem habitus, vt ſupra dixi, corporis deſtruebat, M. Lollij vox circumferebatur:* Ingenium Galbæ male habitat.

*In eundem Galbam Orbilius grammaticus acerbius irriſit. Prodierat Orbilius in reum teſtis: quem Galba vt confunderet diſſimulata profeſſione eius interrogauit.* Quod artificium facis? *reſpondit:* In ſole gibbos ſoleo fricare. *L. Cæcilius, cum C. Cæſar aliis qui ſecum pila luſitabant centena ſeſtertia illi vni quinquaginta dari iuſſiſſet,* Quid? ego, *inquit*, vna manu ludo, & non duabus vt plus habere poſſim?

*Cum iratus eſſe P. Clodius D. Laberio diceretur, quod ei mimum petenti non dediſſet,* Quid amplius, *inquit*, mihi facturus es, niſi vt Dyrrhachium eam & redeam? *alludens ad Ciceronis exſilium.*

## Cap. VII.

De ſententiis ac dictis Laberij & Publij, mimographorum: deque Pylade ac Hyla, hiſtrionibus.

Sed *quia & paulo ante Aurelius Symmachus & ego nunc Laberij fecimus mentionem; ſi aliqua huius atque Publij dicta referemus, videbimur & adhibendi conuiuio mimos vitaſſe laſciuiam, & tamen celebritatem, quam cum aſſunt illi excitare pollicentur, imitari. Laberium aſpera libertatis*



*bertatis equitem Romanum Cæſar quingentis millibus inuitauit vt prodiret in ſcenam, & ipſe ageret mimos quos ſcriptitabat. ſed poteſtas non ſolum ſi inuitet ſed etſi ſupplicet cogit. vnde ſe & Laberius a Cæſare coactum in prologo teſtatur his verſibus:*

Neceſſitas, cuius curſus tranſuerſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quò me detruſit pæne extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio nulla vmquam largitio
Nullus timor vis nulla nulla auctoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu;
Ecce in ſenecta vt facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio?
Etenim ipſi di negare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis poſſet pati?
Ergo bis tricenis annis actis ſine nota
Eques Romanus Lare egreſſus meo
Domum reuertar mimus. nimirum hoc die
Vno plus vixi mihi quam viuendum fuit.
Fortuna immoderata in bono æque atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen noſtræ, famæ frangere,
Cur cum vigebam membris præuiridantibus,
Satis facere populo & tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concuruaſti vt carperes?
Nunc me quò deiicis? quid ad ſcenam affero:
Decorem formæ, an dignitatem corporis,
Animi virtutem, an vocis iocundæ ſonum?
Vt hedera ſerpens vires arboreas necat;
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.
Sepulchri ſimilis nihil niſi nomen retineo.

*In ipſa quoque actione ſubinde ſe qua poterat vlciſcebatur inducto*

*inducto habitu Syri, qui velut flagris cæſus præripientique ſe ſimilis exclamabat:*

Porro Quirites! libertatem perdimus.

*& paulo poſt adiecit:*

Neceſſe eſt multos timeat quem multi timent,

*quo dicto vniuerſitas populi ad ſolum Cæſarem oculos & ora conuertit notantes impotentiam eius hac dicacitate lapidatam. ob hæc in Publium vertit fauorem. is Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini eſſet adductus, promeruit eum non minus ſalibus & ingenio quam forma. nam forte cum ille ſeruum ſuum hydropicum iacentem in area vidiſſet, increpuiſſetque quid in Sole faceret; reſpondit* Aquam calefacit. *ioculari deinde ſuper cœna exorta quæſtione quodnam eſſet moleſtum otium, aliud alio opinante, ille* Podagrici pedes *dixit. ob hæc & alia manumiſſus & maiore cura eruditus, cum mimos componeret ingentique aſſenſu in Italiæ oppidis agere cœpiſſet, productus Romæ per Cæſaris ludos omnes qui tunc ſcripta & operas ſuas in ſcenam locauerant prouocauit, vt ſinguli ſecum poſita inuicem materia pro tempore contenderent. nec vllo recuſante ſuperauit omnes; in quis & Laberium: vnde Cæſar arridens hoc modo pronuntiauit:*

Fauente tibi me victus es Laberi a Syro:

*ſtatimque Publio palmam & Laberio annulum aureum cum quingentis ſeſtertiis dedit. tunc Publius ad Laberium recedentem ait:* Qui cum cõtendiſti ſcriptor hunc ſpectator ſubleua. *ſed & Laberius ſequenti ſtatim commiſſione, mimo nouo interiecit hos verſus:*

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris;
Conſiſtes ægre, & quam deſcendas, decides.
Cecidi ego. cadet qui ſequitur. laus eſt publica.

*Publij autem ſententiæ feruntur lepidæ & ad communem*

*vſum*



*vſum accommodatiſſimæ. ex quibus has fere memini ſingulis verſibus circumſcriptas:*

Beneficium dando accepit qui digno dedit.
Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.
Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo eſt.
Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.
Heredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Furor fit læſa ſæpius patientia.
Improbe,
Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficij eſt, quod petitur, ſi cito neges.
Ita amicum habeas, poſſe vt fieri inimicum putes.
Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.
Nunquam periclum ſine periclo vincitur.

*Sed quia ſemel ingreſſus ſum ſcenam loquendo, nec Pylades hiſtrio nobis omittendus eſt, qui clarus in opere ſuo fuit temporibus Auguſti & Hylam diſcipulum vſque ad æqualitatis contentionem eruditione prouexit. populus deinde inter vtriuſque ſuffragia diuiſus eſt. & cum canticum quoddam ſaltaret Hylas, cuius clauſula erat;*

τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα:

*ſublimem ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades; & exclamauit è cauea:*

Σὺ μακρὸν οὐ μέγαν ποιεῖς.

*tunc populus eum coëgit idẽ ſaltare canticum. cumq. ad locum veniſſet, quem reprehẽderat, expreſſit cogitantem; nihil magis ratus magno duci cõuenire quam pro omnibus cogitare. Saltabat Hylas Oedipodẽ: & Pylades hac voce ſecuritatem ſaltantis caſtigauit; σὺ βλέπεις. Cum in Herculẽ furentem prodiſſet, & nonnullis inceſſum hiſtrioni conuenientem non ſeruare videretur; depoſita perſona ridentes increpuit,*

 μωροί,

Μωροί, μαινόμενον ὀρχοῦμαι.

hac fabula & ſagittas iecit in populum. Eandem perſonam cum iuſſu Auguſti in triclinio ageret; & intendit arcum & ſpicula miſit. nec indignatus eſt Cæſar eodem ſe loco pyladi, quo populum Romanum fuiſſe. Hic, quia ferebatur mutaſſe rudis illius ſaltationis ritum quæ apud maiores viguit & venuſtam induxiſſe nouitatem, interrogatus ab Auguſto quæ ſaltationi contuliſſet reſpondit: αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων. Idem cum propter populi ſeditionem pro contentione inter ſe Hylamque habita concitatam indignationem excepiſſet Auguſti, reſpondit: καὶ ἀχαριστεῖς βασιλεῦ; ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι.

## CAP. VIII.

Quomodo Plato vino indulgendum eſſe præceperit: & quam periculoſum turpeque ſit, tactus ac guſtus voluptatibus eſſe obnoxium.

HIS dictis, & excitata lætitia, cum in Auieno memoria florida & amœnitas laudaretur ingenij, mẽſas ſecundas miniſter admouit. & Flauianus: Multi, vt æſtimo, in hoc a Varrone diſſentiunt; qui in illa lepidiſſima ſatyra Menippea, quæ inſcribitur; NESCIS QVID VESPER VEHAT; de ſecunda menſa placentas remouit. ſed, quæſo, dicas Cæcina verba ipſa Varronis, ſi tibi beneficio memoriæ tenacioris hæſerunt. & Albinus, Locus, inquit, Varronis, quem referri a me imperas, in his fere verbis eſt: Bellaria ea maxime ſunt mellita, quæ mellita non ſunt. dulcibus enim cum pepſi ſocietas infida. ſignificant autem bellaria omne menſæ ſecundæ genus, nam quæ πέμματα Græci vel τραγήματα dixerunt, ea veteres noſtri appellauere bellaria. vina quoque dulciora eſt inuenire in comœdiis antiquioribus hoc vocabu-

lo, dicta-



lo, dictaque ea Liberi bellaria. Et Euangelus: Agite, antequam ſurgendum nobis ſit, vino indulgeamus: quod decreti Platonici auctoritate faciemus; qui æſtimauit fomitem eſſe quemdam & ignitabulum ingenij virtutiſque, ſi mens & corpus hominis vino flagret. Tunc Euſtathius, Quid agis, inquit, Euangele? an Platonem æſtimas haurienda paſſim vina ſuaſiſſe; & non magis inter minuta pocula iucundiorem liberalioremque inuitationem quæ fieret ſub quibuſdam quaſi arbitris & magiſtris conuiuiorum ſobriis non improbaſſe? & hoc eſt quod in primo & ſecundo de legibus non inutile viris eſſe decernit. nam & modicis honeſtiſque inter bibendum remiſſionibus refici integrarique animos ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit; redditoſque ſenſim lætiores ad intentiones rurſus capeſſendas fieri habiliores; & ſimul, ſi qui penitus in his affectionum cupiditatumque errores ineſſent, quos celaret alioquin pudor reuerens, ea omnia ſine graui periculo libertate per vinum data detegi & ad corrigendum medendumque fieri opportuniora. Atque hoc etiã Plato ibidem dicit non diffugiendas eſſe huiuſcemodi exercitationes aduerſum propulſandam vini violentiam; neque vllum vmquam continentem prorſum aut temperantem ſatis fideliter viſum eſſe, cui vita non inter ipſa errorum pericula & in mediis voluptatum illecebris explorata ſit. nam cui Libentiæ Gratiæque omnes conuiuiorum incognitæ ſint, quique illarum omnino expers ſit, ſi eum forte ad participandas huiuſmodi voluptates aut voluntas tulerit aut caſus induxerit aut neceſſitas impulerit, mox deliniri & capi; neque mentem eius animumque ſubſiſtere. congrediendum igitur & tamquam in acie quadam cum voluptariis rebus cumque iſta vini licentia cominus decernendum; vt aduerſus eas non fuga nec abſentia ſimus tuti, ſed vigore animi & conſtanti præſentia moderatoque vſu temperantiam continentiamque tueamur; & calefacto ſi-

*mul reſotoque animo, ſi quid in eo vel frigidæ triſtitiæ vel torpentis verecundiæ fuerit, diluamus.*

*Sed, quoniam voluptatum fecimus mentionem, docet Ariſtoteles a quibus voluptatibus ſit cauendum. quinque etenim ſunt hominum ſenſus, quos Græci* αἰσθήσεις *appellant, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur; tactus, guſtus, odoratus, viſus, auditus. ex his omnibus voluptas quæ immodice capitur ea turpis atque improba eſt. ſed enim quæ nimia ex guſtu atque tactu eſt; ea igitur gemina voluptas, ſicut ſapientes viri cenſuerunt, omnium rerum fœdiſſima eſt; eosque maxime, qui ſeſe duabus iſtis voluptatibus dediderunt, grauiſſimi vitij vocabulis Græci appellauerunt, vel* ἀκρατεῖς *vel* ἀκολάστους*: nos eos vel incontinentes dicimus vel intemperantes. Iſtas autem voluptates duas, guſtus atque tactus, id eſt, cibi & Veneris, ſolas hominibus communes videmus eſſe cum beluis. & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quiſquis eſt his ferarum voluptatibus occupatus. ceteræ ex tribus aliis ſenſibus proficiſcentes hominum tantum propriæ ſunt. verba ſuper hac re Ariſtotelis philoſophi in medium proferam; vt quid de his infamibus voluptatibus tam clarus atque inclutus vir ſentiat, publicetur.*

Διατὶ οἱ κατὰ τὴν τῆς ἁφῆς ἢ γεύσεως ἡδονὴν ἐγγιγνομένην ἂν ὑπερβάλλωσιν, ἀκρατεῖς λέγονται, οἵ τε γὰρ περὶ τὰ ἀφροδίσια ἀκόλαστοι οὗτοι, οἵ τε περὶ τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις. τῶν δὲ κατὰ τὴν τροφὴν, ἀπ' ἐνίων μὲν ἐν τῇ γλώττῃ τὸ ἡδὺ, ἀπ' ἐνίων δὲ ἐν τῷ λάρυγγι. διὸ καὶ Φιλόξενος γεράνου λάρυγγα εὔχετο ἔχειν. ἢ ὅτι αἱ κατὰ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀκοὴν οὐκ ἔστι, ἢ διὰ τὸ τὰς ἀπὸ τούτων γινομένας ἡδονὰς κοινὰς εἶναι ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις. ἅτε δὲ οὐσῶν κοινῶν αἰσχρὸν εἶναι τὴν ὑποταγὴν αὐτῶν, καὶ ἀτιμόταταί εἰσι. διὸ ἢ μάλιστα μόναι ἐπονείδιστοι, ὥστε τὸν ὑπὸ τούτων ἡττώμενον ψέγομεν καὶ ἀκρατῆ, ἀκόλαστον λέγομεν, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν χειρίστων ἡδονῶν ἡττᾶσθαι. οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο

μόνων



μόνων τῶν προειρημένων ἥδεται, κατὰ δὲ τὰς ἄλλας, ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει.

*Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus iſtis duabus coëundi atque comedendi, quæ homini cum ſue atque aſino communes ſunt, gratuletur? Socrates quidem dicebat multos homines propterea velle viuere vt ederent & biberent; ſe bibere atque eſſe vt viueret. Hippocrates autem diuina vir ſcientia de coitu Venerio ita exiſtimabat; partem eſſe quandam morbi tæterrimi, quem noſtri comitialem dixerunt. namque ipſius verba hæc traduntur:* τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, *id eſt, coitum eſſe paruum morbum comitialem.*

## CAP. IX

De luxu ſeu luxuria Q. Hortenſij, Fabij Gurgitis, Metelli Pij, ac Metelli Pontificis maximi. Tum de porco Troiano, de leporum ac cochlearum ſaginatione.

ACCIPITE *& M. Varronis verba de agricultura libro tertio. qui cum de pauonibus in villa nutriendis loqueretur ſic ait:* Primus hos Q. Hortenſius augurali cœna poſuiſſe dicitur. quod potius factum tum luxurioſe quam ſeuere boni viri laudabant. quem cito ſecuti multi extulerunt eorum precia, vt oua eorum denariis veneant quinis, ipſi facile quinquagenis. *Ecce res non admiranda ſolum ſed etiam pudenda, vt oua pauonum quinis denariis veneant; quæ hodie non dicam vilius ſed omnino non veneunt. Is Hortenſius platanos ſuas vino irrigare conſueuit, adeo vt in actione quadam, quam habuit cum Cicerone ſuſceptam, precario a Tullio poſtulaſſet, vt locum dicendi permutaret ſecum: abire enim in villam neceſſario ſe velle, vt vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, ipſe ſuffunderet. Sed forte ad notam ſeculi ſui non ſufficit Hortenſius vir alioquin ex profeſſo mollis & in præ-*

Octo hæc quĕtia cap ex libro te[r]tio, vbi con ſe hactenus lecta ſunt, retraximus indicio M Vide Nota

*in præcinctu ponens omnem decorem. fuit enim veſtitu ad mundiciem curioſo: & , vt bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat: vbi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, vt rugas non forte ſed induſtria locatas artifex nodus conſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens nodum lateris ambiret. Is quondam, cum incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de iniuriis diem dixit quod ſibi in anguſtiis obuius offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat: & capital putauit quod in humero ſuo locum ruga mutaſſet. Ergo hoc prætermiſſo ad viros venio triumphales, quos victores gentium luxuria vicit. & vt taceam Gurgitem à deuorato patrimonio cognominatum, quia inſignibus virtutis ſecuta vitia primoris compenſauit ætatis: Metellus Pius in quam foueam luxus & ſuperbiæ ſucceſſuum continuatione peruenit? & , ne multis morer, ipſa de eo Salluſtij verba ſubieci:* At Metellus in vlteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus, magna gloria, concurrentibus vndique virile & muliebre ſecus, per vias & tecta omnium viſebatur. cum quæſtor C. Vrbinus aliique cognita voluntate cum ad cœnam inuitaſſent, vltra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulæa & inſignia ſceniſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis. Simul croco ſparſa humus, & alia in modũ templi celeberrimi, præterea cùm ſedenti in tranſenna demiſſum victoriæ ſimulachrum cum machinato ſtrepitu tonitruum coronam ei imponebat: tum venienti ture quaſi deo ſupplicabatur. toga picta plerumque amiculo erat accumbenti. epulæ vero exquiſitiſſimæ, neque per omnem modo prouinciam ſed trans maria ex Mauritania volucrum & ferarum incognita antea plura genera. Quis rebus aliquantam partem gloriæ dempſerat maxime apud veteres & ſanctos viros, ſuperba illa, grauia, indigna

digna



digna Romano imperio æſtimantes. *Hæc Salluſtius, grauiſſimus alienæ luxuriæ obiurgator & cenſor.*

*Accipite, & inter grauiſſimas perſonas non defuiſſe luxuriam. refero enim vobis pontificis vetuſtiſſimam cœnam, quæ ſcripta eſt in indice quarto Metelli illius pontificis maximi in hæc verba:* Ante diem nonum kalendas Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus eſt, domus ornata fuit. triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt. duobus tricliniis pontifices cubuerunt Q. Catulus, M. Æmilius Lepidus, D. Silanus, C. Cæſar rex ſacrorum, P. Scæuola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus & L. Iulius Cæſar augur, qui eum inaugurauit. in tertio triclinio Popilia, Perpennina, Licinia, Arruntia virgines Veſtales & ipſius vxor Publicia flaminica & Sempronia ſocrus eius. cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, oſtreas crudas quantum vellent, peloridas, ſphondilos, turdum, aſparagos. ſubtus gallinam altilem patinam oſtrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos: iterum ſpondylos, glycomaridas, vrticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina inuoluta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna ſumina, ſinciput aprugnum, patinam piſcium, patinam ſuminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amylum, panes Picentes. *Vbi iam luxuria tunc accuſaretur, quando tot rebus farta fuit cœna pontificum? ipſa vero edulium genera quam dictu turpia? nam Cincius in ſuaſione legis Fanniæ obiicit ſeculo ſuo, quod porcum Troianum menſis inferant. quem illi ideo ſic vocabant, quaſi aliis incluſis animalibus grauidum; vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit. Exigebat hoc quoque illa gulæ intemperantia vt & lepores ſaginarentur, teſte Varrone; qui de agricultura libro tertio cum de leporibus loqueretur ſic ait:*

ait:

*ait* : Hoc quoque nuper inſtitutum vt ſaginarentur, cum exceptos e leporario condant in caueis & loco clauſo faciant pingues. *Si cui hoc mirum videtur quod ait Varro lepores ætate illa ſolitos ſaginari, accipiat illud quod maiore admiratione ſit dignum; cochleas ſaginatas, quod idem Varro in eodem libro refert. Verba ipſa qui volet legere vbi quærere debeat indicaui. Neque ego nunc antiquitati nos præferendos vel comparandos dico; ſed reſpondi obiurganti Horo, aſſerens vti res habet maiorem illis ſæculis deliciarum curam fuiſſe quam noſtro.*

## CAP. X.

Saltandi cantandique ſtudium, atque adeo ne hiſtrionicam quidem, apud vetuſtiores Romanos inter turpia nominatum fuiſſe.

SVBIECIT *Furius Albinus antiquitatis non minus quam* Cæcina *peritus, Miror te, inquit, non retuliſſe, quanta illis affluentia marinarum procurari ſolita fuerit copiarum; cuius relatu maximam conuiuiorum noſtrorum ſobrietatem doceres. &* Cæcina, *Profer, inquit, in medium, quæ de hac quoque parte lectu comperiſti. vltra omnes enim polles memoria vetuſtatis. & Furius ſic ingreſſus eſt, Vetuſtas quidem nobis ſemper, ſi ſapimus, adoranda eſt. Illa quippe ſæcula ſunt, quæ hoc imperium vel ſanguine vel ſudore pepererunt, quod non niſi virtutum faceret vbertas. ſed, quod fatendum eſt, in illa virtutum abundantia vitiis quoque ætas illa non caruit: e quibus nonnulla noſtro ſæculo morum ſobrietate correcta ſunt. & de luxu quidem illius temporis circa marinas copias dicere inſtitueram. ſed quia in aſſertionem noſtræ emendationis alia ex aliis proferenda ſe ſuggerunt, de piſcibus non omitto ſed differo; dum de alia laſciuia qua nunc caremus admoneo. dic enim, Hore, qui antiquitatem nobis obiicis ante cuius triclinium modo ſaltatricem vel ſaltatorem*

*tatorem*



*tatorem te vidiſſe meminiſti? at inter illos ſaltatio certatim vel ab honeſtis appetebatur. ecce enim, vt ab illo ordiar tempore quod fuit optimis moribus, inter duo bella Punica ingenui, quid dicam ingenui? filij ſenatorum in ludum ſaltatorium cõmeabant, & illic crotala geſtantes ſaltare diſcebant, taceo quod matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant: ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa vſque ad artis perfectionem. quid enim ait Salluſtius:* Pſallere, ſaltare elegantius quam neceſſe eſt probæ. *adeo & ipſe Semproniam reprehendit, non quod ſaltare ſed quod optime ſcierit. nobilium vero filios, & quod dictu nefas eſt, filias quoque virgines inter ſtudioſa numeraſſe ſaltandi meditationem teſtis eſt Scipio Africanus Æmilianus. qui in oratione contra legem iudiciariam Tib. Gracchi ſic ait:* Docentur præſtigias inhoneſtas cum cinædulis & ſambuca pſalterioq. eunt in ludum hiſtrionũ. diſcunt cantare; quæ maiores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt. eunt, inquam, in ludum ſaltatorium inter cinædos virgines puerique ingenui. Hæc cum mihi quiſquam narrabat; non poteram animum inducere ea liberos ſuos homines nobiles docere: ſed, cum ductus ſum in ludum ſaltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibuſque quingentis. in his vnum quod me reipublicæ maxime miſertum eſt puerum bullatum petitoris filium non minorem annis duodecim cum crotalis ſaltare: quam ſaltationem impudicus ſeruulus honeſte ſaltare non poſſet. *Vides quemadmodum ingemuerit Africanus quod vidiſſet cum crotalis ſaltantem filium petitoris, id eſt, candidati; quem ne tum quidem ſpes & ratio adipiſcendi magiſtratus, quo tempore ſe ſuoſque ab omni probro debuit vindicare, potuerit coercere, quo minus faceret quod ſcilicet turpe non habebatur. Ceterum*

*ſuperius*

*ſuperius plerumque nobilitatem hæc propudia celebrare conqueſtus eſt. ſic nimirum M. Cato ſenatorem non ignobilem Cæcilium ſpatiatorem & Feſcenninum vocat, eumque ſtaticulos dare his verbis ait:* Deſcendit de cantherio, inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere. *& alibi in eundem:* Præterea cantat vbi collibuit, interdum Græcos verſus agit, iocos dicit, voces demutat, ſtaticulos dat. *hæc Cato. cui, vt videtis, etiam cantare non ſerij hominis videtur: quod apud alios adeo non inter turpia numeratum eſt, vt L. Sulla vir tanti nominis optime cantaſſe dicatur. Ceterum hiſtriones non inter turpes habitos Cicero teſtimonio eſt, quem nullus ignorat Roſcio & Æſopo hiſtrionibus tam familiariter vſum, vt res rationeſque eorum ſua ſollertia tueretur. quod cum aliis multis tũ ex epiſtolis quoque eius declaratur. nam illam orationem quis eſt qui non legerit in qua populum Romanum obiurgat quod Roſcio geſtum agente tumultuauerit? & certe ſatis conſtat contendere eum cum ipſo hiſtrione ſolitum, vtrum ille ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo pronunciaret. quæ res ad hanc artis ſuæ fiduciam Roſcium abſtraxit, vt librum conſcriberet quo eloquentiam cum hiſtrionia compararet. Is eſt Roſcius qui etiam L. Sullæ cariſſimus fuit, & annulo aureo ab eodem dictatore donatus eſt. tanta autem fuit gratia & gloria vt mercedem diurnam de publico mille denarios ſine gregalibus ſolus acceperit. Æſopum vero ex pari arte ducenties ſeſtertium reliquiſſe filio conſtat. Sed quid loquor de hiſtrionibus? cum Appius Claudius vir triumphalis, qui ſalius vſque ad ſenectutem fuit, pro gloria obtinuerit quod inter collegas optime ſaltitabat. Ac priuſquã a ſaltatione diſcedo, illud adiiciam; vno eodem tempore tribus nobiliſſimis ciuibus non modo ſtudium ſaltandiq. ſed etiam, ſi diis placet, peritiam, qua gloriarentur fuiſſe, Gabinio conſulari Cicero-*





*nis inimico, quod etiam Cicero non diſſimulanter obiecit & M. Cælio noto in turbas viro, quem idem Cicero defendit, & Licinio Craſſo Craſſi eius qui apud Parthos exſtinctus eſt filio.*

## CAP. XI.

Quanto in pretio fuerint apud paulo vetuſtiores Romanos, piſces, & præſertim muræna.

SED *de ſaltatione veterum ad prædæ marinæ tranſire luxum Liciniorum me nomen admonuit; quos Murænas cognominatos, quod hoc piſce effuſiſſime delectati ſunt, ſatis conſtat. huic opinioni M. Varro conſentit aſſerens eodem modo Licinios appellatos Murænas, quo Sergius Orata cognominatus eſt; quod ei piſces qui auratæ vocantur cariſſimi fuerint. Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Baiano locauit, primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adiudicauit. fuit autem ætate L. Craſſi illius diſerti: qui quam grauis & ſerius habitus ſit etiam Cicero docet. is tamen Craſſus vir cenſorius (nam cum Cn. Domitio cenſor fuit) cum ſupra ceteros diſertus haberetur eſſetque inter clariſſimos ciues princeps, tamen murænam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus tamquam filiam luxit. Neque id obſcurum fuit. quippe collega Domitius in ſenatu hoc ei quaſi deforme crimen obiecit. neque id confiteri Craſſus erubuit; ſed vltro etiam, ſi diis placet, gloriatus eſt cenſor, piam affectuoſamque rem feciſſe ſe iactitans. Piſcinas autem quam refertas habuerint pretioſiſſimis piſcibus Romani illi nobiliſſimi principes Lucilius, Philippus & Hortenſius, quos Cicero piſcinarios appellat, etiam illud indicium eſt quod M. Varro in libro de agricultura refert M. Catonem, qui poſt Vticæ periit, cum heres teſtamento Lucilij eſſet relictus, piſces de piſcina eius quadraginta milibus vendidiſſe. accerſebantur autem murænæ ad*

*piſcinas noſtræ vrbis ab vſque freto Siculo, quod Rhegyum a Meſſana reſpicit. illic enim optimæ a prodigis eſſe creduntur: tam Hercules quàm anguillæ. & vtræque ex illo loco Græce πλῶ?? vocantur, Latine flutæ: quod in ſummo ſupernantes ſole torreſactæ curuare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt. Et, ſi enumerare velim quàm multi magnique auctores murænas e freto Siculo nobilitarint, longum fiat. ſed dicam quid Varro in libro qui inſcribitur* Gallus de admirandis *dixerit his verbis:* In Sicilia quoque, *inquit*, Papirius manu capi murænas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine flutentur. *Hæc Varro. Sed quis neget indomitam apud illos, &, vt ait Cæcilius, vallatam gulam fuiſſe, qui ex tam longinquo mari inſtrumenta luxuriæ compararent: Nec rarus hic Romæ piſcis, vt peregre accitus, erat. auctor eſt Plinius C. Cæſarem dictatorem cum triumphales cœnas populo daret ſex millia murænarum a C. Hirrio ad pondus accepiſſe. huius Hirrij villam, quamuis non amplam aut latam, conſtat propter viuaria quæ habuit quadragies ſeſtertium venundatam.*

## CAPVT XII.

De acipenſere, mullo, ſcaro, lupo.

NEC *acipenſer, quem maria prodigis nutriunt, illius ſeculi delicias euaſit. &, vt liqueat ſecundo Punico bello celebre nomen huius piſcis fuiſſe, accipite vt meminerit eius Plautus in fabula, quæ inſcribitur Baccharia, ex perſona paraſiti:*

Quis eſt mortalis tanta fortuna affectus vmquam,
Quam ego nunc ſum, cuius hæc ventri portatur pompa?
Vel nunc qui mihi in mari acipẽſer latuit antehac,





Cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

*&, ne vilior ſit teſtis poëta, accipite aſſertore Cicerone in quo honore fuerit hic piſcis apud P. Scipionem Africanum illum & Numantinum. hæc ſunt in dialogo de fato verba Ciceronis:* Nam cum eſſet apud ſe ad Lauernium Scipio, vnaque Pontius; allatus eſt fortè Scipioni acipenſer, qui admodum raro capitur, ſed eſt piſcis, vt ferunt, in primis nobilis cum autem Scipio vnum & alterum ex his, qui eum ſalutatum venerant, inuitaſſet, pluresq. etiam inuitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas. acipenſer iſte paucorum hominum eſt, *Nec inficias eo temporibus Traiani hunc piſcem in magno pretio non fuiſſe, teſte Plinio Secundo: qui in naturali hiſtoria cum de hoc piſce loqueretur ſic ait:* Nullo nunc in honore eſt. quod quidem miror; cum ſit rarus inuentu. *Sed non diu ſtetit hæc parſimonia. nam temporibus Seueri principis, qui oſtentabat duritiam morum, Sammonicus Serenus vir ſæculo ſuo doctus, cum ad principem ſuum ſcriberet faceretque de hoc piſce ſermonem, verba Plinij quæ ſuperius poſui præmiſit; & ita ſubiecit:* Plinius, vt ſcitis, ad vſque Traiani imperatoris venit ætatem. nec dubium eſt quod ait nullo honore hunc piſcem temporibus ſuis fuiſſe verum ab eo dici. apud antiquos autem in precio fuiſſe ego teſtimoniis palam faciam, vel eo magis quod gratiam eius video ad epulas quaſi poſtliminio rediſſe. quippe qui dignatione veſtra cum interſum conuiuio ſacro animaduertam hunc piſcem a coronatis miniſtris cum tibicine introferri. Sed quod ait Plinius de acipenſeris ſquamis, id verum eſſe maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus oſtendit. in cuius libro de animalibus quarto ita poſitum eſt: Cur

alij piſces ſquama ſecunda, acipenſer aduerſa ſit. *hæc Sammonicus: qui turpitudinem conuiuij principis ſui laudando notat, prodens venerationem qua piſcis habebatur, vt a coronatis inferretur cum tibicinis cantu, quaſi quædam non deliciarum ſed numinis pompa. Sed, vt minus miremur acipenſerem graui precio taxari ſolitum, Aſinius Celer vir conſularis, vt idem Sammonicus refert, mullum vnum ſeptem millibus nummum mercatus eſt. in qua re luxuriam illius ſæculi eo magis licet æſtimare, quod Plinius Secundus temporibus ſuis negat facile mullum repertum qui duas pondo libras excederet. at nunc & maioris ponderis paßim videmus, & precia hæc inſana neſcimus. Nec contenta illa ingluuies fuit maris ſui copiis, nam Octauius præfectus claſſis ſciens ſcarum adeo Italicis litoribus ignotũ vt nec nomen Latinum eius piſcis habeamus, incredibilem ſcarorum multitudinem viuariis nauibus huc aduectam inter Hoſtiam & Campaniæ litus in mare ſparſit; miroque ac nouo exemplo piſces in mari tamquam in terra fruges aliquas ſeminauit. idemque, tamquam ſumma in hoc vtilitatis publicæ verteretur, quinquennio dedit operam vt ſi quis inter alios piſces ſcarum forte cepiſſet incolumem confeſtim & inuiolatum mari redderet.*

*Quid ſtupemus captiuam illius ſæculi gulam ſeruiſſe mari, cum in magno vel dicam maximo apud prodigos honore fuerit etiam* Tiberinus *lupus & omnino omnes ex hoc amni piſces? quod equidem cur ita illis viſum ſit ignoro. fuiſſe autem etiam M. Varro oſtendit; qui, enumerans quæ in quibus Italiæ partibus optima ad victum gignantur, piſci Tiberino palmam tribuit his verbis in libro rerum humanarum vndecimo :* Ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Caſſinas oleum, Tuſculanus ficum, mel Tarentinus, piſcem Tiberis. *Hæc Varro de omnibus ſcilicet huius fluminis piſcibus. ſed inter*





*eos, vt ſupra dixi, præcipuum locum lupus tenuit, & quidem is qui inter duos pontes captus eſt. id oſtendunt cum multi alij, tum etiam* C. Titius *vir ætatis Lucilianæ in oratione qua legem Fanniam ſuaſit. cuius verba ideo pono, quia non ſolum de lupo inter duos pontes capto erunt teſtimonio, ſed etiam mores, quibus plerique tunc viuebant, facile publicabunt. deſcribens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quæque ſoleant inter ſe ſermocinari, ſic ait :* Ludunt alea, ſtudioſe vnguentis delibuti, ſcortis ſtipati. vbi horæ decem ſunt; iubent puerum vocari vt comitium eat percunctatum quid in foro geſtum ſit, qui ſuaſerint, qui diſſuaſerint, quot tribus iuſſerint, quot vetuerint. inde ad comitium vadunt, ne litem ſuam faciant. dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam nõ impleant; quippe qui veſicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium triſtes, iubent dicere. quorum negotium eſt, dicunt. iudex teſtes poſcit. ipſus it minctum. vbi redit; ait ſe omnia audiuiſſe, tabulas poſcit. litteras inſpicit. vix præ vino ſuſtinet palpebras. eunti in conſilium ibi hæc oratio: Quid mihi negotij eſt cũ iſtis nugacibus; quam potius potamus mulſum mixtum vino Græco, edimus turdum pinguem bonumque piſcem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit? *hæc Titius. Sed & Lucilius acer & violentus poëta oſtendit ſcire ſe hunc piſcem egregij ſaporis, qui inter duos pontes captus eſſet; eumque quaſi ligurritorem catillonem appellat. ſcilicet qui proxime ripas ſtercus inſectaretur. proprie autem* catillones *dicebãtur, qui ad polluctum Herculis vltimi cum venirent catillos ligurribant. Lucilij verſus hi ſunt:*

Fingere præterea afferri quod quiſque volebat,
Illum ſumina ducebant atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

## CAP. XIII.

### De legibus latis contra luxuriam veterum Romanorum.

LONGVM fiat ſi enumerare velim quot inſtrumenta gulæ inter illos vel ingenio cogitata ſint vel ſtudio confecta. & hæ nimirum cauſæ fuerunt propter quas tot numero leges de cœnis & ſumptibus ad populum ferebantur: & imperari cœpit vt patentibus ianuis pranſitaretur & cœnitaretur. ſic oculis ciuium teſtibus factis luxuriæ modus fieret. Prima autem omnium de cœnis lex ad populum Orchia peruenit. quam tulit C. Orchius tribunus plebis de ſenatus ſententia, tertio anno quam Cato cenſor fuerat. cuius verba quia prolixa ſunt prætereo. ſumma autem eius præſcribebat numerũ conuiuarum. & hæc eſt lex Orchia, de qua Cato in orationibus ſuis vociferabatur quod plures quam præſcripto eius cauebatur ad cœnam vocarentur. cumque auctoritatem nouæ legis aucta neceſſitas imploraret: poſt annum viceſimum ſecundum legis Orchiæ Fannia lex lata eſt, anno poſt Romam conditam, ſecundum Gellij opinionem, quingenteſimo octuageſimo octauo, de hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia Auguſti ingenti omnium ordinum conſenſu peruenit ad populum. neque eam prætores aut tribuni, vt pleraſque alias, ſed ex omni bonorum conſilio & ſententia ipſi conſules pertulerunt, cum reſpublica ex luxuria conuiuiorum maiora quam credi poteſt detrimenta pateretur. ſiquidem eo res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem ſuam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrij de reipublicæ ſalute conſulerent. hæc Sammonicus. Fanniæ autem legis ſeueritas in eo ſuperabat Orchiam legem, quod in ſuperiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur;



licebatque ſecundum eam vnicuique bona ſua inter paucos conſumere. Fannia autem etiam ſumptibus modum fecit aſſibus centum. Vnde à Lucilio poëta feſtiuitatis ſuæ more centuſſis vocatur. Fanniam legem poſt annos decem & octo lex Didia conſecuta eſt. eius ferendæ duplex cauſa fuit: prima & potiſſima, vt vniuerſa Italia non ſola vrbs lege ſumptuaria teneretur, Italicis æſtimantibus Fanniam legem non in ſe ſed in ſolos vrbanos ciues eſſe conſcriptam. deinde, vt non ſoli qui prandia cœnas ve maiore ſumptu feciſſent ſed etiam qui ad eas vocitati eſſent atque omnino interfuiſſent pœnis legis tenerentur.

Poſt Didiam Licinia lex lata eſt a P. Licinio Craſſo Diuite. cuius ferundæ probandæque tantum ſtudium ab optimatibus impenſum eſt, vt conſulto ſenatus iuberetur vt ea tantummodo promulgata priuſquam trinundino confirmaretur ita ab omnibus obſeruaretur, quaſi iam populi ſententia comprobata. lex vero hæc paucis mutatis in pleriſque cum Fannia congruit. in ea enim ferenda quæſita nouæ legis auctoritas exoleſcente metu legis antiquioris, ita hercules vt de ipſis duodecim tabulis factum eſt: quarum vbi contemni antiquitas cœpit, eadem illa quæ illis legibus cauebantur in alia latorum nomina tranſierunt. Sed legis Liciniæ ſumma vt kalendis, nonis, nundinis Romanis, cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſa conſumere liceret: ceteris vero diebus, qui excepti non eſſent, ne amplius apponeretur quam carnis aridæ pondo tria & ſalſamentorũ pondo libra, & quod ex terra, vite, arboreve ſit natũ. Video quid remordeat. ergo indicium ſobrij ſæculi eſt, vbi tali præſcripto legum coërcetur expenſa cœnarum. non ita eſt. nam leges ſumptuariæ a ſingulis ferebantur; quæ totius ciuitatis vitia corrigerent: at niſi peſſimis effuſiſſimiſque moribus viueretur profecto opus ferundis legibus non fuiſſet. Vetus verbum eſt; leges, inquit, bonæ ex malis moribus procreantur.

Has ſequitur lex Cornelia & ipſa ſumptuaria, quam tulit Cornelius Sulla dictator, in qua non conuiuiorum magnificentia prohibita eſt, nec gulæ modus factus; verum minora precia rebus impoſita: & quibus rebus, dij boni! quamque exquiſitis & pæne incognitis generibus deliciarum! quos illic piſces quaſque offulas nominat! & tamen precia illis minora conſtituit. auſim dicere, vt vilitas edulium animos hominum ad parandas opſoniorum copias incitaret; & gulæ ſeruire, etiam qui paruis eſſent facultatibus, poſſent. dicam plane quod ſentio. Apprime luxurioſus mihi videtur & prodigus cui hæc tanta in epulis vel gratuita ponantur. Itaque tanto hoc ſæculum ad omnem continentiam promptius, vt pleraque earum rerum, quæ Sullana lege vt vulgo nota comprehenduntur, nemo noſtrum vel fando compererit. Sulla mortuo Lepidus conſul legem tulit & ipſe cibariam. Cato enim ſumptuarias leges cibarias appellat. Dein paucis interiectis annis alia lex peruenit ad populum, ferente Antio Reſtione. quam legem, quamuis eſſet optima, obſtinatio tamen luxuriæ & vitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Reſtione latore ipſius legis fertur; eum quoad vixit foris poſtea non cenaſſe, ne teſtis fieret contemptæ legis quam ipſe bono publico pertuliſſet. His legibus annumerarem edictum de ſumptibus ab Antonio propoſitum, qui poſtea triumuir fuit: ni indignum crederem inter cohibentes ſumptum Antonio locum facere: cuius expenſæ in cœnam ſolitæ conferri ſola vnionis a Cleopatra vxore conſumpti æſtimatione ſuperatæ ſunt. nam cum Antonius, quicquid mari aut terra aut etiam cælo gigneretur, ad ſatiandam ingluuiem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet; eaque re captus de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum: Cleopatra vxor, quæ vinci a Romanis nec luxuria dignaretur, ſponſione prouocauit inſumere ſe poſſe in vnam cænam ſeſter-





ſeſtertium centies. id mirum Antonio viſum. nec moratus, ſponſione contendit dignus ſculna Munacio Planco, qui tam honeſti certaminis arbiter electus eſt. altera die Cleopatra pertentans Antonium pollucibilem ſane cœnam parauit, ſed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia quæ apponebantur ex cotidianis opibus agnoſceret. tunc arridens regina phialam popoſcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc vnionem demptum ex aure altera feſtinabunda demiſit; eumque mature diſſolutum vti natura eſt eius lapidis abſorbuit. &, quamuis eo facto, ſponſione viciſſet (quippe cum ipſa margarita centies ſeſtertium ſine contentione eualuiſſet) manum tamen & ad alterius vnionis aurem ſimiliter admouit, niſi Munacius Plancus iudex ſeueriſſimus ſuperatum Antonium mature pronunciaſſet. ipſe autem vnio cuius fuerit magnitudinis inde colligi poterit; quod qui ſuperfuit poſtea victa regina & capta Ægypto Romam delatus deſectuſque eſt; & factæ ex vna margarita duæ impoſitæque ſimulachro Veneris, vt monſtruoſæ magnitudinis, in templo quod Pantheum dicitur.

## CAP. XIV.

### De nucum generibus.

ADHVC dicente Furio ſecundæ menſæ illata bellaria nouo ſermoni principium dederunt. Symmachus enim attrectans manu nuces, Vellem, inquit, ex te audire, Serui, tãta nucibus nomina quæ cauſa vel origo variauerit, aut vnde tot mala cum hac vna appellatione vocitentur; ſiant tamen ſeorſum diuerſa tam vocabulo quam ſapore. ac prius de nucibus abſoluas volo, quæ tibi memoria crebræ lectionis occurrunt. & Seruius: Nux iſta iuglans ſecundum nonnullorum opinionem a iuuando, & a glande dicta exiſtimatur. Gauius vero Baſſus in libro de ſignificatione verborum

*borum hoc refert*: Iuglans arbor proinde dicta eſt ac Iouis glans, nam quia id arboris genus nuces habet, quæ ſunt ſuauiore ſapore quam glans eſt: hunc fructum antiqui illi, qui egregium glandique ſimilem ipſamque arborem deo dignam exiſtimabant, Iouis glandem appellauerunt, quæ nunc litteris interliſis iuglans nominatur. *Cloatius autem Verus in libro a Græcis tractorum ita memorat*: Iuglans, di, prætermiſſum eſt, quaſi diiuglans. id eſt, διὸς βάλανος, ſicut Theophraſtus ait: ἴδια δὲ τῶν ὀρεινῶν ἃ ἐν τοῖς πεδίοις οὐ φύεται, τερέβινθος, πρῖνος, φιλύρη, ἀφάρκη, κάρυα, ἣ καὶ διὸς βάλανος. *hanc Græci etiam baſilicam vocant.*

*Nux hæc Auellana ſeu Præneſtina, quæ eſt eadem, ex arbore eſt quæ dicitur* corylos. *de qua Vergilius dicit*: corylum ſere. *eſt autem natio hominum iuxta agrum Præneſtinum, qui Carſitani vocantur* ἀπὸ τῶν καρύων. *cuius rei meminit Varro in Logiſtorico, qui inſcribitur*, Marius de fortuna. *inde ſcilicet Præneſtinæ nuces. Eſt & illud apud Næuium in fabula Ariolo:*

Quis heri apud te? Præneſtini & Lanuuini hoſpites.
Suopte vtroſque decuit acceptos cibo,
Alteris inanem bulbam madidam dari,
Alteris nuces in procliui profundere.

*Hanc autem nucem Græci Ponticam vocant, dum vnaquaque natio indit huic nuci nomen ex loco in quo naſcitur copioſior. Nux caſtanea, de qua Vergilius*, Caſtaneaſque nuces, *vocatur & heracleotica. nam vir doctus Oppius in libro quem fecit de ſilueſtribus arboribus ſic ait*: Heracleotica hæc nux, quam quidam caſtaneam vocant, itemque Pontica mox, atque etiam quæ dicuntur baſilicæ iuglandes, germina atque flores agunt ſimiliter iſdem temporibus quibus Græcæ nuces.

*Nunc dicendum eſt quæ ſit Græca nux*: *ac ſimul hoc dicens*



*cens amygdalam de lance tulit & oſtendit. Nux Græca hæc eſt, quæ & amygdale dicitur. ſed & Thaſia eadẽ nux vocatur. teſtis eſt Cloatius in ordinatorum Græcorum lib. 4. cum ſic ait*: Nux Græca amygdale. *Atta vero in ſupplicatione*, Nucem Græcam, *ait*, fauumque adde quantum libet. *Nucem molluſcam, licet hiemis nobis tẽpus inuideat, tamen quia de nucibus loquimur indictã non relinquamus. Plautus in Chalceolo ſic eius meminit*: Molluſcam nucem ſuper eius dixit impendere tegulas. *ecce Plautus nominat quidem ſed quid ſit nux mollusca nõ exprimit. eſt autẽ perſicum quod vulgo vocatur & molluſca nux dicitur; ſcilicet quod ceteris omnibus nucibus mollior ſit. huius rei idoneus aſſertor eſt Sueuius vir lõge doctiſſimus, in idyllio quod inſcribitur moretum. nam, cum loquitur de hortulano faciente moretum, inter cetera quæ eo mittit & hoc pomum mitti ait his verbis:*

Admiſce tu Acca baſilicis hæc nunc partim,
Partim Perſica: quod nomen ſic denique fertur,
Propterea quod qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prœlia bello
In Perſas tetulere, ſuo poſt inde reuentu
Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis
Diſſeruere, nouos fructus mortalibus dantes.
Molluſca hæc nux eſt, ne quis forte inſcius erret.

*Nux Terentina dicitur, quæ ita mollis eſt vt vix attrectata frangatur. de qua in libro Fauorini ſic reperitur:* Itemque quidam Tarentinas oues vel nuces dicunt quæ ſunt Terentinæ a tereno, quod eſt Sabinorum lingua molle. vnde Terentios quoque dictos putat Varro ad Libonem primo. *quam in culpam etiam Horatius poteſt videri incidere qui ait:* & molle Tarentum.

*Nux pinea hos nobis, qui oppoſiti ſunt, nucleos dedit. Plautus in Ciſtellaria:*

Qui è nuce nucleos eſſe vult, frangit nucem.

CAP.

## CAP. XV.

De generibus malorum, & pirorum.

E*T, quia mala videmus admiſſa bellariis, poſt nuces de malorum generibus diſſerendum eſt. Sunt de agricultura ſcriptores qui nuces & mala ſic diuidunt, vt nuces dicant omne pomum quod foris duro tegatur & intus habeat quod eſui eſt; Malum vero, quod foris habeat quod eſui & durum intus includat. ſecundum hanc definitionem Perſicum, quod Sueuius poëta ſuperius inter nuces numerat, magis erit inter mala numerandum.*

*His præmiſſis, malorum enumeranda ſunt genera, quæ Cloatius in ordinatorum Græcorum libro quarto ita diligenter enumerat:* Sunt autem genera malorum; Amerinum, cotonium, citreum, coccymelum, conditiuum, ἐπιμηλίς, muſteum, Mattianum, orbiculatum, ogratianum, præcox, pannuceum, Punicum, Perſicum, quirianum, proſiuum, rubrum, ſcandiancum, ſilueſtre, ſtruthium, Scantianum, Tibur, Verianum. *Vides Perſicum à Cloatio inter mala numeratum, quod nomen originis ſuæ tenuit, licet iamdudum noſtri ſoli germen ſit. Quod autem ait idem Cloatius*, citreum, *& ipſum Perſicum malum eſt ſecundum Vergilium,*

Felicis mali quo non præſtantius vllum.

*& reliqua. Et vt nemo dubitet hæc de citreo dixiſſe Vergilium; accipite quæ Oppius in libro de ſilueſtribus arboribus dicat:* Citrea item malus & Perſica: altera generatur in Italia & in Media altera. *& paulo poſt de citreo loquens ait:* Eſt autem odoratiſſimum, ex quo interiectum veſti tineas necat. fertur etiam venenis contrarium; quod tritum cum vino purgatione virium ſuarum bibentes ſeruat. generantur autem in Perſide omni tempore mala citrea: alia enim præcarpuntur, alia



alia interim matureſcunt. *Vides hic & citreum nominari, & omnia ſigna poni, quæ de eo Vergilius dixit; licet nomen citrei ille non dixerit. nam & Homerus, qui citreum* θύον *appellat, oſtendit eſſe odoratum pomum,*

θύον δ' ἀπὸ κηλὸν ὀδώδει.

*&, quod ait Oppius inter veſtem poni citreum, idem ſignificat Homerus cum dicit:*

Εἵματα δ' ἀμφιέσασα θυώδεα σιγαλόεντα

*hinc & Næuius poëta in bello Punico ait* citroſam veſtem.

*Pira hæc quæ videmus varietas nominum numeroſa diſcernit. nam idem Cloatius ſic eorum vocabula deſcribit:* Anicianum, cucurbitiuum, cirritum, ceruiſca, calculoſum, cruſtuminum, decimanum, Græculum, Lollianum, Lanuuinum, laureum, lateresianũ, murapium, Mileſium, murteum, Næuianum, orbiculatum, præcianum, rubile, Signinum, Fullianum, Titianum, Turrinianum, timoſum, præcox, volemum, meſpillum, ſerum, ſementiuum ſerum, Sextilianum ſerum, Tarentinum ſerum, Valerianum ſerum.

## CAP. XVI.

De ficuum, olearum, vuarumque generibus.

ADMONENT *nos & fici aridæ, vt enumeremus genera ficorum, eodem Cloatio nos de his, vt de aliis, inſtruente. ſic enim diuerſas ficos diligentiæ ſuæ more dinumerat:* Africa, albula, harundinea, aſinaſtra, atra, paluſca, auguſta, bifera, carica, caldica alba nigra, Chia alba nigra, Calpurniana alba nigra, cucurbitiua, duricoria, Herculanea, Liuiana, ludia, leptoludia, Marſica, Numidica, pulla Pompeiana, præcox, Tellana atra. *Sciendum quod ficus alba ex felicibus ſit arboribus; contra nigra ex infelicibus. docent nos vtrumque pontifices: ait enim Veranius de verbis pontificalibus:* Felices arbores putan-

putantur eſſe, quercus, æſculus, ilex, ſuber, fagus, corylus, ſorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus. *Tarquinius autem Priſcus in oſtentario arborario ſic ait:* Albores quæ inferum deorum auertentiumque in tutela ſunt, eas infelices nominant. alternum ſanguinem, filicem, ficum atram, quæque baccam nigram nigroſque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum ſiluaticum, ruſcum, rubum, ſenteſque, quibus portenta prodigiaq. mala comburi iubere oportet. *Quid? quod ficum tanquam non pomum ſecerni a pomis apud idoneos reperimus? Afranius in Sella:* Pomum, holus, ficum, vuam. *ſed & Cicero Oeconomicon libro tertio:* Neque ſerit vitem, neq. quæ ſata eſt diligẽter colit; oleum, ficos, poma, non habet. *Nec hoc ignorãdum eſt ficum ſolam ex omnibus arboribus non florere, Lacte proprie ficorũ groſſi appellantur fici, qui non matureſcũt, hos Græci dicunt ὀλύνθους. Mattius:* In milibus tot ficorũ non videbitis groſſum. *& paulo poſt ait:* Sumas ab alio lacte diffluos groſſos. *& Poſtumius Albinus annali primo de Bruto:* Ea cauſa ſeſe ſtultum brutumq. faciebat; groſſulos ex melle edebat.

*Olearum genera hæc enumerantur: Africana, Albigerus, Aquilia, Alexandrina, Ægyptia, culminea, conditiua, Liciniana, Orchas, oleaſter, pauſia, Paulia, radius, Sallentina, Sergiana, Termutia. ſicut vuarum iſta ſunt genera; Aminea, ſcilicet a regione. nam Aminei fuerunt vbi nunc Falernum eſt: aſinuſca, atruſca, albiuerus, albena, apiana, apicia, bumamma, aut, vt, Græci dicunt βούμαδος, duracina, labruſca, melampſithia, maronia. mareotis, numentana, precia, prannia, pſithia, pilleolata, Rhodia, ſtephanitis, venucula, variola, lagea. Inter hæc Prætextatus: Vellem Seruium noſtrum diutius audire. ſed hora nos quietis admonet, vt exorto iubare eloquio Symmachi domi ſuæ fruamur, atque ita facta diſciſſio eſt.*

AVRE-



# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. *& inluſtris*

## CONVIVIORVM SECVNDI DIEI Saturnaliorum

## LIBER TERTIVS.

### CAPVT I.

Quam accurate Vergilius expreſſerit diuerſos ritus ſacrificandi.

CONGREGATIS *in tempore conſtituto in domo Vettij, qui venire debuerant, inter cœnandum capit Euangelus Vettium taliter compellare: Dixiſti, inquit, mi Vetti, inter omnia quibus eminet laus Maronis hoc te lectorem aſſiduum admirari, quia doctiſſime ius Pontificium, tanquam hoc profeſſus, in multa & varia operis ſui parte ſeruauit. Et ſi tantæ diſſertationis ſermo non cederet, promiſiſti fore vt Vergilius noſter Pontifex maximus videretur. Nunc igitur comple promiſſum, vel ſermonem a memoria tua credam ceſſiſſe, vel potius præſulem noſtrum Vergilium Pontificem ignoraſſe. Tunc Prætextatus decenti rubore perfuſus; non, inquit, O Euangele propter verba tua magis vana quam vera, ſed propter totius cœtus reuerentiam, quem ſcio auide iſtud audire, oſtendam nec me ſermonis oblitum, nec ſacrorum Vergilium imperitum. Hoc autem reputo principaliter præmittendum, quo ad hoc quis diis ſuperis rem ſacram recte perficiat, prius eum rite purificari oportere. Et hoc*

*Vergilius*

*Vergilius prius plane demonſtrat, quum Æneam Pontifi-cem introducit patri ſuo ſic loquentem:*

* Hactenus ex MS. Vide Notas.

* Tu genitor cape ſacra manu patrioſque Penates:
Me bello e tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine viuo
Abluero.

*poſt Caietæ quoque nutricis ſepulturam, quo potiſſimum nauigans appellitur, quam ad eam partem,*

per quam fluuio Tiberinus amœno
In mare prorumpit,

*vt confeſtim in ipſo Italiæ limine fluuiali vnda ablutus poſſet quam puriſſime Iouem*

Phrygiamque ex ordine matrem

*inuocare. quid? quod Euandrum aditurus per Tiberim nauigat; quod eum eſſet reperturus Herculi ſacra celebrãtem; vt ſic purificatus ſacris poſſit hoſpitalibus intereſſe? Hic & Iuno ipſa conqueritur non magis quod Æneam contigiſſet contra ſuum velle in Italiam peruenire, quam quod* optato *potiretur* Tibridis alueo: *quia ſciret eum hoc amne purificatum poſſe ſacra etiam ſibi rite perficere. nam nec ſupplicari quidem ſibi ab eo vellet. Nunc quoniam purificationem ad ſacra ſuperorum pertinentem deorum in Vergiliana obſeruatione monſtrauimus, videamus vtrũ & circa inferorum deorum cultum proprietatem moris idem poëta ſeruauerit. Conſtat dis ſuperis ſacra facturum corporis ablutione purgari. cum vero inferis litandũ eſt; ſatis actum videtur ſi adſperſio ſola contingat. de ſacris igitur ſuperorũ ait Æneas:*

donec me flumine viuo
Abluero.

*at Dido cum ſacra dis inferis inſtituit ait;*

Annam cara mihi nutrix huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluuiali ſpargere lympha.

*& alibi:*

Sparſerat



Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.

*necnon cum Miſenum ſepulturæ mandari refert:*

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui.

*ſic & cum facit Ænean apud inferos ramum Proſerpinæ conſecraturum ita infert:*

Occupat Æneas aditum, corpuſque recenti
Spargit aqua.

## CAP. II.

Quam proprie Vergilius vſus ſit verbis ad ſacra pertinentibus.

VERBORVM *autem proprietas tam poëtæ huic familiaris eſt; vt talis obſeruatio in Vergilio laus eſſe iam deſinat. nullis tamen magis proprie vſus eſt, quam ſacris vel ſacrificalibus verbis. & primum illud non omiſerim, in quo plerique falluntur:*

extaque ſalſos
Porriciam in fluctus,

*non, vt quidam,* proiiciam; *æſtimantes dixiſſe Vergilium proiicienda exta, qui adiecit,* in fluctus. *ſed non ita eſt. nam & ex diſciplina haruſpicum & ex præcepto pontificum verbum hoc ſollemne ſacrificantibus eſt: ſicut Veranius ex primo libro Pictoris ita diſſertationem huius verbi exſecutus eſt,* Exta porriciunto dis danto in altaria aram ve focum ve, eove quo exta dari debebunt. Porricere *ergo non* proiicere, *proprium ſacrificij verbum eſt, & quia dixit Veranius*, in aram focum ve eove quo exta dari debebunt; *nunc pro ara & foco mare accipiendum eſt, cum ſacrificium diis maris dicatur. ait enim;*

Di quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,

V Vobis

Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras voti reus; extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

*ex his docetur in mare rite potuiſſe* porrici exta, *non*, proiici.

Conſtituam ante aras voti reus.

*Hæc vox propria ſacrorum eſt; vt reus vocetur qui ſuſcepto voto ſe numinibus obligat; damnatus autem, qui promiſſa vota non ſoluit. Sed de hoc non opus eſt a me plura proferri, cum vir doctiſſimus Euſtathius paulo ante hanc partem plenius exſecutus ſit.*

*Eſt profundam ſcientiam huius poëtæ in vno ſæpe reperire verbo, quod fortuito dictum vulgus putaret. multifariam enim legimus quod litare ſola non poſſit oratio, niſi & is qui deos precatur etiam aram manibus apprehendat. inde Varro diuinarum libro quinto dicit aras primum aſas dictas; quod eſſet neceſſarium a ſacrificantibus eas teneri. anſis autem teneri ſolere vaſa quis dubitet? commutatione ergo litterarum aras dici cœptas, vt Valeſios & Fuſios dictos prius nunc Valerios & Furios dici. hæc omnia illo verſu poëta exſecutus eſt:*

Talibus orantem dictis araſque tenentem
Audiit omnipotens.

*nonne eo additum crediderîs non quia orabat tantum, ſed quia & aras tenebat auditum? nec non cum ait,*

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

*item:* Tango aras, medios ignes ac numina teſtor.

*eandem vim nominis ex apprehenſione ſignificat.*

*Idem poëta tam ſcientia profundus quam amœnus ingenio nonnulla de veteribus verbis quæ ad proprietatem ſacrorum nouerat pertinere ita interpretatus eſt, vt mutato verbi ſono integer intellectus maneret. nam primo pontificij iuris libro apud Pictorem verbum hoc poſitum eſt,* vitulari.

*de cuius*



*de cuius verbi ſignificatu Titius ita retulit.* Vitulari *eſt* voce lætari. Varro etiam in libro quintodecimo rerum diuinarum ita refert; quod pontifex in ſacris quibuſdam vitulari ſoleat, quod Græci παιανίζειν vocant. *Has tot interpretationum ambages quam paucis verbis docta eloquentia Maronis expreſſit:*

Lætumque choro pæana canentes.

*nam ſi* vitulari *eſt* voce lætari, *quod eſt* παιανίζειν; *nonne in cantu læti* παιᾶνος *enarratio verbi perfecta ſeruata eſt? & , vt huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus libro, quem de dijs compoſuit, ait Vitulam vocari deam, quæ lætitiæ præeſt. Piſo ait vitulam victoriam nominari. cuius rei hoc argumentum profert; quod poſtridie Nonas Iulias re bene geſta, cum pridie populus à Tuſcis in fugam verſus ſit, vnde* Populifugia *vocantur, poſt victoriam certis ſacrificiis fiat vitulatio. quidam nomen eius animaduerſum putant quod potens ſit vitæ tolerandæ. ideo huic deæ pro frugibus fieri ſacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. vnde hoc eſſe animaduertimus quod ait Vergilius;*

Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito:

*vt* vitula *dixerit pro* vitulatione, *quod nomen eſſe ſacrificij ob lætitiam facti ſuperius expreſſimus. Meminerimus tamen ſic legendum per ablatiuum;*

Cum faciam vitula pro frugibus.

*id eſt, cum faciam rem diuinam, non oue non capra ſed vitula; tamquam dicat, cum vitulam pro frugibus ſacrificauero, quod eſt, cum vitula rem diuinam fecero. Pontificem Ænean vel ex nomine referendorum laborum eius oſtendit. pontificibus enim permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi; & hos annales appellant equidem maximos, quaſi a pontificibus maximis factos. vnde ex perſona Æneæ ait;*

Et vacat annales tantorum audire laborum.

## CAP. III.

De ſacro, profano, ſancto, & religioſo: quid ea ſint, & quam diligenter horum verborum proprietates expreſſerit Maro.

ET *quia inter decreta pontificum hoc maxime quæritur quid* ſacrum, *quid* ſanctum, *quid* religioſum: *quærendum vtrum his ſecundum definitionem ſuam Vergilius vſus ſit, & ſingulis vocabuli ſui proprietatem ſuo more ſeruarit.*

Sacrum eſt, *vt Trebatius libro primo de religionibus refert*, quicquid eſt quod deorum habetur. *Huius definitionis poëta memor, vbi ſacrum nominauit, admonitionem deorum pæne ſemper adiecit:*

Sacra Dioneæ matri diuiſque ferebam.

*item:*

Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui.

*item:*

Tibi enim tibi maxima Iuno
Mactat ſacra ferens,

Profanum *omnes pæne conſentiunt id eſſe, quod extra fanaticam cauſam ſit, quaſi porro a fano & a religione ſecretum. cuius ſignificatus exemplum exſecutus eſt cum de luco & adytu inferorum ſacro vtroque loqueretur:*

Procul o procul eſte profani
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco.

*Eo accedit quod Trebatius* profanum *id proprie dici ait*, quod ex religioſo vel ſacro in hominum vſum proprietatemque conuerſum eſt. *quod apertiſſime poeta ſeruauit cum ait:*

Faune precor miſerere, inquit, tuq. optima ferrum
Terra tene; colui veſtros ſi ſemper honores.
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

*dixerat enim,*

Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant.

*vnde oſtendit proprie* profanum, *quod ex ſacro promiſcuum humanis actibus commodatum eſt.*

Sanctum *eſt, vt idem Trebatius libro decimo religionum refert*, interdum idem quod ſacrum idemque quod religioſum; interdum aliud, hoc eſt, nec ſacrum nec religioſum eſt. *quod ad ſecundam ſpeciem pertinet:*

Sancta ad vos anima atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam.

*non enim ſacro aut religioſo eius anima tenebatur, quam ſanctam, hoc eſt, incorruptam, voluit oſtendere. vt in illo quoque;*

Tuque o ſanctiſſima coniunx
Felix morte tua.

*In quo caſtitatis honorem incorruptæ vxoris amplexus eſt. vnde &* ſanctæ leges; *quæ non debeant pœnæ ſanctione corrumpi. Quod autem ad priorem ſpeciei definitionem de ſancto attinet; id eſt vt non aliud ſit quam ſacrum aut religioſum;*

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex,

*Et paulo poſt:*

Nos pauidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

*hic enim ſanctos ac ſi ſacros accipiemus, quia diuinitus contigerunt. item:*

Tuque o ſanctiſſima vates
Præſcia venturi:

*non aliud niſi ſacram vocat, quam videbat & deo plenam & ſacerdotem.*

*Supereſt vt quid ſit religioſum cum Vergilio communicemus. Seruius Sulpicius religionem eſſe dictam tradidit, quæ* propter

*propter ſanctitatem aliquam remota ac ſepoſita a nobis ſit; quaſi a relinquendo dicta, vt a carendo ceremonia. hoc Vergilius ſeruans ait:*

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæretis amnem
Relligione patrum late ſacer.

*& adiecit, quo proprietatem religionis exprimeret:*

Vndique colles
Incluſere caui, & nigra nemus abiete cingit.

*quæ res vtique faciebat lucum a populi communione ſecretum. &, vt relictum locum oſtenderet non ſola adeundi difficultate, adiecit & ſanctitatem,*

Siluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Agrorum pecoriſque deo.

*Secundum Pompeium Feſtum* religioſi ſunt, qui facienda & vitanda diſcernunt. *hinc Maro ait:*

Riuos deducere nulla
Relligio vetuit.

*Quod autem ait,* deducere: *nihil aliud eſt quam detergere. nam feſtis diebus riuos veteres ſordidatos detergere licet, nouos fodere non licet.*

*In tranſcurſu & hoc notandum eſt, quod & ipſe velut præteriens ſub vnius verbi ſignificatione proiecit. cauetur enim in iure pontificio vt, quoniam oues duabus ex cauſis lauari ſolent aut vt curetur ſcabies aut vt lana purgetur, feſtis diebus purgandæ lanæ gratia oues lauare non liceat; liceat autem ſi curatione ſcabies abluenda ſit. ideo hoc quoque inter conceſſa numerauit;*

Balantumque greges fluuio merſare.

*quod ſi hucuſque dixiſſet; licita & vetita confuderat: ſed adiiciendo,* ſalubri, *cauſam conceſſæ ablutionis expreſſit.*

CAP.



## CAP. IIII.

Quid delubrum, qui dij Penates. Et quod ne in his quidem Vergilius a ſua receſſerit diligentia.

NOMINA *etiam ſacrorum locorum ſub congrua proprietate proferre pontificalis obſeruatio eſt. Ergo delubrum quid pontifices proprie vocent, & qualiter hoc nomine Vergilius vſus ſit, requiramus. Varro libro octauo rerum diuinarum* Delubrum *ait* alios æſtimare, in quo præter ædem ſit area aſſumpta deum cauſa, vt eſt in circo Flaminio Iouis Statoris; alios in quo loco dei ſimulacrum dedicatum eſt. *& adiecit:* ſicut locum in quo figerent candelam candelabrum appellatur, ita in quo deum ponerent nominatum delubrum. *His a Varrone præſcriptis intelligere poſſumus id potiſſimum ab eo probatum quod ex ſua conſuetudine in vltimo poſuit, vt a dei dedicato ſimulachro delubrum cœperit nuncupari. Vergilius tamen vtramque rationem diligenter eſt exſecutus, vt enim a poſtrema incipiamus; obſeruauit delubrum nominaturus aut proprie deorum nomina aut ea quæ diis accommodarentur inſerere.*

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt.

*&, vt mox ſimulachrum nominaret, ſubtexuit:*

Sæuæque petunt Tritonidos arcem,
Sub pedibuſque deæ clypeique ſub orbe teguntur.

*item:*

Nos delubra deum miſeri, quibus vltimus eſſet
Ille dies.

*illam vero opinionem de area, quam Varro prædixerat, non omiſit:*

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt. *& mox:*

Aut ante ora deum pingues ſpatiatur ad aras.

*quid enim eſt ſpatiatur, quam ſpatio lati itineris obambulat? quod adiiciendo*, ante aras, *oſtendit aream aſſumptam deorum cauſa. ita ſuo more velut aliud agendo implet arcana.*

*De diis quoque Romanorum propriis, id eſt, Penatibus, adſperſa eſt huic operi non incurioſa ſubtilitas. Nigidius enim de diis libro nonodecimo requirit num dij Penates ſint Troianorum Apollo & Neptunus, qui muros eis feciſſe dicuntur; & num eos in Italiam Æneas aduexerit. Cornelius quoque Labeo de diis Penatibus eadem exiſtimat. hanc opinionem ſequitur Maro cum dicit,*

Sic fatus meritos aris mactabat honores.
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

*Varro humanarum ſecundo Dardanum refert deos Penates ex Samothrace in Phrygiam & Æneam ex Troia in Italiam detuliſſe. Qui ſint autem dij Penates in libro quidem memorato Varro non exprimit: ſed qui diligentius eruunt veritatem Penatis eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poßidemus: eſſe autem medium æthera Iouem, Iunonem vero imum äëra cum terra, & Mineruam ſummum ætheris cacumen. & argumento vtuntur, quod Tarquinius Demarati Corinthij filius, Samothracicis religionibus myſtice imbutus, vno templo ac ſub eodem tecto, numina memorata coniunxit. Caßius Hemina dicit Samothracas deos eoſdemque Romanorum Penates proprie dici* θεοὺς μεγάλοις, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατούς. *Noſter hæc ſciens ait;*

Cum ſociis natoque penatibus & magnis dis.

*quod exprimit* θεοὺς μεγάλους. *Sed & omnia hæc nomina cum in vno de ſupradictis numinibus ſeruat; doctrinam procul dubio ſuam de omni hac opinione confirmat. cum enim ait:*

Iunonis magnæ primum prece numen adora;

τὴν μεγάλην *nominauit:*

Aſſit



Aſſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno;

τὴν χρηστήν; dominamque potentem, τὴν δυνατήν. *Eodem nomine appellauit & Veſtam. quam de numero Penatium aut certe comitem eorum eſſe manifeſtum eſt: adeo vt & conſules prætores ſeu dictatores, cum adeunt magiſtratum, Lauinij rem diuinam faciant Penatibus pariter & Veſtæ. Sed & Vergilius, vbi ex perſona Hectoris dixit,*

Sacra ſuoſque tibi commendat Troia Penates:

*mox ſubiecit;*

Sic ait & manibus vittas Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem,

*addidit Higinus in libro, quem de diis Penatibus ſcripſit, vocari eos* θεοὺς πατρῴους *ſed nec hoc Vergilius ignoratum reliquit:*

Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem.

*& alibi,*

patriique Penates.

## CAP. V.

Quanta fuerit Vergilij cura in exprimendis diuerſis hoſtiarum generibus: & cur Mezentium contemptorem dixerit deorum.

NEC *minus de ſacrificiorum vſu quam de deorum ſcientia diligentiam ſuam pandit. Cum enim Trebatius libro primo de religionibus doceat hoſtiarum genera eſſe duo; vnum in quo voluntas dei per exta diſquiritur, alterum in quo ſola anima deo ſacratur, vnde etiam haruſpices animales has hoſtias vocant; vtrumque hoſtiarum genus in carmine ſuo Vergilius oſtendit. & primo quidem illud quo voluntas numinum per exta monſtratur.*

Mactat lectas de more bidentes,

*& mox:*

Pecudumque recluſis



Pecto-

Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

*alterum illud, in quo hoſtia animalis dicitur quod eius tantum anima ſacratur, oſtendit, cum facit Entellum victorem Eryci mactare taurum. nam, vt expleret animalis hoſtiæ cauſas, ipſo vſus eſt nomine:*

Hanc tibi Eryx meliorẽ animã pro morte Daretis.

*& vt nuncupata vota ſignaret, ait,* perſoluo: *quod de voto proprie dicitur. vtque oſtenderet perſolutum diis ſignauit dicens;*

Sternitur exanimiſq. tremens procũbit humi bos.

*Videndum etiam ne & illam hoſtiam oſtendat animalem;*

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica.

*nam &* animam, *id eſt hoſtiæ nomen poſuit, &* litare, *quod ſignificat ſacrificio facto placaſſe numen.*

*In his ipſis hoſtiis vel animalibus vel conſultatoriis quædam ſunt, quæ hoſtiæ iniuges vocantur, id eſt, quæ numquam domitæ aut iugo ſubditæ ſunt. harum quoque noſter poëta ſic meminit;*

Nunc grege de niueo ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit totidem lectas de more bidentes.

*&, vt iniuges euidentius exprimeret, adiecit;*

& intacta totidem ceruice iuuencos.

*Eximij quoque in ſacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον, ſed ſacerdotale nomen eſt, Veranius enim in pontificalibus quæſtionibus docet eximias dictas hoſtias quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximuntur e grege; vel quod eximia ſpecie quaſi offerendæ numinibus eligantur. hinc ait;*

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros.

*vbi quod eximuntur* eximios, *quod eliguntur* præſtanti corpore *dicendo monſtrauit. Ambarualis hoſtia eſt, vt ait*

*Pompeius*



*Pompeius Feſtus, quæ rei diuinæ cauſa circum arua ducitur ab his qui pro frugibus faciunt. huius ſacrificij mentionem in Bucolicis habet, vbi de apotheoſi Daphnidis loquitur:*

Hæc tibi ſemper erunt & cum ſollemnia vota
Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros.

*vbi* luſtrare *ſignificat circumire. hinc enim videlicet & nomen hoſtiæ acquiſitum eſt ab ambiendis aruis. ſed & in Georgicorum libro primo:*

Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.

*Obſeruatum eſt a ſacrificantibus vt ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementius reluctata, oſtendiſſetque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur: quia inuito deo offerri eam putabant. Quæ autem ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari æſtimabant. hinc noſter:*

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aras.

*& alibi:*

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum.

*Alio autem omnem pietatem in ſacrificiis, quæ diis exhibenda ſunt, ponit; vt propter contrariam cauſam Mezentium vocauerit contemptorem deorum. neque enim, vt Aſpero videtur, ideo contemptor diuum dictus eſt, quod ſine reſpectu deorum in homines impius fuerit. alioquin multo magis hoc de Buſiride dixiſſet; quem longe crudeliorem* Illaudatum *vocaſſe contentus eſt. Sed veram huius contumaciſſimi nominis cauſam in primo libro Originum Catonis diligens lector inueniet. ait enim Mezentium Rutulis imperaſſe vt ſibi offerrent quas diis primitias offerebant, & Latinos omnes ſimilis imperij metu ita vouiſſe:* IVPITER. SI. TIBI. MAGIS. CORDI. EST. NOS. EA. TIBI. DARE. POTIVS. QVAM. MEZENTIO. VTEI. NOS. VICTORES. FACIAS. *Ergo, quod diuinos honores ſibi exegerat, merito dictus eſt a Vergilio contemptor deorum. hinc pia illa inſultatio ſacerdotis;*

Hæc

Hæc ſunt ſpolia & de rege ſuperbo
Primitiæ.

*vt nomine contumaciæ, cuius pœnas luit, raptas de eo notaret exuuias.*

## CAP. VI.

Mirandam fuiſſe Vergilij cum circa Romana, tum circa externa etiam ſacra doctrinam: quod ex Apollinis Delij & Herculis victoris ſacris oſtenditur.

MIRANDVM *eſt huius poetæ & circa noſtra & circa externa ſacra doctrinam. neque enim de nihilo eſt quod cum Delon venit Æneas, nulla ab eo cæſa eſt hoſtia; cum proficiſceretur, Apollini & Neptuno res facta diuina eſt. conſtat enim, ſicut Cloatius Verus ordinatorum libro ſecundo docet, eſſe Deli aram; apud quam hoſtia non caditur, ſed tantum ſollemni deum prece venerantur. verba Cloatij hæc ſunt:* Deli ara eſt Apollinis Γενίτορος, in qua nullum animal ſacrificatur: quam Pythagoram velut inuiolatam adorauiſſe produnt. *Hanc ergo eſſe quæ adoratur ab Ænea Γενίτορος aram poeta demonſtrat. ſiquidem templum ingreſſus pontifex nullo acto ſacrificio ſtatim inchoat precem; &, vt Γενίτορος expreſſius nominaret:*

Da Pater augurium.

*at vero cum taurum mox immolat Apollini & Neptuno, apud aliam vtique aram factum intelligimus. & bene ſupra tantummodo* patrem, *quod ibi proprium eſt, & infra, quod commune eſt, Apollinem nominat. meminit huius aræ & Cato de liberis educandis in hæc verba:* Nutrix hæc omnia faciebat in verbenis ac tubis ſine hoſtia, vt Deli ad Apollinis Genitiui aram. *Eodem verſu non omittendum puto cur* ſaxo vetuſto *dixerit extructum templum. Velius Longus,* Immutatio eſt, *inquit,* epitheti. vult enim dicere



dicere vetuſtatem templi. *hunc multi alij commentatores ſecuti ſunt. ſed frigidum eſt, ædificij ætatem notare. Epaphus autem, vir plurimæ lectionis, libro ſeptimodecimo ait Delphis quodam tempore eueniſſe vt templum religioſum antea & intactum ſpoliatum incenſumque ſit: & adiicit, multas circa Corinthum vrbes inſulaſque proximas terræmotu hauſtas; Delon neque antea neque poſtea hoc incommodo vexatam, ſed ſemper eodem manere ſaxo. Thucydides etiam hiſtoriarum libro tertio idem docet. non mirum ergo ſi præſidio religionis tutam inſulam ſemper oſtendens ad reuerentiam ſibi locorum acceſſiſſe dicit continuam ſaxi eiuſdem, id eſt, inſulæ firmitatem. Vt ſeruauit Apollinis genitoris proprietatem vocando patrem: idem curauit Herculem vocando victorem.*

Hæc, *inquit,* limina victor
Alcides ſubiit.

*Varro diuinarum libro quarto victorem Herculem putat dictum, quod omne genus animalium vicerit. Romæ autem Victoris Herculis ædes duæ ſunt; vna ad portam trigeminam, altera in foro boario. Huius commenti cauſam Maſſurius Sabinus memorialium libro ſecundo aliter exponit.* Marcus, *inquit,* Octauius Herrennius prima adoleſcentia tibicen, poſtquam artis diſtiſus ſuæ eſt, inſtituit mercaturam; & bene re geſta decimam Herculi profanauit. poſtea, cum nauigans hoc idem ageret, a prædonibus circumuentus fortiſſime repugnauit, & victor receſſit. hunc in ſomnis Hercules docuit ſua opera ſeruatum. cui Octauius impetrato à magiſtratibus loco ædem ſacrauit & ſignum; Victoremque litteris inciſis appellauit. dedit ergo epitheton deo, quo & argumentum veterum victoriarum Herculis & cõmemoratio nouæ hiſtoriæ, quæ recenti Romano ſacro cauſam dedit, contineretur. *Nec fruſtra in eodem loco dixit;*

Et domus

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

*quidam enim aram maximam cum vicino conflagraret incendio liberatam a Pinariis ferunt; & ideo ſacri cuſtodem domum Pinariam dixiſſe Vergilium. Aſper* κατὰ διαστολὴν, *inquit*, Potitiorum, qui ab Appio Claudio præmio corrupti ſacra ſeruis publicis prodiderunt. *Sed Veratius pontificalis in eo libro quem fecit de ſupplicationibus ita ait:* Pinariis qui nouiſſimi comeſo prandio veniſſent cum iam manus pranſores lauarent præcepiſſe Herculem, ne quid poſtea ipſi aut progenies ipſorum ex decima guſtarent ſacranda ſibi, ſed miniſtrandi tantummodo cauſa non ad epulas conuenirent. *quaſi* miniſtrantes ergo ſacri cuſtodes vocari: vt ipſe Vergilius alibi;

At Triuiæ cuſtos iamdudum in montibus Opis,

*id eſt miniſtra; Niſi forte cuſtodem dixit eam, quæ ſe prohibuerit & cuſtodierit a ſacris: vt ipſe alibi;*

Et cuſtos furum atque auium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.

*hic vtique cuſtodem prohibitorem auium furumque ſignificat.*

Hæc vbi dicta, dapes iubet & ſublata reponi
Pocula; gramineoque viros locat ipſe ſedili.

*non vacat quod dixit* ſedili. *nam propria obſeruatio eſt in Herculis ſacris epulari ſedentes. & Cornelius Balbus* ἐξηγητικῶν *libro octauodecimo ait apud aram maximam obſeruatum ne lectiſternium fiat. Cuſtoditur in eodem loco vt omnes aperto capite ſacra faciant. hoc fit ne quis in æde dei habitum eius imitetur. nam ipſe ibi operto eſt capite. Varro ait Græcum hunc eſſe morem: quia ſiue ipſe ſiue qui ab eo relicti aram maximam ſtatuerunt, Græco ritu ſacrificauerunt. hoc amplius addit Gauius Baſſus. idcirco enim hoc fieri dicit; quia ara maxima ante aduentum Æneæ in Italia conſtituta eſt, quæ hunc ritum velandi capitis inuenit.*

CAP.



## CAP. VII.

Ea etiam quæ negligenter in Vergilio tranſmittuntur a legentium vulgo, non carere ſenſuum profunditate. Et homines ſacros cur occidere licuerit.

*EA quoque, quæ incurioſe tranſmittuntur a legentium plebe, non carent profunditate. nam cum loqueretur de filio Pollionis, idque ad principem ſuum ſpectaret: adiecit;*

Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.

*Traditur autem in libro Etruſcorum, ſi hoc animal inſolito colore fuerit indutum, portendi imperatori omnium rerum felicitatem. eſt ſuper hoc liber Tarquitij tranſcriptus ex oſtentario Thuſco. ibi reperitur:* Purpureo aureove colore ouis arieſve ſi adſpergatur; principi ordinis & generis ſumma cum felicitate largitatem auget, genus progeniem propagat in claritate, lætioremque efficit. *Huiuſmodi igitur ſtatum imperatori in tranſitu vaticinatur.*

*Verbis etiam ſingulis de ſacro ritu quam ex alto petita ſignificet, vel hinc licebit aduertere:*

Iniecere manum Parcæ teliſque ſacrarunt
Euandri.

*nam quicquid deſtinatum eſt diis, ſacrum vocatur. peruenire autem ad deos non poteſt anima niſi libera ab onere corporis fuerit: quod niſi morte fieri non poteſt. ita ergo opportune ſacratum Haleſum facit, quia erat oppetiturus. & hic proprietatem & humani & diuini iuris ſecutus eſt. nam ex manus iniectione pæne mancipium deſignauit, & ſacrationis vocabulo obſeruantiam diuini iuris impleuit. Hoc loco non alienum videtur de condicione eorum hominum referre, quos leges ſacros eſſe certis diis iubent: quia non ignoro quibuſdam mirum videri quod cum cetera ſacra violari nefas ſit hominem ſacrum ius fuerit occidi. cuius rei cauſa hæc eſt.*

Veteres

*Veteres nullum animal ſacrum in finibus ſuis eſſe patiebantur, ſed abigebant ad fines deorum quibus ſacrum eſſet: animas vero ſacratorum hominum, quos Græci* ζωάνας *vocant, dis debitas æſtimabant. Quemadmodum igitur quod ſacrum ad deos ipſos mitti non poterat a ſe tamen dimittere non dubitabant; ſic animas quas ſacras in cælum mitti poſſe arbitrati ſunt viduatas corpore quam primum illo ire voluerunt. Diſputat de hoc more etiam Trebatius religionum libro nono. cuius exemplum ne ſim prolixus omiſi. cui cordi eſt legere, ſatis habeat & auctorem & voluminis ordinem eſſe monſtratum.*

## CAP. VIII.

Quæ male enuntiando apud Vergilium corrumpantur. Et quod ea nec ratione apud hunc poetam careant quæ fortuita eſſe videntur: cum aliis quibuſdam.

NONNVLLORVM, *quæ ſcientiſſime prolata ſunt male enuntiando corrumpimus dignitatem. vt quidam legunt;*

Diſcedo, ac ducente dea flammam inter & hoſtes
Expedior:

*cum ille doctiſſime dixerit;* ducente deo, *non,* dea. *nam & apud Caluum Acterianus affirmat legendum,*

Pollentemque deum Venerem,

*non,* deam. *Signum etiam eius eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtatura virili. & putant eandem marem ac feminam eſſe. Ariſtophanes eam* Ἀφρόδιτον *appellat. Læuinus etiam ſic ait:* Venerem igitur almum adorans, ſiue femina ſiue mas eſt, ita vti alma noctiluca eſt. *Philochorus quoque in Atthide eandem affirmat eſſe lunam; & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri. mulieres cum virili: quod eadem & mas æſtimatur & femina.*



*Hoc quoque de prudentia religionis a Vergilio dictum eſt:*

Decidit exanimis vitamque reliquit in aſtris
Aeriis.

*Higinus enim de proprietatibus deorum, cum de aſtris ac ſtellis loqueretur, ait oportere his volucres immolari. docte ergo Vergilius dixit apud ea numina animam volucris remanſiſſe, quibus ad litandum data eſt. Nec nomen apud ſe, quod fortuitum eſſe poterat, vacare permittit:*

Matriſque vocauit
Nomine Caſmillæ mutata parte Camillam.

*nam Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait dixiſſe Callimachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium; quo vocabulo ſignificant præminiſtrum deorum. vnde Vergilius ait* Metabum Camillam *appellaſſe filiam Dianæ ſcilicet præminiſtram. nam & Pacuuius, cum de Medea loqueretur;* Cælitum Camilla exſpectata adueni. Salue hoſpita. *Romani quoque pueros & puellas nobiles & inueſtes Camillos & Camillas appellant, flaminicarum & flaminum præminiſtros. Hanc quoque obſeruationem eius non conuenit præterire.*

Mos erat, *inquit*, Heſperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit.

*Varro de moribus* morem *eſſe dicit in iudicio animi, quem ſequi debeat conſuetudo. Iulius Feſtus de verborum ſignificationibus libro tertiodecimo:* Mos eſt, *inquit*, inſtitutum patrium, pertinens ad religiones ceremoniaſque maiorum. *ergo Vergilius vtrumque auctorem ſecutus. & primo quidem Varronem; quoniam ille dixerat morem præcedere, ſequi conſuetudinem. poſtquam dixit;* Mos erat: *ſubiunxit,*

quem protinus vrbes

Albanæ coluere, &,
nunc maxima rerum
Roma colit:

*quod perſeuerantiam conſuetudinis monſtrat. & quoniam Feſtus pertinere ad ceremonias ait; hoc idem docuit Maro adiiciendo,* ſacrum,

Quem protinus vrbes
Albanæ coluere ſacrum.

*mos ergo præceſſit & cultus moris ſecutus eſt, quod eſt conſuetudo. & hic definitionem Varronis impleuit. adiiciendo deinde,* ſacrum, *oſtendit morem ceremoniis eſſe dicatum, quod Feſtus aſſeruit. idem obſeruauit & in duodecimo libro cum ait:*

Morem ritusque ſacrorum
Adiiciam.

*in quo oſtendit aperte morem eſſe ritus ſacrorum. Sed hiſtoriæ quoque fidem in his verſibus ſecutus eſt,*

Mos erat Heſperio in Latio,

*& reliqua. ſeruauit enim regnorū ſucceſſionem. quippe primi regnauerunt, Latini, deinde Albani, & inde Romani. Ideo* Mos erat, *primum dixit,* Heſperio in Latio: *& poſtea,*

quem protinus vrbes
Albanæ coluere ſacrum:

*deinde ſubiecit;*

Nunc maxima rerum
Roma colit.

## CAP. IX.

**De carmine quo euocari ſolebant dij tutelares, & aut vrbes aut exercitus deuoueri.**

EXCESSERE omnes adytis ariſque relictis
Di, quibus imperium hoc ſteterat.

*Et de vetuſtiſſimo Romanorum more & de occultiſſimis ſa-*





*cris vox iſta prolata eſt. conſtat enim omnes vrbes in alicuius dei eſſe tutela, moremque Romanorum arcanum & multis ignotum fuiſſe, vt, cum obſiderent vrbem hoſtium eamque iam capi poſſe confiderent, certo carmine euocarent tutelares deos: quod aut aliter vrbem capi poſſe non crederent, aut ſi poſſet nefas æſtimarent deos habere captiuos. nam propterea ipſi Romani & deum in cuius tutela vrbs Roma eſt vt ipſius vrbis Latinum nomen ignotum eſſe voluerunt. ſed dei quidem nomen nonnullis antiquorum licet inter ſe diſſidentium libris inſitum: & ideo vetuſta perſequentibus quicquid de hoc putatur innotuit. alij enim Iouem crediderunt, alij Lunam: ſunt qui Angeronam quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat. alij autem, quorum fides mihi videtur firmior, Opem Conſiuiam eſſe dixerunt. Ipſius vero vrbis nomen etiam doctiſſimis ignotum eſt; cauentibus Romanis ne quod ſæpe aduerſus vrbes hoſtium feciſſe ſe nouerant idem ipſi quoque hoſtili euocatione paterentur, ſi tutelæ ſuæ nomen diuulgaretur. Sed videndum ne quod nonnulli male æſtimauerunt nos quoque confundat, opinantes vno carmine & euocari ex vrbe aliqua deos & ipſam deuotam fieri ciuitatem. nam reperi in libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni vtrumque carmen, quod ille ſe in cuiuſdam Furij vetuſtiſſimo libro reperiſſe profeſſus eſt. eſt autem carmen huiuſmodi, quo di euocantur cum oppugnatione ciuitas cingitur:* SI. DEVS. SI. DEA. EST. CVI. POPOLVS. CIVITAS. QVE. KARTHAGINIENSIS. EST. IN. TVTELA. TE. QVE. MAXIME. ILLE. QVI. VRBIS. HVIVS. POPOLI. QVE. TVTELAM. RECEPISTI. PRECOR. VENEROR. QVE. VENIAM. QVE. A. VOBIS. PETO. VT. VOS. POPOLVM. CIVITATEM. QVE. KARTHAGINIENSEM. DESERATIS. LOCA. TEMPLA. SACRA.

VRBEM. QVE. EORVM. RELINQVATIS. ABSQVE. HIS. ABEATIS. EI. QVE. POPOLO, CIVITATI. QVE. METVM. FORMIDINEM. OBLIVIONEM. INIICIATIS. PRODITI. QVE. ROMAM. AD. ME. MEOS. QVE. VENIATIS. NOSTRA. QVE. VOBIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. VRBS. ACCEPTIOR. PROBATIOR. QVE. SIT. MIHI. QVE. POPOLO. QVE. ROMANO. MILITIBVS. QVE. MEIS. PRÆPOSITI. SITIS. VT. SCIAMVS. INTELLIGAMVS. QVE. SI. ITA. FECERITIS. VOVEO. VOBIS. TEMPLA. LVDOS. QVE. FACTVRVM. *In eadem verba hoſtias fieri oportet, auctoritatemque videri extorum vt ea promittant futura. vrbes vero excercituſque ſic deuouentur iam numinibus euocatis. ſed dictatores imperatoreſque ſoli poſſunt deuouere his verbis:* DIS. PATER. VEIOVIS. MANES. SIVE. VOS. QVO. ALIO. NOMINE. FAS. EST. NOMINARE. VT. OMNES. ILLAM. VRBEM. KARTAGINEM. EXERCITVM. QVE. QVEM. EGO. ME. SENTIO. DICERE. FVGA. FORMIDINE. TERRORE. QVE. COMPLEATIS. QVI. QVE. ADVERSVM. LEGIONES. EXERCITVM. QVE. NOSTRVM. ARMA. TELA. QVE. FERENT. VTI. VOS. EVM. EXERCITVM. EOS. HOSTES. EOS. QVE. HOMINES. VRBES. AGROS. QVE. EORVM. ET. QVI. IN. HIS. LOCIS. REGIONIBVS. QVE. AGRIS. VRBIBVS. VE. HABITANT. ABDVCATIS. LVMINE. SVPERO. PRIVETIS. EXERCITVM. QVE. HOSTIVM. VRBES. AGROS. QVE. EORVM. QVOS. ME. SENTIO. DICERE. VTI. VOS. EAS. VRBES. AGROS. QVE. CAPITA.



CAPITA. ÆTATES. QVE. EORVM. DEVOTAS. CONSECRATAS. QVE. HABEATIS. ILLIS. LEGIBVS. QVIBVS. QVANDO. QVE. SVNT. MAXIME. HOSTES. DEVOTI. EOS. QVE. EGO. VICARIOS. PRO. ME. FIDE. MAGISTRATV. QVE. MEO. PRO. POPOLO. ROMANO. EXERCITIBVS. LEGIONIBVS. QVE. NOSTRIS. DO. DEVOVEO. VT. ME. MEAM. QVE. FIDEM. IMPERIVM. QVE. LEGIONES. EXERCITVM. QVE. NOSTRVM. QVI. IN. HIS. REBVS. GERVNDIS. SVNT. BENE. SALVOS. SIRITIS. ESSE. SI. HAEC. ITA. FAXITIS. VT. EGO. SCIAM. SENTIAM. INTELLIGAM. QVE. TVNC. QVISQVIS. HOC. VOTVM. FAXIT. VBI. VBI. FAXIT. RECTE. FACTVM. ESTO. OVIBVS. ATRIS. TRIBVS. TELLVS. MATER. TE. QVE. IVPITER. OBTESTOR. *Cum Tellurem dicit: manibus terram tangit. cum Iouem dicit: manus ad cælum tollit. cum votum recipere dicit: manibus pectus tangit. In antiquitatibus autem hæc oppida inueni deuota, Tonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas. hæc intra Italiam. præterea Karthaginem & Corinthum. ſed & multos exercitus oppidaque hoſtium Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum, Maurorum, aliarumque gentium, quas priſci loquuntur annales. Hinc ergo eſt quod propter eiuſmodi euocationem numinum diſceſſionemque ait Vergilius:*

Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Dij.

*& vt tutelares deſignaret adiecit;*

Quibus imperium hoc ſteterat,

*vtque præter euocationem etiam vim deuotionis oſtenderet, in qua præcipue Iupiter, vt diximus, inuocatur, ait*

X 3 Ferus

Ferus omnia Iupiter Argos
Tranſtulit.

*Videturne vobis probatum ſine diuini & humani iuris ſcientia non poſſe profunditatem Maronis intelligi?*

## CAPVT X.

Cur Vergilius tertio Æneidos fecerit Ioui immolari taurum: & quibus diis tauri immolari ſoleant.

HIC, *cum omnes concordi teſtimonio doctrinam & poëtæ & enarrantis æquarent; exclamat Euangelus diu ſe ſuccubuiſſe patientiæ, nec vltra diſſimulandum: quin in medium detegat inſcientiæ Vergilianæ vulnus. Et nos, inquit, manum ferulæ aliquando ſubduximus, & nos cepimus pontificij iuris auditum: & ex his quæ nobis nota ſunt Maronem huius diſciplinam iuris neſciſſe conſtabit. quando enim diceret,*

Cælicolum regi mactabam in litore taurum,

*ſi ſciret tauro immolari huic deo vetitum: aut ſi comprehendiſſet quod Atteius Capito comprehendit? cuius verba ex libro primo de iure ſacrificiorum hæc ſunt:*

Itaque Ioui tauro, verre, ariete immolari non licet.

*Labeo vero ſexageſimo & octauo libro intulit niſi Neptuno, Apollini & Marti taurum non immolari. ecce pontifex tuus quid apud quas aras mactetur ignorat: cum vel aedituis hæc nota ſint, & veterum non tacuerit induſtria. Ad hæc Prætextatus renidens: Quibus deorum tauro immoletur, ſi vis cum Vergilio communicare, ipſe te docebit;*

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher
Apollo.

*vides in opere poëtæ verba Labeonis? igitur vt hoc docte, ita illud argute. nam oſtendit ideo non litatum; ideo ſecutum*

Horrendum dictu & viſu mirabile monſtrum.

*ergo*



*ergo reſpiciens ad futura hoſtiam contrariam fecit. ſed & nouerat hunc errorem non eſſe inexpiabilem. Atteius enim Capito, quem in acie contra Maronem locaſti, adiecit hæc verba:* Si quis forte tauro Ioui fecerit, piaculum dato. *committitur ergo res non quidem impianda, inſolita tamen. & committitur non ignorantia, ſed vt locum monſtro faceret ſecuturo.*

## CAPVT XI.

Quod Vergilius illo verſu primi Georgicon, *Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho*, ſignificauit, Cereri mulſo litandum eſſe. Tum quomodo & in primo & in octauo libro Aeneidos in menſam libari faciat, quum in aram tantum eſſet libandum.

SVBIECIT *Euangelus: Si euentu excuſantur, illicita: dic quæſo, quod erat monſtrum ſecuturum, & cum Cereri libari vino iuberet, quod omnibus ſacris vetatur?*

Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho.

*vinum autem Cereri non libari debuit illum vel Plautus docere: qui in Aulularia ait;*

Cererin' mi Strobile hi ſunt facturi nuptias?
Qui? quia temeti nihil allatum intelligo.

*at hic veſter flamen & pontifex & omnia tam quid immoletur quam quid libetur ignorat. &, ne non vbique in libando pari errore ſit deuius, in octauo ait:*

In menſam læti libant, diuoſque precantur:

*cum non in menſam ſed in aram ſecundum morem libare debuerint.*

*Vt prius tibi, Prætextatus inquit, de poſteriore quæſtione reſpondeam, fateor te non immerito de vſurpata in menſam libatione quæſiſſe; ampliuſque ſpeciem difficultatis auxeras, ſi magis Didonem in menſa ſimiliter libantem notaſſes:*

Dixit, & in menſam laticum libauit honorem.

X 4 *nam*

*nam & Tercius, cum de ritu ſacrorum multa diſſereret, ait ſibi hunc locum in quæſtione veniſſe: nec tamen hæſitationem ſuam requiſita ratione diſſoluit. ego autem quod mihi magiſtra lectione compertum eſt publicabo. In Papiriano enim iure euidenter relatum eſt aræ vicem præſtare poſſe menſam dicatam:* vt in templo, *inquit*, Iunonis Populoniæ auguſta menſa eſt. namque in fanis alia vaſorum ſunt & ſacræ ſupellectilis, alia ornamentorum. quæ vaſorum ſunt inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur. quarum rerum principem locum obtinet menſa, in qua epulæ libationeſque & ſtipes reponuntur. ornamenta vero ſunt, clypei, coronæ & cuiuſcemodi donaria. neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur. at vero menſa arulæque eodem die quo ædes ipſæ dedicari ſolent. vnde menſa hoc ritu dedicata in templo aræ vſum & religionem obtinet puluinaris. *Ergo apud Euandrum quidem fit iuſta libatio; quippe apud eam menſam, quæ cum ara maxima more vtique religionis fuerat dedicata, & in luco ſacrato, & inter ipſa ſacra in quibus epulabantur. in conuiuio vero Didonis, quod tantum regium conſtat non etiam ſacrum fuiſſe, apud humanam menſam, in triclinio non in templo, quia non erat religioſa ſed vſurpata libatio, ſolam fecit libaſſe reginam; in cuius perſona nulla obſeruationis neceſſitas, & multa ad vſurpandum in poteſtate permiſſio. At vero hic* ——— Omnes

In menſam læti libant, diuoſque precantur.

*quia quod recte fieri nouerat ab omnibus ſimul in templo epulantibus & vni ſacratæ aſſidentibus menſæ factum eſſe memorauit. de illo autem verſu;*

Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho,

*paucis quod male accuſatur abſoluam. poëta enim æque in rebus doctrinæ & in verbis ſectator elegantiæ ſciens Cereri mulſo libari adiecit*, miti Baccho fauos dilue: *ſcilicet miteſcere vinum dicens, cum mulſum cœperit fieri. nam ita hic mite vinum, dixit, vt alibi ait domitum:*

& durum Bacchi domitura ſaporem.

*notum autem eſſe non diffitebere, quod ad diem duodecimum Kalendas Ianuarias Herculi & Cereri faciunt ſue prægnate, Panibus mulſo.*

## CAP. XII.

Herculi cur Salios aſſignarit Vergilius: curque hos populeis ramis coronatos induxerit.

OPPORTVNE *mehercule, Prætextate, feciſti Herculis mentionem, in cuius ſacra hic veſter gemino errore commiſit:*

Tum Salij ad cantus incenſa altaria circum
Populeis adſunt euincti tempora ramis.

*nam & Salios Herculi dedit, quos tantum Marti dicauit antiquitas; & populeas coronas nominat, cum ad aram maximam ſola lauro capita & alia fronde non vinciant. videmus & in capite prætoris vrbani laureā coronam, cum rem diuinam Herculi facit. teſtatur etiam Terentius Varro in ea ſatira, quæ inſcribitur* περὶ κεραυνοῦ, *maiores ſolitos decimam Herculi vouere, nec decem dies intermittere, quin pollucerēt ac populum* ἀσύμβολον *cum corona laurea dimitterent cubitum. Hiccine eſt, Vettius ait, error geminus? at ego in neutro dico erraſſe Vergiliū. nam vt primum de frondis genere dicamus; conſtat quidem nunc lauro ſacrificantes apud aram maximam coronari. ſed multo poſt Romam conditam hæc conſuetudo ſumpſit exordium. poſtquam in Auentino lauretum cœpit virere. quam rem docet Varro humanarum libro ſecundo. E monte ergo proximo decerpta laurus ſumebatur operantibus, quam vicina offerebat occaſio. vnde recte Maro noſter ad ea tempora reſpexit quibus*

*Euander ante vrbem conditam apud aram maximam ſacra celebrabat, & vtebatur populo vtique Alcidæ gratiſſima. Salios autem Herculi vbertate doctrinæ altioris aſſignat: quia is deus & apud pontifices idem qui & Mars habetur. & ſane ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur,* Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς. *in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe ac Martem probauit. Chaldæi quoque ſtellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant. eſt præterea Octauij Herſennij liber, qui inſcribitur de ſacris ſaliaribus Tyburtium; in quo ſalios Herculi inſtitutos operari diebus certis & auſpicato docet. item Antonius Gnipho vir doctus, cuius ſcholam Cicero poſt laborem fori frequentabat, ſalios Herculi datos probat in eo volumine quo diſputat quid ſit* feſtra: *quod eſt oſtium minuſculum in ſacrario. quo verbo etiam Ennius vſus eſt. Idoneis, vt credo auctoribus certiſque rationibus, error qui putabatur, vterque defenſus eſt. Si qua ſunt alia quæ nos commouent, in medium proferamus: vt ipſa collatio noſtrum non Maronis abſoluat errorem.*

*Tunc Euangelus: Numquam ne tibi Prætextate venit in mentem toto, vt aiunt cælo erraſſe Vergilium, cum Dido ſua rem diuinam pro nuptiis faceret?*

Mactat *enim, inquit,* lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.

*& quaſi expergefactus adiecit;*

* Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

* Hinc vſq. ad Tertij huius libri finem, ex eodem ſcripto. Adi Notas.

*Tunc Seruius reſpondere rogatus, ait: Leges Ceres dicitur inueniſſe; nam & Sacra ipſius Themiſeria vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inuentum frumentum a Cerere, paſſim homines ſine lege vagabantur. quæ feritas interrupta eſt inuento vſu frumentorum, itaque ex agrorum diuiſione inuenta ſunt iura. Phœbus vero præeſt auſpiciis. Liæus vero id eſt, Liber, vrbibus libertatis eſt deus, vnde Marſias eius miniſter*



*niſter in ciuitatibus libertatis eſt indicium. Communis hoc habet ſenſus; quod Dido ſacrificabat numinibus quæ vrbi præſunt, quaſi nuptura pro reipublicæ vtilitate. Demum Iunoni, cui curæ ſunt nuptiæ. Eſt etiam ſenſus altior: Nam facturi aliquid ante aduerſos placamus deos, & ſic propitiis ſupplicamus, vt;* Nigram hiemi pecudem Zephyris felicibus albam. *Igitur ante placat Cererem nuptura quæ propter raptum filiæ nuptias execratur; & Apollinem, qui expers vxoris eſt; & Liberum, qui niſi raptam vxorem habere non potuit. Et ſic Iunonem conſiliauit noſter Seruius. Cum autem his dictis omnes applauſiſſent, placuit eis audire Euſebium quo noſter Vergilius tanquam rethor effulſit.*

FINIS LIBRI TERTII.

AVRE-

# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & *inluſtris*

## CONVIVIORVM QVARTI DIEI Saturnaliorum LIBER QVARTVS:

### CAP. I.

De affectu mouendo ex habitu perſonæ.

*Hæc item aduſque *Inuitus Regina* ex codẽ MS.

T*VNC *Euſebius taliter exorſus eſt: Rethores omnes orationibus patheticis ſtudere palam eſt, quales multas non erit difficile in Vergilio reperire. Nã Æneam apud inferos Didoni fugienti loquentem inducit:*

Inuitus Regina tuo de littore ceſſi,
Sed me iuſſa Deum imperiis egere ſuis.
Siſte gradum teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro.

*ſubiungit:*

Nec magis incepto vultum ſermone mouetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem corripuit ſe ſe, atque inimica refugit.

*item pathos eſt & in hoc verſu;*

Obſtipuit ſteteruntq. comæ & vox faucibus hæſit.

*ſed & tota Daretis fatigatio habitu depingitur:*

Aſt illum fidi æquales genua ægra trahentem
Quaſſantemq. vtroque caput, craſſumq. cruorem
Ore eiectantem.

*ſociorum quoque eius trepidationem breuiter oſtendit:*





Galeamque enſemque vocati
Accipiunt.

*quaſi non ſponte accepturi munus, quod erat damnum verecundiæ. ex eodem genere eſt illud:*

Totoque loquentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

*Eſt & in deſcriptione languoris habitus, vt eſt tota deſcriptio peſtilentiæ apud Thucydidem. &:*

Labitur infelix ſtudiorum atque immemor herbæ
Victor equus. *&:*
Demiſſæ aures, incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus.

*Eſt inter pathe & pudor, vt,*

Circa Deiphobum pauitantem & dira tegentem
Supplicia.

*& luctus habitu proditur: vt in Euryali matre;*

Expulſi manibus radij, reuolutaque penſa,
Euolat infelix.

*& Latinus, quia miratur,*

Defixa obtutu tenet ora.

*& Venus, quia rogatura erat,*

Triſtior & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes.

*& Sibylla quia inſanit;*

Subito non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ.

### CAP. II.

Pathos tenore ipſo orationis quomodo exprimatur.

N*VNC *videamus pathos quod tenore orationis exprimitur. Ac primum quæramus quid de tali oratione rhetorica arte præcipiatur. oportet enim vt oratio pathetica aut ad indignationem aut ad miſericordiam dirigatur;*

quæ a Græcis οἶκτος καὶ δείνωσις appellantur. horum alterum accuſatori neceſſarium eſt, alterum reo. & neceſſe eſt initium abruptum habeat; quoniam ſatis indignanti leniter incipere non conuenit. ideo apud Vergilium ſic incipit Iuno:

Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere? & alibi:
Mene incœpto deſiſtere victam?
& alibi:
Heu ſtirpem inuiſam & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum. & Dido:
Moriemur inultæ.
Sed moriamur ait. & eadem:
Pro Iupiter ibit
Hic ait. & Priamus:
At tibi pro ſcelere exclamat pro talibus auſis.

Nec initium ſolum tale eſſe debet ſed omnis ſi fieri poteſt oratio videri pathetica; & breuibus ſententiis ſed crebris figurarum mutationibus debet velut inter æſtus iracundiæ, fluctuare. vna ergo nobis Vergiliana oratio pro exemplo ſit:

Heu ſtirpem inuiſam.
initium ab ecphoneſi. deinde ſequuntur breues quæſtiunculæ:
Num Sigæis occumbere campis;
Num capti potuere capi? num incenſa cremauit
Troia viros?
deinde ſequitur hyperbole:
Medias acies, medioſque per ignes
Inuenere viam. deinde ironia:
At credo mea numina tandem
Feſſa iacent, odiis aut exſaturata quieui.
deinde auſus ſuos inefficaces queritur:
Per vndas
Auſa ſequi, & profugis toto me opponere ponto.
ſecunda poſt hæc hyperbole;

Abſumptæ



Abſumptæ in Teucros vires cælique mariſque.
inde diſperſa querela:
Quid Syrtes aut Scylla mihi quid vaſta Charybdis
Profuit?
iungitur deinde argumentum a minore, vt pathos augeatur:
Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit.
Minor ſcilicet perſona. ideo illud ſequitur;
Aſt ego magna Iouis coniunx.
deinde, cum cauſas quoque contuliſſet, quanto impetu dea dixit?
Infelix quæ memet in omnia verti.

nec dixit, non poſſum perdere Ænean, ſed, vincor ab Ænea. deinde confirmat ſe ad nocendum; &, quod proprium eſt iraſcentis, etſi deſperat perfici poſſe, tamen impedire contenta eſt:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.
Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis,
At trahere atque moras tantis licet addere rebus.
At licet amborum populos exſcindere regum.
poſt hæc in nouiſſimo, quod irati libenter faciunt, maledicit;
Sanguine Troiano & Rutulo dotabere virgo.
& protinus argumentum a ſimili conueniens ex præcedentibus: Nec face tantum
Cyſſæis prægnas ignes enixa iugales.

Vides quam ſæpe orationem mutauerit ac frequentibus figuris variauerit: quia ira quæ breuis furor eſt nō poteſt vnum continuare ſenſum in loquendo. Nec deſunt apud eundem orationes miſericordiam cōmouentes. Turnus ad Iuturnam:

An miſeri fratris letum vt crudele videres?
& idem cum auget inuidiam occiſorum pro ſe amicorum,
Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum.

& idem,

*& idem, cum miſerabilem fortunam ſuam faceret vt victo ſibi parceretur:*

Viciſti, & victum tendere palmas
Auſonij videre:

*id eſt, quos minime vellem. & aliorum preces orantium vitam:*

Per te, per qui te talem genuere parentes.

*& ſimilia.*

## CAP. III.

Pathos ab ætate, a fortuna, debilitate, loco, tempore.

NVNC *dicamus de habitu pathus, quod eſt vel in ætate vel in debilitate & ceteris quæ ſequuntur. eleganter hoc ſeruauit, vt ex omni ætate pathos miſericordia moueretur. ab infantia:*

Infantumque animæ flentes in limine primo.

*a pueritia:*

Infelix puer atque impar congreſſus Achilli.

*&:* —— Paruumque patri tendebat Iulum.

*Vt non minus miſerabile ſit periculum in paruo quam in filio. &:*

Supereſt coniunxne Creuſa?
Aſcaniuſque puer?

*& alibi:* —— & parui caſus Iuli.

*a iuuenta vero:*

Impoſitique rogis iuuenes ante ora parentum.

*a ſenecta:*

Dauni miſerere ſenectæ.

*&:* Ducitur infelix æuo confectus Aletes.

*&:* Caniciem multo deformat puluere.

*Mouit & a fortuna modo miſericordiam modo indignationem. miſericordiam;*

Tot



Tot quondam populis terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ. *& Sinon:*
Et nos aliquod nomenque decuſque
Geſſimus. *&:*
Auſoniiſque olim ditiſſimus aruis.

*indignationem vero ex verbis Didonis:*

& noſtris illuſerit aduena regnis.

*eleganter enim ex contemptu Æneæ auget iniuriam ſuam. & Amata;*

Exſulibus ne datur ducenda Lauinia Teucris?

*& Numanus,*

Bis capti Phryges.

*Mouit pathos miſericordiæ & ex debilitate:*

Ex quo me diuum pater atque hominum rex
Fulminis afflauit ventis, & contigit igne.

*& alibi:*

Et truncas inhoneſto vulnere nares.

*& de Mezentio:*

Attollit in ægrum
Se femur. *&:*
Huc caput atque illuc humero ex vtroq. pependit.

*&:* aterque cruento
Puluere, perque pedes traiectus lora tumentes.

*Mouit pathos miſericordiæ frequenter & à loco:*

Cum vitam in ſiluis inter deſerta ferarum
Luſtra domoſque traho. *&:*
Lybiæ deſerta peragro. *&:*
At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros,
Pars Scythiã & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

*& illud egregie & breuiter:*

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Iliacos, *id eſt, patriæ muros, quos ipſe defenderat, pro quibus efficaciter per decem annorũ ſpatia pugnauerat. & illud,*



Nos

Nos patriam fugimus. *&*:

Litora cum patriæ lacrymans portuſque relinquo.

*&*:

Dulces moriens reminiſcitur Argos. *&*:

Ignarum Laurens habet ora Mimanta,

Lyrneſi domus alta ſolo Laurente ſepulchrum.

*&, vt Agamemnonem indigne oſtenderet occiſum, aſſumpſit locum:*

Prima inter limina dextra

Oppetijt. *& illud:*

Mœnibus in patriis atque inter tuta domorum.

*Sacer vero locus præcipue pathos mouet. Occiſum inducit Orphea, & miſerabiliorem interitum eius a loco facit:*

Inter ſacra deum nocturnique orgia Bacchi.

*& in euerſione Troiæ;*

Perque domos & relligioſa deorum

Limina.

*Caſſandra quoque raptum vel deminutionem quam miſerabilem fecit ſacer locus?*

Ecce trahebatur a templo adytiſque Mineruæ.

*& alibi:*

Diuæ armipotentis ad aram

Procubuit.

*& Andromache, cum de Pyrrhi nece diceret, vt inuidiam occidentis exprimeret:*

Excipit incautum patriaſque obtruncat ad aras.

*& Venus, quod Æneas in mari vexatur ira Iunonis, quam inuidioſe queritur Neptuno de loco?*

In regnis hoc auſa tuis?

*Fecit ſibi pathos & ex tempore:*

priuſquam

Pabula guſtaſſent Troiæ Xantumque bibiſſent.

*& Orpheus miſerabilis ex longo dolore,*

Septem



Septem illum totos perhibent ex ordine menſes.

*& Palinurus:*

Vix lumine quarto

Proſpexi Italiam.

*& Achemenides:*

Tertia iam lunæ ſe cornua lumine complent. *&*:

Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur æſtas.

## CAP. IIII.

Pathos a cauſa, modo, & materia.

FREQVENS *apud illum pathos a cauſa. reuera enim plerumque conficit cauſa, vt res aut atrox aut miſerabilis videatur. vt Cicero in Verrem:* Quo ob ſepulturam in carcere necatorum a parentibus rogabatur. *hic enim non tam rogari aut pecuniam exigere quam ob hanc cauſam indignum erat. & Demoſthenes cum queritur quendam a Midia circumuentum ex cauſa auget inuidiam.* Circumuenit, *inquit*, arbitrum, qui inter me atque ſe integre iudicauerat. *ergo & Vergilius egregie ſæpe ex hoc loco traxit affectum.* Occiditur, *inquit*, in acie Galeſus. *hoc per ſe non eſt dignum miſericordia belli tempore; ſed admonit cauſam;*

Dum paci medium ſe offert.

*Idem alio loco,*

Sternitur infelix.

*deinde ſubiicit cauſam miſerabilem;*

alieno vulnere:

*id eſt, cum in alium telum eſſet emiſſum. & cum Palamedem indigne occiſum vellet;*

Quem falſa ſub proditione Pelaſgi

Inſontem infando indicio, quia bella vetabat,

Demiſere neci.

*& Æneas, vt oſtenderet magnitudinem timoris ſui, bene cauſam poſuit:*

& pariter comitique onerique timentem

*quid Iapix, vt contemptis artificiis inglorius, quemadmodum poeta ait, viueret, qualis cauſa proponitur?*

Ille vt depoſiti proferret fata parentis.

*Ex eodem genere eſt:*

Fallit te incautum pietas tua.

*hæc enim cauſa illum hoſtibus etiam ſic miſerabilem fecit. ſed & Æneas cum hortatur vt ſepeliantur occiſi quam cauſam proponit?*

Qui ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo.

*Nec non & indignatio demonſtratur a cauſa: vt illic;*

Multa gemens, ignominiam plagaſque ſuperbi
Victoris, tum quos amiſit inultus amores.

*& illud a cauſa eſt ex affectu indignantis,*

An ſolos tangit Atridas
Iſte dolor? ſoliſque licet capere arma Mycænis?

*& illud:* At tu dictis Albane maneres.

*& illa omnia:*

Vendidit hic auro patriam.
Quique ob adulterium cæſi.
Nec partem poſuere ſuis.

*Ad pathos mouendum nec duos illos prætermiſit locos, quos rhetores appellant a modo & a materia. modus eſt cum dico,* occidit manifeſte vel occulte. *Materia eſt cum dico,* ferro an veneno. ***Demoſthenes de modo inuidiam Midiæ facit, ſe pulſatum cothurno; Cicero Verri, cum nudum quendam dicit ab eo ſtatuæ impoſitum. Vergilius non minus euidenter;***

Altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati.

*&:*



*&:* capulo tenus abdidit enſem

*& illa omnia a modo ſunt:*

Roſtroque immanis vultur adunco
Immortale iecur tondens. *& reliqua.*

*&:*

Quos ſuper atra ſilex iamiam lapſura cadentique,
Imminet aſſimilis.

*Sed & miſericordiam a modo ſæpe commouet: vt de Orpheo;*

Latos iuuenem ſparſere per agros.

*& illud:*

Obruit auſter aqua inuoluens nauemq. viroſque.

*&:* Saxum ingens voluunt alij.

*&:* Mortua quin etiam iungebat corpora viuis.

*& in Georgicis:*

Nec via mortis erat ſimplex.

*& cetera in deſcriptione morbi. Sed & materia apud rhetores pathos mouet; vt dum queritur Cicero flammam ex lignis viridibus factam, atque ibi incluſum fumo necatum. hoc enim a materia eſt, quoniam hic vſus eſt fumo materia ad occidendum, vt alius gladio, alius veneno. & ideo acerrimum pathos ex hoc motum eſt. idem facit & cum flagellis cæſum queritur ciuem Romanum. inuenies idem apud Verg.*

At pater omnipotens denſa inter nubila telum
Contorſit, non ille faces nec fumea tædis.

*& reliqua. eleganter autem illius quidem materiam eluſit; ex huius autem vera & vehementi materia expreſſit iracundiam. & ſingula quidem enumerauimus, ex quibus apud rhetoras pathos naſcitur, quibus oſtendimus vſum Maronem. ſed nonnunquam Vergilius in vna re ad augendum pathos duobus aut pluribus locis coniunctis vtitur: vt in Turno ab ætate;*

Miſerere parentis
Longæui.

*A loco:*

Quem nunc mœſtum patria Ardea longe
Diuidit.

*& circa Caſſandram ex modo:*

Ecce trahebatur

*ex habitu corporis:*

Paſſis Priameia virgo
Crinibus,

*ex loco:*

A templo adytiſque Mineruæ.

*& circa Agamemnonem a patria,*

Ipſe Mycenæus.

*a fortuna:*

Magnorum ductor Achiuum,

*a neceſſitudine:*

Coniugis infandum.

*a loco:* Prima inter limina dextra.

*a cauſſa:* poſſedit adulter.

*Tacite quoque & quaſi per definitionem pathos mouere ſolet, cum res quæ miſerationem mouet non dilucide dicitur, ſed datur intelligi: vt cum Mezentius dicit,*

Nunc alte vulnus adactum.

*quid enim aliud ex hoc intelligendum eſt, quam hoc altum vulnus eſſe amittere filium? & rurſus idem;*

Hæc via ſola fuit qua perdere poſſes.

*ſed & hic ſcilicet accipiendum eſt perire eſſe amittere filium. & Iuturna cum queritur quod adiuuare fratrem prohibeatur;*

Immortalis ego.

*quid enim ſequitur? non eſt immortalitas in luctu viuere. Hæc, vt dixi, vim definitionis habent & a poëta eleganter introducta ſunt.*

CAP.



## CAPVT V.

Pathos a ſimili.

SVNT *in arte rhetorica ad pathos mouendum etiam hi loci, qui dicuntur circa rem, & mouendis affectibus peropportuni ſunt. ex quibus primus eſt a ſimili. huius ſpecies ſunt tres, exemplum, parabola, imago; Græce παράδειγμα, παραβολή, εἰκών. ab exemplo, Vergilius:*

Si potuit manes accerſere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara fidibuſque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit.
Quid Theſea? magnum
Quid memorem Alciden?
Antenor potuit mediis elapſus Achiuis.

*hæc enim omnia miſericordiam mouent; quoniam indignum videtur negari ſibi, quod aliis indultum ſit. deinde vide vnde auget inuidiam:*

Si potuit manes accerſere coniugis Orpheus. *habes cauſam diſparem* manes *illic* coniugis, *hic* patris; *illic* accerſere, *hic* videre.

Threicia fretus cithara,

*hic materiam eius irriſit:*

Si fratrem Pollux alterna morte redemit;
Itque reditque viam totiens.

*hoc iam a modo. plus eſt enim ſæpe ire quam ſemel.*

Quid Theſea? magnum
Quid memorem Alciden?

*hic propter egregias perſonas non habuit quod minueret, atque augeret; verum quod in illis elucebat; hoc ſibi iactat cum his eſſe commune:*

Et mi genus ab Ioue ſummo.

*ſimile eſt & illud ab indignatione; Quid enim? ait Iuno:*

Pallas ne exurere claſſem Argiuum?



iam

*tam hoc plus eſt, claſſem victricem quam reliquias fugientium. Deinde cauſam minuit;*

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.

*quam minuit, vt* noxam *diceret, quod leuis culpa nomen eſt; &* vnius, *quod facile poſſit ignoſci; &* furentis, *vt nec culpa ſit. & alibi:*

Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit.

*vides eaſdem obſeruationes,* gentem *&* immanem. *deinde aliud exemplum:* Conceſſit in aras
Ipſe deum antiquam genitor Calydona Dianæ.

antiquam; *vt plus honoris accederet ex vetuſtate. deinde in vtroque cauſam minuit:*

Quod ſcelus aut Lapithis tantum aut Calydone merente?

*a parabola vero, quoniam magis hoc poetæ conuenit, ſæpiſſime pathos mouet; cum aut miſerabilem aut iracundum vellet inducere. miſerabilem ſic:*

Qualis populea mœrens philomela ſub vmbra.
Qualis commotis excita ſacris
Thyas.
Qualem virgineo demeſſum pollice florem.

*& aliæ plurimæ patheticæ parabolæ, in quibus miſeratus eſt. quid de ira?*

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili
Dum fremit ad caulas. *&:*
Mugitus veluti fugit cum ſaucius aram
Taurus.

*& alia plura ſimilia qui quærit inueniet. Et imago; quæ eſt a ſimili pars tertia, idonea eſt mouendis affectibus. ea fit, cum aut forma corporis abſentis deſcribitur aut omnino quæ nulla eſt fingitur. vtrumque Vergilius eleganter fecit. illud prius circa Aſcanium:*

O mihi



O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago,
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

*fingit vero cum dicit:*

quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrātibus inguina monſtris.

*ſed prior forma oectum præſtat, hæc dinoſin; id eſt, prior miſericordiam commouet, horrorem ſecunda. ſicut alibi:*

Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

*& omnia illa quæ de forma dixit. Sed & illud nimium pathetice:*

Furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus aenis
Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.

## CAP. VI.

Pathos a maiori & minori.

DIXIMVS *a ſimili: nunc dicamus a minore pathos a poeta poſitum. Nempe cum aliquid proponitur quod per ſe magnum ſit, deinde minus eſſe oſtenditur quam illud quod volumus augeri, ſine dubio infinita miſeratio mouetur. Vt eſt illud:*

O felix vna ante alias Priameia virgo
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori.

*primum quod ait* felix; *comparationem ſui fecit: deinde poſuit a loco;* Hoſtilem ad tumulum. *& a modo, quod non minus acerbum eſt,* Iuſſa mori. *Sic ergo hæc accipienda ſunt; quamuis hoſtilem ad tumulum, quamuis iuſſa mori; felicior tamen quam ego, quia* ſortitus non pertulit vllos. *ſimile eſt & illud:*

O terque quaterque beati.

*& quod de Paſiphaë dicit:*

 Prætides

Prœtides implerunt falſis mugitibus agros.

*deinde, vt minus hoc eſſe monſtraret;*

At non tam turpes pecudum tamen vlla ſecuta eſt
Concubitus.

*Quid illud? nonne vehementer patheticum eſt a minore?*

Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.

*quid hic intelligimus, niſi omnia quæ paſſus erat minora illi viſa quam patris mortem? A maiore negauerunt quidam rem augeri poſſe. ſed eleganter hoc circa Didonem Vergilius induxit:*

Non aliter quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Karthago, aut antiqua Tyros.

*dixit enim non minorem luctum fuiſſe ex vnius morte, quam ſi tota vrbs, quod ſine dubio eſſet maius, ruiſſet. & Homerus idem fecit:*

ὡς εἰ ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ᾽ ἄκρας.

*Eſt apud oratores & ille locus idoneus ad pathos mouendum, qui dicitur,* præter ſpem. *hunc Vergilius frequenter exercuit:*

Nos tua progenies cæli quibus annuis arcem.

*& cetera. & Dido:*

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem;
Et perferre ſoror potero.

*Æneas de Euandro:*

Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Fors & vota facit. *& illud:*

Aduena noſtri,
Quod nunquam veriti ſumus vt poſſeſſor agelli
Diceret, hæc mea ſunt: veteres migrate coloni.

*Inuenio tamen poſſe aliquem ex eo, quod iam ſperauerit, mouere pathos, vt Euander;*

Haud



Haud ignarus eram quantum noua gloria in armis,
Et prædulce decus.

*Oratores* ὁμοιοπάθειαν *vocant, quotiens de ſimilitudine paſſionis pathos naſcitur, vt apud Vergilium;*

Fuit & tibi talis
Anchiſes genitor.

*&:* Patriæ ſtrinxit pietatis imago.

*&:* Subiit cari genitoris imago.

*& Dido:*

Me quoque per multos ſimilis fortuna labores.

*Eſt & ille locus ad permouendum pathos, in quo ſermo dirigitur vel ad inanimalia vel ad muta. quo loco oratores frequenter vtuntur. vtrumque Vergilius bene pathetice tractauit: vel cum ait Dido;*

Dulces exuuiæ dum fata deuſque ſinebant.

*vel cum Turnus:*

Tuque optima ferrum
Terra tene. *& idem alibi:*

Nunc o nunquam fruſtrata vocatus
Haſta meos.

Rhebe diu, res ſi qua diu mortalibus vlla eſt,
Viximus.

*Facit apud oratores pathos etiam addubitatio, quam Græci* ἀπόρησιν *vocant. eſt enim vel dolentis vel iraſcentis dubitare quid agas.*

En quid ago? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar?

*& illud de Orpheo*

Quid faceret? quo ſe rapta bis coniuge ferret?

*& de Niſo:*

Quid faciat? qua vi iuuenem, quibus audeat armis
Eripere?

*& Anna permouetur:*

Quid

Quid primũ deſerta querar? comitemne ſororem?

*Et atteſtatio rei viſa apud rhetores pathos mouet. hoc Vergilius ſic exſequitur,*

Ipſe caput niuei fultum Pallantis & ora
Vt vidit, leuique patens in pectore vulnus.

*& illud:* Impleuitque ſinus ſanguis.
*&:* moriensque ſuo ſe in ſanguine verſat.
*&:* Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.
*&:* Ora virum triſti pendebant pallida tabo.
*&:* Voluitur Euryalus leto, pulchroſque per artus
It cruor. *&:*
Vidi egomet duo de numero cum corpora noſtro.

*Facit hyperbole, id eſt, nimietas, pathos, per quam exprimitur ira vel miſericordia. ira, vt cum forte dicimus:* millies ille perire debuerat. *quod eſt apud Vergilium:*

Omnes per mortes animam ſontem ipſe dediſſem.

*miſeratio, cum dicit:*

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum.

*Naſcitur præter hæc de nimietate vel amatorium vel alterius generis pathos.*

Si mihi non hæc lux toto iam longior anno eſt.

*& illud ſeorſum:*

Maria ante exurere Turno
Quam ſacras dabitur pinus.

*&:* Non ſi tellurem effundat in vndas.

*Exclamatio, quæ apud Græcos ἐκφώνησις dicitur, mouet pathos. hæc fit interdum ex perſona poetæ, nonnunquam ex ipſius quem inducit loquẽtem. ex perſona quidem poëtæ eſt:*

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.
Infelix, vtcunque ferent ea fata nepotes.
Crimen amor veſtrum.

*& alia ſimilia. ex perſona vero alterius:*

Di capiti



Di capiti ipſius generique reſeruent.
*&:* Di talia Graiis
Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco.
*&:* Di talem terris auertite peſtem.

*Contraria huic figura ἀποσιώπησις, quod eſt taciturnitas. nam vt illic aliqua exclamando dicimus; ita hic aliqua tacendo ſubducimus, quæ tamen intelligere poſſit auditor. hoc autem præcipue iraſcentibus conuenit. vt Neptunus:*

Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.

*Et Mneſtheus:* Nec vincere certo.
Quanquam o. Sed ſuperent, quibus hoc Neptune dediſti. *& Turnus:*
Quanquam o ſi ſolitæ quicquam virtutis adeſſet.

*& in Bucolicis:*

Nouimus & qui te tranſuerſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles nymphæ riſere, ſacello.

*Sed & miſeratio ex hac figura mota eſt a Sinone;*

Donec Calchante miniſtro.
Sed quid ego hæc autẽ nequiquã ingrata reuoluo?

*Naſcitur pathos & de repetitione, quam Græci ἐπαναφορὰν vocant, cum ſententiæ ab iſdem nominibus incipiunt. hinc Vergilius:*

Eurydicen vox ipſa & frigida lingua
A' miſeram Eurydicen anima fugiente vocabat.
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

*& illud:*

Te dulcis coniunx, te ſolo in litore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat. *& illud:*
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus.

*Ἐπιτίμησις, quæ eſt obiurgatio, habet & ipſa pathos: id eſt, cum obiecta iſdem verbis refutamus:*

Æneas ignarus abeſt, ignarus & abſit.

AVRE-

# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & inluſtris Saturnaliorum

## LIBER QVINTVS.

### CAP. I.

Si non aliis, hoc certe præferendum eſſe Ciceroni Vergilium, quod ille in vno tantum, hic omnibus dicendi generibus excelluerit. De quatuor generibus dicendi, deque duplici ſtylo.

POST *hæc cum pauliſper Euſebius quieuiſſet; omnes inter ſe conſono murmure, Vergilium non minus oratorem quam poetam habendum pronuntiabant; in quo & tanta orandi diſciplina, & tam diligens obſeruatio rhetoricæ artis oſtenderetur. Et Auienus, Dicas mihi, inquit, volo, doctorum optime, ſi concedimus, ſicuti neceſſe eſt oratorem fuiſſe Vergilium, ſi quis nunc velit orandi artem conſequi, vtrum magis ex Vergilio an ex Cicerone proficiat? Video quid agas, inquit Euſebius, quid intendas, quo me trahere coneris, eo ſcilicet quo minime volo, ad comparationem Maronis & Tullij. verecunde enim interrogaſti vter eorum præſtantior, quandoquidem neceſſario is plurimum collaturus ſit, qui ipſe plurimum præſtat. ſed iſtam mihi neceſſitatem altam & profundam remittas volo: quia non noſtrum inter illos tantas componere lites. nec auſim in vtramuis partem talis*

*ſententiæ*



*ſententiæ auctor videri. hoc ſolum audebo dixiſſe, quia facundia Mantuani multiplex & multiformis eſt & dicendi genus omne complectitur. ecce enim in Cicerone veſtro vnus eloquentiæ tenor eſt ille abundans & torrens & copioſus. oratorum autem non ſimplex nec vna natura eſt; ſed hic fluit & redundat; contra ille breuiter & circumciſe dicere affectat; tenuis quidam & ſiccus & ſobrius amat quandam dicendi frugalitatem; alius pingui & luculenta & florida oratione laſciuit. In qua tanta omnium diſſimilitudine vnus omnino Vergilius inuenitur, qui eloquentiam ex omni genere conflauerit. Reſpondit Auienus: Apertius vellem me has diuerſitates ſub perſonarum exemplis doceres. Quatuor ſunt, inquit Euſebius, genera dicendi: copioſum; in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salluſtius regnat: ſiccum; quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum; in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur. Sed apud vnum Maronem hæc quatuor genera reperies. Vis audire illum tanta breuitate dicentem, vt artari magis & contrahi breuitas ipſa non poſſit?*

Et campos vbi Troia fuit.

*ecce pauciſſimis verbis maximam ciuitatem hauſit & abſorpſit: non reliquit illi nec ruinam. vis hoc ipſum copioſiſſime dicat?*

Venit ſumma dies & ineluctabile fatum
Dardanidæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit. incenſa Danai dominantur in vrbe.
O patria! o diuum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum!
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

*Quis*

*Quis fons quis torrens quod mare tot fluctibus, quot hic verbis inundauit? Cedo nunc ſiccum illud genus elocutionis:*

Turnus vt anteuolans tardum præceſſerat agmen
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi
Improuiſus adeſt; maculis quem Thracius albis
Portat equus, criſtaque tegit galea aurea rubra.

*hoc idem quo cultu, quam florida oratione, cum libuerit, profertur?*

Forte ſacer Cybelæ Choreus olimque ſacerdos
Inſignis, longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemq. agitabat equum; quem pellis aënis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus & oſtro
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu,
Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.

*ſed hæc quidem inter ſe ſeperata ſunt. Vis autem videre quemadmodum hæc quatuor genera dicendi Vergilius ipſe permiſceat, & faciat vnum quoddam ex omni diuerſitate pulcherrimum temperamentum?*

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atq. leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis.
Siue inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt; ſiue illis omne per ignem
Excoquitur vitium; atque exſudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat qua ſuccus in herbas:
Seu durat magis & venas adſtringit hiantes,
Ne tenues pluuiæ rapidiue potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

*Ecce dicendi genus quod nuſquam alibi deprehendes, in quo nec præceps breuitas, nec infrunita copia, nec ieiuna ſiccitas, nec lætitia pinguis.*

*Sunt præterea ſtyli dicendi duo diſpari moralitate diuerſi.*





*vnus eſt maturus & grauis; qualis Craſſo aſſignatur. hoc Vergilius vtitur, cum Latinus præcipit Turno;*

O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere,

*& reliqua.*

*alter huic contrarius, ardens, & erectus, & infenſus; qualis eſt vſus Antonius. Nec hunc apud Vergilium fruſtra deſideraueris.*

Haud talia dudum
Dicta dabas. morere; & fratrem ne deſere frater.

*Videſne eloquentiam omni varietate diſtinctam? quam quidem mihi videtur Vergilius non ſine quodam præſagio quo ſe omnium profectibus præparabat de induſtria ſua permiſcuiſſe; idque non mortali ſed diuino ingenio prænidiſſe; atque adeo non alium ducem ſecutus, quam ipſam rerum omnium matrem naturam, hanc prætexuit velut in muſica concordiam ſonorum. Quippe ſi mundum ipſum diligenter inſpicias, magnam ſimilitudinem diuini illius, & huius poetici operis inuenies. Nam qualiter eloquentia Maronis ad omnium mores integra eſt, nunc breuis, nunc copioſa, nunc ſicca, nunc florida, nunc ſimul omnia, interdum lenis aut torrens: ſic terra ipſa, hic læta ſegetibus & pratis, ibi ſiluis & rupibus hiſpida, hic ſicca arenis, hic irrigua fontibus, pars vaſto aperitur mari. Ignoſcite, nec nimium me vocetis, qui naturæ rerum Vergilium comparaui. Intra ipſum enim mihi viſum eſt, ſi dicerem decem rhetorum, qui apud Athenas Atticas floruerunt, ſtylos inter ſe diuerſos hunc vnum permiſcuiſſe.*

## CAP. II.

Quæ Vergilius traxerit a Græcis: quodque tota Æneis effigiata ſit ad exemplar Iliadis atque Odyſſeæ Homericæ.

TVNC *Euangelus irridenti ſimilis, Bene, inquit, opifici deo a rure Mantuano poëtam comparas; quem Græcos rhetoras, quorum feciſti mentionem, nec omnino legiſſe aſſeuerauerim. vnde enim Veneto, ruſticis parentibus nato, inter ſiluas & frutices educto vel leuis Græcarum notitia litterarum?*

*Et Euſtathius, Caue, inquit, Euangele, Græcorum quemquam vel de ſummis auctoribus tantam Græcæ doctrinæ hauſiſſe copiam credas, quantam ſollertia Maronis vel aſſecuta eſt, vel in ſuo opere digeſſit. nam præter philoſophiæ & aſtronomiæ amplam illam copiam, de qua ſupra diſſeruimus, non parua ſunt alia quæ traxit a Græcis, & carmini ſuo tanquam illic nata inſeruit.*

*Et Prætextatus: Oratus ſis, inquit, Euſtathi, vt hæc quoque communicata nobiſcum velis, quantum memoria repente incitata ſuffecerit. Omnes Prætextatum ſecuti ad diſſerendum Euſtathium prouocauerunt. ille ſic incipit: Dicturumne me putatis ea quæ vulgo nota ſunt? quod Theocritum ſibi fecerit paſtoralis operis authorem, ruralis Heſiodum? & quod in ipſis Georgicis tempeſtatis ſerenitatiſque ſigna de Arati phænomenis traxerit? vel quod euerſionem Troiæ, cum Sinone ſuo & equo ligneo cæteriſque omnibus quæ librum ſecundum faciunt, a Piſandro pæne ad verbum transſcripſerit? qui inter Græcos poetas eminet opere, quod a nuptiis Iouis & Iunonis incipiens, vniuerſas hiſtorias quæ mediis omnibus ſeculis vſque ad ætatem ipſius Piſandri contigerunt, in vnam ſeriem coactas redegerit, & vnum ex diuerſis hiatibus temporum corpus effecerit? in quo opere inter hiſtorias cæteras interitus quoque Troiæ in hunc modum*





*relatus eſt. Quæ fideliter Maro interpretando fabricatus eſt ſibi Iliacæ vrbis ruinam. Sed & hæc & talia vt pueris decantata prætereo. Iam vero Æneis ipſa, nonne ab Homero ſibi mutuata eſt errorem primum ex Odyſſea, deinde ex Iliade pugnas? quia operis ordinem neceſſario rerum ordo mutauit, cum apud Homerum prius Iliacum bellum geſtum ſit, deinde reuertenti de Troia error contigerit Vlyſſi: apud Maronem vero Æneæ nauigatio, bella quæ poſtea in Italia ſunt geſta, præceſſerit. Rurſus, Homerus in primo cum vellet iniquum Græcis Apollinem facere, cauſam ſtruxit de ſacerdotis iniuria. Hic vt Troianis Iunonem faceret infeſtam, cauſarum ſibi congeriem comparauit. Nec illud cum cura magna relaturus ſum, licet (vt exiſtimo) non omnibus obſeruatum, quod cum primo verſu promiſiſſet producturum ſeſe de Troiæ littoribus Æneam:*

Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lauinaque venit
Littora.

*Vbi ad ianuam narrandi venit, Æneæ claſſem non de Troia, ſed de Sicilia producit:*

Vix e conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti.

*Quod totum Homericis filis texuit. Ille enim vitans in poemate hiſtoricorum ſimilitudinem, quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem vſque perducere: ipſe poetica diſciplina a rerum medio cæpit, & ad initium poſt reuerſus eſt. Ergo Vlyſſis errorem non incipit a Troiano littore deſcribere, ſed facit eum primo nauigantem de inſula Calypſonis, & ex perſona ſua perducit ad Phæacas. Illic in conuiuio Alcinoi regis narrat ipſe quemadmodũ de Troia ad Calypſonem vſq. peruenerit. Poſt Phæacas rurſus Vlyſſis nauigationem vſque ad Ithacam ex perſona propria poeta deſcribit. Quem ſecutus Maro, Æneam*

*de Sicilia producit, cuius nauigationem deſcribendo perducit ad Libyam. Illic in conuiuio Didonis narrat ipſe Æneas vſque ad Siciliam de Troia nauigationem ſuam: & addidit vno verſu, quod copioſe poeta deſcripſerat:*

Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.

*Poſt Africam quoque rurſus poeta ex perſona ſua iter claſſis vſque ad ipſam deſcribit Italiam:*

Interea medium Æneas iam claſſe tenebat
Certus iter.

*Quid quod & omne opus Vergilianum velut de quodam Homerici operis ſpeculo formatum eſt? Nam & tempeſtas mira imitatione deſcripta eſt. Verſus vtriuſque qui velet conferat. vt Venus in Nauſicaæ locum Alcinoi filiæ ſucceſſit, ipſa autem Dido refert ſpeciem regis Alcinoi conuiuium celebrantis. Scylla quoque & Charybdis, & Circe decenter attingitur; & pro Solis armentis Strophades inſulæ finguntur. at pro conſultatione inferorum deſcenſus ad eos cum comitatu ſacerdotis inducitur. ibi Palinurus Epenori, ſed & infeſto Aiaci infeſta Dido, & Tireſiæ conſiliis Anchiſæ monita reſpondent. Iam prælia Iliadis & vulnerum non ſine diſciplinæ perfectione deſcriptio & enumeratio auxiliorum duplex & fabricatio armorum & ludicri certaminis varietas ictumque inter reges & ruptum fœdus & ſpeculatio nocturna & legatio reportans a Diomede repulſam Achillis exemplo, & ſuper Pallante vt Patroclo lamentatio, & altercatio vt Achillis & Agamemnonis, ita Drancis & Turni (vtrobique enim alter ſuum alter publicum commodum cogitabat) pugna ſingularis Æneæ atque Turni vt Achillis & Hectoris, & captiui inferis deſtinati vt illic Patrocli, hic Pallantis,*

Sulmone creatos
Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens





Viuentes rapit inferias quos immolet vmbris.

*Quid? quod pro Lycaone Homerico (qui inter fugientes deprehenſus non mirum ſi ad preces confugerat, nec tamen Achilles propter occiſi Patrocli dolorem pepercit) ſimili conditione Magus in medio tumultu ſubornatus eſt?*

Inde Mago procul infeſtam contenderat haſtam.

*& cum ille genua amplectẽs ſupplex vitã petiſſet; reſpondit:*

Belli commercia Turnus
Suſtulit iſta prior iam tum Pallante perempto.

*ſed & inſultatio Achillis in ipſum Lycaonem iam peremptum in Tarquitium a Marone transfertur. ille ait:*

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς
Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες. οὐδέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος
Οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον, &c.

*at hic veſter:*

Iſtic nunc metuende iace. *& reliqua.*

## CAP. III.

De diuerſis Vergilij locis ex Homero traductis.

*Et ſi vultis me & ipſos proferre verſus ad verbum pæne tranſlatos, licet omnes præſens memoria non ſuggerat: tamen qui ſe dederint obuios annotabo.*

Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον.

*totam rem quanto compendio lingua ditior explicauit? veſter, licet periodo vſus, idem tamen dixit:*

Adduxit longe, donec curuata coirent
Inter ſe capita, & manibus iam tangeret æquis
Læua aciem ferri, dextro neruoque papillam.

*ille ait:*

οὐδέ τις ἄλλη
Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα.

Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων
Νηὸς ὕπερ γλαφυρῆς· ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς.

Nec iam amplius vlla
Apparet tellus, cælum vndique & vndique pontus.

Πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἶσον
Κυρτωθέν.

Curuata in montis faciem circumſtetit vnda.

*& de tartaro ille ait:*

Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Bis patet in præceps tantum tenditq. ſub vmbras,
Quantus ad æthereum cæli ſuſpectus olympum.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

Poſtquam exempta fames, & amor conpreſſus
edendi.

Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς.
Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.
Νηῶν μέν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε
Δῶκε, σόον δ' ἀνένευσε μάχης ἐξαπονέεσθαι.

Audiit, & Phœbus voti ſuccedere partem
Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

*& alibi ille ait:*

Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ.
Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.

*& alibi.*

*hic de duobus vnum fabricatus eſt.*

Extemplo Æneæ ſoluuntur frigore membra.

Πότνι' Ἀθηναίη, ἐρυσίπτολι, δῖα θεάων,
Ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος, ἠδὲ καὶ αὐτὸν
Πρηνέα δὸς πεσέειν Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων.





Armipotens præſes belli Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygij prædonis, & ipſum
Pronum ſterne ſolo, portiſque effunde ſub ipſis.

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

*ille de ſomno ait:*

Καὶ τῷ νήδυμος ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε
Νήγρετος ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.

*hic poſuit:*

Dulcis & alta quies placidæque ſimillima morti.

Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι,
Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπεὶ δὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιόν· νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται.

Vt ſceptrũ hoc (dextra ſceptrũ nam forte gerebat)
Numquã frõde leui fundet virgulta neq. vmbram,
Cum ſemel in ſiluis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro,
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Incluſit, patribuſque dedit geſtare Latinis.

*Sed iam ſi videtur a collatione verſuum tranſlatorum faceſſo; vt nec vniformis narratio pariat ex ſatietate faſtidium, & ſermo ad alia non minus præſenti cauſæ apta vertatur. Perge quæſo, inquit Auienus, omnia quæ Homero ſubtraxit inueſtigare. quid enim ſuauius quam duos præcipuos vates audire idem loquentes? quia cum tria hæc ex æquo impoßibilia iudicentur vel Ioui fulmen vel Herculi clauam vel verſum Homero ſubtrahere (quod, etſi fieri poſſent, alium tamen nullum deceret vel fulmen præter Iouem*

*iacere, vel certare præter Herculem robore, vel canere quod cecinit Homerus) hic oportune in opus ſuum quæ prior vates dixerat transferendo fecit vt ſua eſſe credantur. ergo pro voto omnium feceris ſi cum hoc cœtu communicata velis quæcunque a veſtro noſter poeta mutuatus eſt. Cedo igitur, Euſtathius ait, Vergilianum volumen: quia locos eius ſingulos inſpiciens Homericorũ verſuum promptius admonebor. cumque Symmachi iuſſu famulus de bibliotheca petitum librum detuliſſet, temere voluit Euſtathius vt verſus, quos fors obtuliſſet, inſpiceret. &, Videte, inquit, portum ad ciuitatem Didonis ex Ithaca migrantem:*

Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum
Efficit obiectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes geminiq. minantur
In cælum ſcopuli; quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent. tum ſiluis ſcena coruſcis
Deſuper horrentiq. atrũ nemus imminet vmbra,
Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum,
Intus aquæ dulces viuoque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus. hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent: vnco non alligat anchora morſu.

Φόρκυνος δέ τίς ἐστι λιμὴν ἁλίοιο γέροντος,
Ἐν δήμῳ Ἰθάκης, δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ
Ἀκταὶ ἀπορρῶγες λιμένος ποτιπεπτηυῖαι,
Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα
Ἔκτοθεν· ἔντοθεν δ' ἄνευ δεσμοῖο μένουσι
Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.
Αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη.
Ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον ἠεροειδὲς
Ἱρὸν νυμφάων, αἳ νηϊάδες καλέονται.
Ἐν δὲ κρητῆρές τε καὶ ἀμφιφορῆες ἔασιν
Λάϊνοι, ἔνθα δ' ἔπειτα τιθαιβώσσουσι μέλισσαι.

CAP.



## CAP. IIII.

### De iis quæ in primo Æneidos ſunt ex Homero traducta.

ET *cum rogaſſet Auienus vt non ſparſim, ſed ab initio per ordinem annotaret: ille manu retractis in calcem folii, ſic exorſus eſt:*

Æole, namque tibi diuũ pater atq. hominum rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere vento.

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
Ἠμὲν παυέμεναι ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κ' ἐθέλησι.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamque dicabo.

Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν,
Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα.

*Tempeſtas Æneæ Æolo concitante cum allocutione ducis res ſuas conclamantis de Vlyſsis tempeſtate & allocutione deſcripta eſt; in qua Æoli locum Neptunus obtinuit. verſus quoniam vtrobique multi ſunt non inſerui, qui volet legere, ex hoc verſu habebit exordium:*

Hæc vbi dicta: cauum conuerſa cuſpide montem.

*& apud Homerum de primo Odyſſeæ:*

Ὣς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἑλών. πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων.

Vt primum lux alma data eſt: exire, locoſque
Explorare nouos, quas vento acceſſerit oras,
Qui teneant (nã inculta videt) homines ne feræ ne
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.

Ἀλλ' ὅτε δὴ τρίτον ἦμαρ ἐϋπλόκαμος τέλεσ' ἠώς,
Δὴ τότ' ἐγὼν ἐμὸν ἔγχος ἑλὼν καὶ φάσγανον ὀξὺ,

Καρπαλίμως παρὰ νηὸς ἀνήιον ἐς περιωπὴν,
Εἴπως ἔργα ἴδοιμι βροτῶν, ἐνοπήν τε πυθοίμην,
Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum,
O quam te memorē virgo, namq. haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat, o dea certe
An Phœbi ſoror, an nympharum ſanguinis vna.
Γουνοῦμαί σε ἄνασσα. θεὸς νύ τις, ἢ βροτὸς ἐστί·
Εἰ μέν τις θεὸς ἐστὶ, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Αρτέμιδί σε ἔγωγε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ' ἄγχιστα ἐΐσκω.
O dea ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum:
Ante diem clauſo componet veſper olympo.
τίς κεν ἐκεῖνα
Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων.
Οὐδ' εἰ πεντάετές γε καὶ ἑξάετές παραμίμνων
Ἐξερέοις ὅσα κεῖθι πάθον κακὰ δῖοι ἀχαιοί.
At Venus obſcuro gradientis aere ſæpſit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu;
Cernere ne quis eos neu quis contingere poſſit,
Molirive moram aut veniendi poſcere cauſas.
Καὶ τότ' Ὀδυσσεὺς ὦρτο πόλινδ' ἴμεν, ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
Πολλὴν ἠέρα χεῦε φίλα φρονέουσ' Ὀδυσῆι,
Μή τις Φαιήκων μεγαθύμων ἀντιβολήσας
Κερτομέοι τ' ἐπέεσσι, καὶ ἐξερέοιθ' ὅπις εἴη.
Qualis in Eurotæ ripis aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. illa pharetram
Fert humero, gradienſq. deas ſupereminet omnis.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus,
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat.
Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα

Ἢ κατὰ



Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον
Τερπομένη κάπροισι, καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
Τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητὼ,
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι,
Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.
Reſtitit Æneas claraque in luce refulſit,
Os humeroſque deo ſimilis. namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix lumenque iuuentæ
Purpureum & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum Pariusve lapis circundatur auro.
Αὐτὰρ κὰκ κεφαλῆς χεῦεν πολὺ κάλλος ἀθήνη,
Μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα· κὰδ δὲ κάρητος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
Ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
Ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει,
Ὣς μὲν τῷ περίχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις.
Coram quem quæritis adſum
Troius Æneas Libycis ereptus ab vndis.
Ἔνδον μὲν δὴ ὅδ' αὐτὸς ἐγὼ κακὰ πολλὰ μογήσας
Ἤλυθον εἰκοστῷ ἔτει ἐς πατρίδα γαῖαν.

## CAP. V.

Quæ in ſecundo Æneidos traducta ſint ab Homero.

CONTICVERE omnes intentique ora tenebant.
Ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.
Infandum regina iubes renouare dolorem,
Troianas vt opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai.

Αργα-

Ἀργαλέον βασίληα διηνεκέως ἀγορεῦσαι
Κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ οὐρανίωνες.
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Mineruæ;
Et molem mirantur equi? primuſque Timœtes
Duci intra muros hortatur & arce locari,
Siue dolo, ſeu iam Troiæ ſic fata ferebant.
At Capys & quorum melior ſententia menti
Aut pelago Danaum inſidias ſuſpectaque dona
Præcipitare iubent, ſubiectiſque vrere flammis,
Aut terebrare cauas vteri & tentare latebras.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
Ὣς ὁ μὲν εἱστήκει, τοὶ δ' ἄκριτα πόλλ' ἀγόρευον
Ἥμενοι ἀμφ' αὐτόν. τρίχα δέ σφισιν ἥνδανε βουλή,
Ἠὲ διατμῆξαι κοῖλον δόρυ νηλέϊ χαλκῷ.
Ἢ κατὰ πετράων βαλέειν ἐρύσαντας ἐπ' ἄκρας.
Ἢ ἐάαν μέγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον εἶναι,
Τῇ περ δὴ καὶ ἔπειτα τελευτήσεσθαι ἔμελλεν.
Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.
Vertitur interea cælum, & ruit oceano nox
Inuoluens vmbra magna terramque polumque.
Ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.
Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.
iuueniſque Chorebus
Mygdonides, illis qui ad Troiam forte diebus
Venerat inſano Caſſandræ incenſus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat.

Πέφνε



Πέφνε γὰρ Ὀθρυονῆα Καβησόθεν ἔνδον ἐόντα,
Ὅς ῥα νέον πολέμοιο μετὰ κλέος εἰληλούθει.
Ἤτεε δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην,
Κασσάνδρην ἀνάεδνον. ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον,
Ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν.
Τῷ δ' ὁ γέρων Πρίαμος ὑπό τ' ἔσχετο καὶ κατένευσε
Δωσέμεναι· ὁ δὲ μάρναθ' ὑποσχεσίῃσι πιθήσας.
Sic animis iuuenum furor additus. inde lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis, per tela per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Vrbis iter. nox atra caua circumuolat vmbra.
Βῆ ῥ' ἴμεν ὥστε λέων ὀρεσίτροφος ὅστ' ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ,
Μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν.
Εἴπερ γάρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα,
Οὔ ῥά τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι·
Ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἢ ἥρπαξε μεθάλμενος ἠὲ καὶ αὐτὸς
Ἔβλητ' ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.
Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras & cærula colla tumentem.
Haud ſecus Androgeus viſu tremefactus abibat.
Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Ἂψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τε μιν εἷλε παρειάς.
Ὣς αὖτις καθ' ὅμιλον ἔδυ Τρώων ἀγερώχων.
Δείσας Ἀτρέος υἱὸν Ἀλέξανδρος θεοειδής.
Qualis vbi in lucẽ coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,

Nunc

Nunc poſitis nouus exuuiis nitiduſque iuuenta,
Lubrica conuoluit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Ως δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι,
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ', ἔδυ δέ τε μιν χόλος αἰνός·
Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν, ἑλισσόμενος περὶ χειῇ·
Ως Εκτωρ, ἄσβεστον ἔχων μένος, οὐχ ἀνεχώρει.

Non ſic aggeribus ruptis cum ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitaſque erupit gurgite moles,
Fertur in arua furẽs cumulo, campoſq. per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit.

Ως δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισι
Χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ,
Πολλὰς δὲ δρῦς ἀζαλέας, πολλὰς δέ τε πεύκας
Εἰσφέρεται, πολλὸν δέ τ' ἀφύσγετον εἰς ἅλα βάλλει.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago
Par leuibus ventis volucrique ſimillima fumo.

Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἄνωγε,
Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν, σκιῇ ἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ,
Επτατ' ἐμοὶ δ' ἄχος ὀξὺ γενέσκετο κηρόθι μᾶλλον.

## Cap. VI.

### Tertius & quartus Æneidos quæ habeant ab Homero ſumpta.

ALIA *tempeſtas Æneæ hic & illic Vlyßis numeroſis ambæ verſibus. ſed incipiunt hæc ita:*

Poſtquam altum tenuere rates, nec iam amplius vllæ. *ille ait:*

Αλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη
Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων

Νηὸς



Νηὸς ὕπερ γλαφυρῆς, ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς.

Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum Sint puer.

Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ τέκνον φίλε τοῦτο δίδωμι
Μνῆμ' Ελένης χειρῶν.

Tendunt vela noti. fugimus ſpumantibus vndis,
Qua curſum ventuſque gubernatorque vocabant.

Ημεῖς δ' ὅπλα ἕκαστα πονησάμενοι κατὰ νῆα
Ημεθα, τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν.

Dextrum Scylla latus læuum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda.
At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exſertantem & naues in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies & pulchro pectore virgo
Pube tenus; poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.
Præſtat Trinacrij metas luſtrare Pachyni
Ceſſantem longos & circumflectere curſus,
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.

*Homerus de Charybdi.*

Ενθεν μὲν γὰρ Σκύλλ', ἑτέρωθι δὲ δῖα Χάρυβδις
Δεινὸν ἀνεῤῥοίβδησε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ.
Η τοι ὅτ' ἐξεμέσειε, λέβης ὣς ἐν πυρὶ πολλῷ,
Πᾶσ' ἀναμορμύρεσκε κυκωμένη, ὑψόσε δ' ἄχνη
Ακροισι σκοπέλοισιν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔπιπτεν.
Αλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ,
Πᾶσ' ἔντοσθε φάνεσκε κυκωμένη, ἀμφὶ δὲ πέτρη
Δεινὸν ἐβεβρύχει, ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκε
Ψάμμῳ κυανέῃ, τοὺς δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει.

*Homerus de Scylla:*

Ενθα

Ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δεινὸν λελακυῖα·
Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλλῆς
Γίνεται· αὐτὴ δ' αὖτε πέλωρ κακόν· οὐδέ κέ τίς μιν
Γηθήσειεν ἰδών, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν.
Τῆς ἤτοι πόδες εἰσὶ δυώδεκα πάντες ἄωροι.
Ἓξ δέ τέ οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάστῃ
Σμερδαλέη κεφαλή. ἐν δὲ τρίστοιχοι ὀδόντες,
Πυκνοὶ καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο.
Μέσση μέν τε κατὰ σπείους κοίλοιο δέδυκεν
Ἔξω δ' ἐξίσχει κεφαλὰς δεινοῖο βερέθρου.
Αὐτοῦ δ' ἰχθυάα σκόπελον περιμαιμώωσα
Δελφῖνάς τε κύνας τε, καὶ εἴποθι μεῖζον ἕλῃσι
Κῆτος, ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες,
Ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ', ἐφύπερθέ τε χαῖται.

Ter ſcopuli clamorem inter caua ſaxa dedere.
Ter ſpumam eliſam & rorantia vidimus aſtra.

Τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.
Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναρροιβδεῖ.

Qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius. illa fuga ſiluas ſaltuſque peragrat
Dicteos. hæret lateri letalis harundo.

Ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ,
Ἰῷ ἀπὸ νευρῆς· τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσιν,
Φεύγων ὄφρ' αἷμα λιαρὸν καὶ γούνατ' ὀρώρει.

Dixerat. ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea; quæ ſublimem alis ſiue æquora iuxta
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Tum



Tum virgam capit. hac animas ille euocat orco
Pallentes, alias ſub tartara triſta mittit:
Dat ſomnos adimitque; & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos & turbida tranat
Nubila.

Ὣς ἔφατ'. οὐδ' ἀπίθησε διάκτορος ἀργειφόντης.
Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
Ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον, ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.
Τὴν μετὰ χερσὶν ἔχων πέτετο κρατὺς ἀργειφόντης.

Ac velut annoſo validam cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant; it ſtridor: & alte
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes.
Ipſa hæret ſcopulis; & quantum vertice ad auras
Ætherias tantum radice in tartara tendit.

Οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ὅθ' ἅλις ἀναβέβρυχεν ὕδωρ
Καλὸν, τηλεθάον. τὸ δέ τε πνοιαὶ δονέουσιν
Παντοίων ἀνέμων, καί τε βρύει ἄνθεϊ λευκῷ·
Ἐλθὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ
Βόθρου τ' ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν.
Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Aa CAP.

## CAP. VII.

### Quæ in quinto & ſexto libris Vergilius ab Homero ſit mutuatus.

VT Pelagus tenuere rates; nec iam amplius vlla
Occurrit tellus; maria vndiq. & vndiq. cœlum:
Olli cæruleus ſupra caput adſtitit imber
Noctẽ hiememq. ferẽs, & inhorruit vnda tenebris.
Ἀλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη
Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα·
Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων.
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.
Οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν,
Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.
Leuibus huic hamis conſertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto.
Δώσω οἱ θώρηκα τὸν Ἀστεροπαῖον ἀπηύρων
Χάλκεον, ᾧ πέρι χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο
Ἀμφιδεδίνηται.

*& curſorum certamen vtrobique ſimile. & quia verſibus eſt apud vtrunque numeroſis, locum loco ſimilem lector inueniet. initia hæc ſunt:*

Hæc vbi dicta; locum capiunt, ſignoque repente.
Στὰν δὲ μεταστοιχεί, σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεύς.

*Pugilum certamen incipit apud hunc:*

Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque.

*apud illum:*

Ἄντα δ' ἀνασχομένω χερσὶ στιβαρῇσιν ἅμ' ἄμφω
Σύν ῥ' ἔπεσον, σὺν δέ σφι βαρεῖαι χεῖρες ἔμιχθεν.

*Si velis comparare certantes ſagittis: inuenies hæc vtriuſque principia:*

Pro-



Protinus Æneas celeri certare ſagitta.
Αὐτὰρ ὁ τοξευτῇσι τίθει ἰόεντα σίδηρον,
Κὰδ δ' ἐτίθει δέκα μὲν πελέκεις, δέκα δ' ἡμιπέλεκκα.

*capita locorum, vbi longa narratio eſt, dixiſſe ſufficiet; vt quid vnde natum ſit lector inueniat.*

Dixerat; & tenues fugit ceu fumus in auras.
Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς
ᾤχετο τετριγυῖα.
Æneas, quo deinde ruis, quo proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te noſtris cõplexibus arcet?
Ter conatus erat collo dare brachia circum,
Ter fruſtra conprenſa manus effugit imago.
Ὣς ἔφατ'. αὐτὰρ ἔγωγ'. ἔθελον φρεσὶ μερμηρίξας
Μητρὸς ἐμῆς ψυχὴν ἑλέειν κατατεθνηυίης.
Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἀνώγει,
Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν, σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ,
Ἔπτατο.

*Sepultura Palinuri fromata eſt de Patrocli ſepultura. hæc incipit:*

Principio pinguem tædis & robore ſecto.

*illa ſic:*

Οἱ δ' ἴσαν ὑλοτόμους πελέκεας μετὰ χερσὶν ἔχοντες.

*& alibi:*

Κηδεμόνες δὲ παρ' αὖθι μένον, καὶ νήεον ὕλην.
Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.

*ipſa vero vtriuſque tumuli inſignia quam paria?*

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit ſuaque arma viro remumque tubamque
Monte ſub aerio; qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen:
Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη καὶ τεύχεα νεκροῦ,
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες,
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.



Tunc

Tunc conſanguineus Leti ſopor.
Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο, κασιγνήτῳ θανάτοιο.
Quod te per cæli iucundum lumen & auras,
Per genitorem oro, per ſpes ſurgentis Iuli,
Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Iniice, nanque potes, portuſque require Velinos.
Νῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γουνάζομαι, οὐ παρεόντων,
Πρός τ' ἀλόχου καὶ πατρός, ὅς ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,
Τηλεμάχου θ', ὃν μοῦνον ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπες.
Οἶδα γὰρ ὡς ἐνθένδε κιὼν δόμου ἐξ ἀΐδαο,
Νῆσον ἐς αἰαίην σχήσεις εὐεργέα νῆα.
Ἔνθα σ' ἔπειτα ἄναξ κέλομαι μνήσασθ' ἐμεῖο,
Μή μ' ἄκλαυτον, ἄθαπτον, ἰὼν ὄπιθεν καταλείπῃς,
Νοσφισθείς, μή τοι τὶ θεῶν μήνιμα γένωμαι.
Ἀλλά με κακκῆαι σὺν τεύχεσιν ἅσσα μοι ἐστίν,
Σῆμά τ' ἐμοὶ χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης,
Ἀνδρὸς δυστήνοιο, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.
Ταῦτά τέ μοι τελέσαι, πῆξαι τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμόν,
Τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον, ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑτάροισιν.
Necnon & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fecundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.
Καὶ Τιτυὸν εἶδον, γαίης ἐρικυδέος υἱόν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ. ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον
Δέρτρον ἔσω δύνοντες. ὁ δ' οὐκ ἀπαμύνετο χερσί.
Λητὼ γὰρ εἵλκυσε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν,
Πυθώδ' ἐρχομένην διὰ καλλιχόρου πανοπῆος.
Non, mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum,
Ferrea vox, omnis ſcelerum comprendere formas,

Omnia



Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.
Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω,
Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

## Cap. VIII.

In ſeptimo & octauo qui verſus ſint ab Homero ſumti.

Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recuſantum & ſera ſub nocte rudentum,
Setigerique ſues atque in præſepibus vrſi
Sæuire ac formæ magnorum vlulare luporum:
Quos hominũ ex facie dea ſæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσι λάεσσι περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.
Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες,
Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.
Quid petitis? quæ cauſa rates aut cuius egentes
Litus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?
Siue errore viæ ſeu tempeſtatibus acti;
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.
Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
Οἷά τε ληιστῆρες, ὑπεὶρ ἅλα τοί γ' ἀλόωνται,
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;
ceu quondam niuei inter nubila cycni
Cum ſeſe e paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos: ſonat amnis & Aſia longe
Pulſa palus.
Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

 Ἔνθα

Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι,
Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Αἳ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον οὐδὲ κατέκλων.
Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.
Veſcitur Æneas ſimul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis & luſtralibus extis.
Τοῖσι δὲ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.
Νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν.
Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi,
Rex Euandrus ait.
Ἥρως Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
Τοῖς ὁ γέρων πάμπρωτος ὑφαίνειν ἤρχετο μῆτιν.
Euandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,
Et matutinus volucrum ſub culmine cantus.
Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.
Tum lateri atq. humeris Tegeæũ ſubligat enſem,
Demiſſa ab læua pantheræ terga retorquens.
Nec non & gemini cuſtodes limine in ipſo
Procedunt, greſſumq. canes comitantur herilem.
Ἕζετο δ' ὀρθωθεὶς, μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα,
Καλὸν, νηγάτεον· περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος·
Ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.





Βῆρ' ἴμεν εἰς ἀγορήν· παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος.
Οὐκ οἶος, ἅμα τῷγε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.
O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos!
Qualis eram, cum primã aciem Præneſte ſub ipſa
Straui, ſcutorumque incendi victor aceruos,
Et regem hac Herilum dextra ſub tartara miſi;
Naſcenti cui tris animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat, terna arma mouenda.
Ter leto ſternendus erat; cui tunc tamen omnis
Abſtulit hæc animas dextra & totidem exuit armis.
Εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη,
Ὡς ὁπότ' Ἠλείοισι καὶ ἡμῖν νεῖκος ἐτύχθη
Ἀμφὶ βοηλασίῃ, ὅτ' ἐγὼ κτάνον Ἰτυμονῆα
Ἐσθλὸν Ὑπειροχίδην· ὃ ἐν Ἤλιδι ναιετάασκεν,
Ῥύσι' ἐλαυνόμενος. ὁ δ' ἀμύνων ᾗσι βόεσσιν,
Ἔβλητ' ἐν πρώτοισιν ἐμῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.
Κὰδ δ' ἔπεσεν.
Qualis vbi oceani perfuſus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo tenebraſque reſoluit.
Οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.
En perfecta mei promiſſa coniugis arte
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, ſuperbos
Aut acrem dubites in prœlia poſcere Turnum.
Dixit & amplexus nati Cytherea petiuit.
Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu.
Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τεῦξε σάκος μέγα τε στιβαρόν τε,
Τεῦξ' ἄρα οἱ θώρηκα φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς.
Τεῦξε δέ οἱ κυνέην βριαρὴν, κροτάφοις ἀραρυῖαν,
Καλὴν, δαιδαλέην, ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε,
Τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πάνθ' ὅπλα κάμε κλυτὸς ἀμφιγυήεις,

Μητρὸς Ἀχιλλῆος θῆκε προπάροιθεν ἀείρας.
Ille deæ donis & tanto lætus honore
Impleri nequit, atque oculos per ſingula voluit,
Miraturque, interque manus & brachia verſat.
Τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα,
Αὐτὰρ ἐπεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἐτάρπετο δαίδαλα λεύσσων.

## Cap. IX.

Nono libro quæ inſint, ſumpta ab Homero.

IRI decus cæli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras?
Ἶρι θεά, τίς τ' ἄρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκε;
Nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor.
Τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας
Ἀτρείδης, ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκ' ἠϋκόμοιο;
Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι;
Sed vos, o lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum inuadit trepidantia caſtra?
Ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες, ῥήγνυσθε δὲ τεῖχος
Ἀργείων, καὶ νηυσὶν ἐνίετε θεσπιδαὲς πῦρ.
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.
Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα.
Sic ait illacrymans; humero ſimul exuit enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnoſius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niſo Mneſteus pellem horrentiſque leonis
Exuuias, galeam fidus permutat Aletes.
Τυδείδῃ μὲν δῶκε μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
Φάσγανον ἄμφηκες. (τὸ δ' ἑὸν παρὰ νηυσὶ λέλειπτο,)
Καὶ



Καὶ σάκος. ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε.
Ταυρείην ἄφαλόν τε καὶ ἄλοφον, ἥτε καταῖτυξ
Κέκληται, ῥύεται δὲ κάρη θαλερῶν αἰζηῶν.
Μηριόνης δ' Ὀδυσῆϊ δίδου βιὸν, ἠδὲ φαρέτρην,
Καὶ ξίφος.
Protinus armati incedunt, quos omnis euntes
Primorum manus ad portas iuuenumq. ſenumque
Proſequitur votis, necnon & pulcher Iulus.
Τὼ δ' ἐπεὶ ἐν ὅπλοισιν ἔνι δεινοῖσιν ἐδύτην,
Βάν ῥ' ἰέναι, λιπέτην δὲ κατ' αὐτόθι πάντας ἀρίστους.
Egreſſi ſuperant foſſas, noctiſque per vmbram
Caſtra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio: paſſim ſomno vinoque per herbam
Corpora fuſa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotaſque viros, ſimul arma iacere,
Vina ſimul: prior Hyrtacides ſic ore locutus.
Euryale audendum dextra. nunc ipſa vocat res.
Hac iter eſt. tu, ne qua manus ſe attollere nobis
A tergo poſſit, cuſtodi & conſule longe.
Hæc ego vaſta dabo, & recto te limite ducam.
Τὼ δὲ βάτην προτέρω διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.
Αἶψα δ' ἐπὶ Θρηκῶν ἀνδρῶν τέλος ἷξον ἰόντες
Οἳ δ' εὗδον καμάτῳ ἀδδηκότες· ἔντεα δέ σφιν
Καλὰ παρ' αὐτοῖσιν χθονὶ κέκλιτο εὖ κατὰ κόσμον,
Τριστοιχεί, παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι.
*& paulo poſt*
Ἐξ ἐπιδιφριάδος πυμάτης ἱμᾶσι δέδεντο.
Τὸν δ' Ὀδυσεὺς προπάροιθεν ἰδὼν Διομήδεϊ δεῖξεν.
Οὗτός τοι Διόμηδες ἀνήρ, οὗτοί δέ τοι ἵπποι,
Οὓς νῶϊν πίφαυσκε Δόλων ὃν ἐπέφνομεν ἡμεῖς.
Ἀλλ' ἄγε δὴ πρόφερε κρατερὸν μένος, οὐδέ τι σὲ χρὴ
Ἑστάμεναι μέλεον σὺν τεύχεσιν. ἀλλὰ λῦ' ἵππους.
Ἠὲ σύ γ' ἄνδρας ἔναιρε, μελήσουσι δέ μοι ἵπποι.

 Sed

Sed non auguriis potuit depellere peſtem.
Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.
Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.
Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσι.

*Mater Euryali ad dirum nuntium, vt excuſſos de manibus radios & penſa demitteret, vt per muros & virorum agmina vlulans & coma ſciſſa decurreret, vt effunderet dolorem in lamentationum querelas, totum de Andromacha ſumpſit lamentante mortem mariti.*

Ὣς φαμένη, μεγάροιο διέσσυτο, μαινάδι ἴση,
Παλλομένη κραδίην. ἅμα δ' ἀμφίπολοι κίον αὐτῇ.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πύργον τε καὶ ἀνδρῶν ἷξεν ὅμιλον,
Ἔστη παπτήνασ' ἐπὶ τείχεϊ· τὸν δ' ἐνόησεν
Ἑλκόμενον πρόσθεν πόλιος.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.
Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί.
Quos alios muros, quæ iam vltra mœnia habetis?
Vnus homo & veſtris, o ciues, vndique ſæptus
Aggeribus tantas ſtrages impune per vrbem
Ediderit? iuuenum primos tot miſerit orco?
Non infelicis patriæ veterumque deorum
Et magni Æneæ ſegnes miſeretque pudetque?
Ἠέ τινας φαμὲν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω,
Ἠέ τι τεῖχος ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;
Οὐ μέν τις σχεδόν ἐστι πόλις πύργοις ἀραρυῖα,
Ἧι κ' ἀπαμυναίμεσθ' ἑτεραλκέα δῆμον ἔχοντες·
Ἀλλ' ἐν γὰρ Τρώων πεδίῳ.

CAP.



## CAPVT X.

Quæ in reliquis libris mutuatus ſit ab Homero Vergilius.

Tela manu iaciunt; quales ſub nubibus atris
Strymoniæ dant ſigna grues, atq; æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntque notos clamore ſecundo.
Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς·
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.
Ardet apex capitis, criſtiſque ac vertice flamma
Funditur, & vaſtos vmbo vomit aureus ignes.
Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & læuo contriſtat lumine cælum.
Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.
Τοῖόν οἱ πῦρ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε καὶ ὤμων.
Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο.
Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται, πολλοῖσι μετ' ἄστρασι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ὅντε κύν' ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.
Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.
Μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Οὐ κακόν, οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.
Αἰνότατε Κρονίδη ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες;
Ἄνδρα θνητὸν ἐόντα, πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ,
Ἂψ ἐθέλεις θανάτοιο δυσηχέος ἐξαναλῦσαι;

Fata

Fata vocant, metaſque dati peruenit ad æui.
Ἧς τὸν δ' ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλος δέ.
Per patrios manes per ſpes ſurgentis Iuli
Te precor, hanc animam ſerues natoque patrique:
Eſt domus alta: iacent penitus defoſſa talenta
Cælati argenti: ſunt auri pondera facti
Infectique mihi. non hic victoria Teucrum
Vertitur, aut anima vna dabit diſcrimina tanta.
Dixerat. Æneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta
Natis parce tuis. belli commercia Turnus
Suſtulit iſta prior iam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchiſæ manes, hoc ſentit Iulus.
Sic fatus galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem.
Ζώγρει Ἀτρέος υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.
Τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
Εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.
Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans,
(Suadet enim veſana fames) ſi forte fugacem
Conſpexit capreã aut ſurgentẽ in cornua ceruum,
Gaudet hians immane, comaſque arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper incumbens, lauit improba tæter
Ora cruor.
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes.
Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα,
Πεινάων. (μάλα γάρ τε κατεσθίει, εἴπερ ἂν αὐτὸν
Σεύωνται ταχέες τε κύνες θαλεροί τ' αἰζηοί)
Ὣς ἐχάρη Μενέλαος Ἀλέξανδρον θεοειδέα
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδών. φάτο γὰρ τίσασθαι ἀλείτην.





Βῆ ῥ' ἴμεν ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ,
Μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν.
Εἴπερ γάρ χ' εὕρῃσι παρ' αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα,
Οὔ ῥά τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι.
Ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἢ ἥρπαξε μετάλμενος, ἠὲ καὶ αὐτὸς
Ἔβλητ' ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.
Ὥς ῥα τότ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα θυμὸς ἀνῆκε
Τεῖχος ἐπαΐξαι, διά τε ῥήξασθαι ἐπάλξεις.
Spargitur & tellus lacrumis, ſparguntur & arma.
Δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο δὲ τεύχεα φωτῶν Δάκρυσι.
Cingitur ipſe furens certatim in prælia Turnus;
Iamque adeo rutilum thoraca indutus aënis
Horrebat ſquamis, ſuraſque incluſerat auro,
Tempora nudus adhuc, lateriq. accinxerat enſem:
Fulgebatque alta decurrens aureus arce.
Ὣς φάτο. Πάτροκλος δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ.
Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλάς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.
Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε,
Ποικίλον, ἀστερόεντα, ποδώκεος Αἰακίδαο.
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,
Χάλκεον, αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε.
Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν,
Ἵππουριν, δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν.
Εἵλετο δ' ἄλκιμα δοῦρα, τά οἱ παλάμηφιν ἀρήρει.
Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, laſſoue papauera collo
Demiſere caput, pluuia cum forte grauantur.
Μήκων δ' ὡς, ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ
Καρπῷ βριθομένη, νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν.
Ὣς ἑτέρωσ' ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν.

## CAP. XI.

### Quos locos ita tranſtulerit Vergilius vt Homero ſuperior videatur.

*Et hæc quidem iudicio legentium relinquenda ſunt, vt ipſi æſtiment quid debeant de vtriuſque collatione ſentire. ſi tamen me conſulis, non negabo nonnumquam Vergilium in transferendo denſius excoluiſſe. vt in hoc loco:*

Qualis apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt fetus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus a præſepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων.
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα.
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
Ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν.

*Vides deſcriptas apes a Vergilio opifices, ab Homero vagas? alter diſcurſum & ſolam volatus varietatem, alter exprimit natiuæ artis officium. in his quoque verſibus Maro exſtitit locupletior interpres:*

O ſocij (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora, dabit deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti: reuocate animos, mœſtumque timorem
Mittite. forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν.





Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔπει κακὸν ἢ ὅτε Κύκλωψ
Εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῆφι βίηφι,
Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇ τε νόῳ τε
Ἐκφύγομεν. καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω.

*Vlyſſes ad ſocios vnam commemorauit ærumnam. hic ad ſperandam præſentis mali abſolutionem gemini caſus hortatur euentu. deinde ille obſcurius dixit,*

Καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω:

*hic apertius,*

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

*Sed & hoc quod veſter adiecit ſolatij fortioris eſt. ſuos enim non tantum exemplo euadendi ſed & ſpe futuræ felicitatis animauit, per hos labores non ſolum ſedes quietas ſed & regna promittens. Hos quoque verſus inſpicere libet:*

Ac veluti ſummis antiquam in montibus ornum
Cum ferro acciſam crebriſque bipennibus inſtant
Eruere agricolæ certatim; illa vſque minatur,
Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat,
Vulneribus donec paulatim euicta ſupremum
Congemuit, traxitque iugis auulſa ruinam.

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, ἢ ἀχερωΐς,
Ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήν τ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
Ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι, νήϊον εἶναι.

*Magno cultu veſter difficultatem abſcidendæ arboreæ molis expreſſit. verum nullo negotio Homerica arbor abſciditur,*

Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo;
Arcturum, Pleiadaſque Hyadas, geminoſque triones,
Armatumque auro circunſpicit Orionem.

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως
Ἥμενος, οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε,

Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι, καὶ ὀψὲ δύοντα βοώτην,
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται, καί τ' ὠρίωνα δοκεύει.
Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν ὠκεανοῖο.

*Gubernator qui explorat cælum crebro reflectere ceruicem debet, captando de diuerſis cæli regionibus ſecuritatem ſereni. hoc mire & velut coloribus Maro pinxit. nam quia arctarus iuxta ſeptentrionem eſt, taurus vero in quo hyades ſunt, ſed & orion in regione auſtri ſunt, crebram ceruicis reflexionem in Palinuro ſidera conſulente deſcripſit,* Arcturum, *inquit. ecce intuetur partem ſeptentrionis: deinde,* Pleiadaſque Hyadas. *ecce ad auſtrum flectitur.* geminoſque triones. *rurſus ad ſeptentriones vertit aſpectum.*

Armatumque auro circumſpicit Oriona.

*iterum ſe ad auſtrum reflectit. ſed & verbo* circunſpicit, *varietatem ſæpe ſe viciſsim conuertentis oſtendit. Homerus gubernatorem ſuum ſemel inducit intuentem Pleiadas quæ in auſtrali regione ſunt, ſemel Booten & Arcton quæ ſunt in ſeptentrionali polo.*

Nec tibi diua parens generis nec Dardanus auctor
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus; Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

Νηλεές, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς,
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ. γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα.

*Plene Vergilius non partionem ſolam, ſicut ille quem ſequebatur, ſed educationem quoque nutricationis tanquam belualem & aſperam criminatur. addit enim de ſuo;*

Hircanæque admorunt vbera tigres:

*quoniam videlicet in moribus inoleſcendis magnam fere partem nutricis ingenium & natura lactis tenet, quæ infuſa tenero & mixta parentum ſemini adhuc recenti ex hac gemina concretione vnam indolem configurat. hinc eſt quod prouidentia naturæ ſimilitudinem natorum atque gignentium*



*tium ex ipſo quoque nutricatu præparans fecit cum ipſo partu alimoniæ copiam naſci. nam poſtquam ſanguinis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus effinxit atque aluit, aduentante iam partus tempore idem ad corporis materni ſuperna conſcendens in naturam lactis albeſcit, vt recens natis idem ſit altor qui fuerat fabricator. quamobrem non fruſtra creditum eſt, ſicut valeat ad fingendas corporis atque animi ſimilitudines vis & natura ſeminis, non ſecus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolum ſed in pecudibus quoque animaduerſum. nam ſi ouium lacte hedi aut caprarum agni forſitan alantur, conſtat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. in arboribus etiam & frugibus ad earum indolem vel detrectandam vel augendam maior plerunque vis & poteſtas eſt aquarum & terrarum quæ alunt, quam ipſius quod iacitur ſeminis; ac ſæpe videas lætam nitentemque arborem, ſi in locum alterum transferatur, ſucco terræ deterioris elanguiſſe. ad criminandos igitur mores defuit Homero, quod Vergilius adiecit:*

Non tam præcipites biiugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effuſi carcere currus;
Nec ſic immiſſis aurigæ vndantia lora
Concuſſere iugis, pronique in verbera pendent.

Οἱ δ' ὡς ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι,
Πάντοσ' ἀφορμηθέντες ὑπὸ πληγῆσιν ἱμάσθλης,
Ὑψόσ' ἀειρόμενοι, ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθα.

*Graius poëta equorum tantum meminit flagro animante currentium; licet dici non poßit elegantius, quam quod adiecit* ὑψόσ' ἀειρόμενοι *quo expreßit, quantum natura dare poterat, impetum curſus. verum Maro & currus de carcere ruentes & campos corripiendo præcipites mira celeritate deſcripſit; &, accepto breui ſemine de Homerico flagro, pinxit aurigas concutientes lora vndantia & pronos in verbera*

*pendentes: nec vllam quadrigarum partem intactam reliquit, vt eſſet illa certaminis plena deſcriptio.*

Magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis vndantis aeni,
Exſultantque æſtu latices; furit intus aquæ vis,
Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis;
Nec iam ſe capit vnda: volat vapor ater ad auras.

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
Κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο
Πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται.
Ὡς τοῦ καλὰ ῥέεθρα πυρὶ φλέγετο. ζέε δ' ὕδωρ.

*Græci verſus aeni continent mentionem multo igne ebullientis: & totum ipſum locum hæc verba ornant* πάντοθεν ἀμβολάδην. *nam ſcaturigines ex omni parte emergentes ſic eleganter expreſſit. in Latinis verſibus tota rei pompa deſcripta eſt, ſonus flammæ. & pro hoc quod ille dixerat,* πάντοθεν ἀμβολάδην, exſultant æſtu latices, *& amnem fumidum exuberantem ſpumis atque intus furentem (vnius enim verbi non reperiens ſimilem dignitatem compenſauit quod deerat copiæ varietate deſcriptionis) adiecit poſt omnia;*

Nec iam ſe capit vnda.

*quo expreſſit quod ſemper vſu euenit ſuppoſiti nimietate caloris. Bene ergo ſe habet poëticæ tubæ cultus omnia quæ in hac re eueniunt comprehendens.*

Portam, quæ ducis imperio eſt cōmiſſa, recludunt
Freti armis; vltroque inuitant mœnibus hoſtem.
Ipſi intus dextra ac læua pro turribus aſtant
Armati ferro & criſtis capita alta coruſcis.
Qualis aeriæ liquentia flumina circum,
Siue Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum,
Conſurgunt geminæ quercus, intonſaque cælo
Attollunt capita & ſublimi vertice nutant.

Νήπιοι, ἐν δὲ πύλῃσι δύ' ἀνέρας εὗρον ἀρίστους,





Τίας ὑπερθύμους Λαπιθάων αἰχμητάων.
Τὸν μὲν, Πειριθόου υἷα, κρατερὸν Πολυποίτην,
Τὸν δὲ Λεοντῆα, βροτολοιγῷ ἶσον Ἀρηϊ.
Τὼ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων ὑψηλάων
Εστασαν, ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι,
Αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
Ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι.
Ὡς ἄρα τὼ χείρεσσι πεποιθότες ἠδὲ βίηφι,
Μίμνον ἐπερχόμενον μέγαν Ἄσιον, οὐδ' ἐφέβοντο.

*Græci milites Polipoetes & Leonteus ſtant pro portis & immobiles Aſium aduenientem hoſtem velut fixæ arbores opperiantur. Hactenus eſt Græca deſcriptio. verum Vergiliana Bitian & Pandarum portam vltro recludere facit oblaturos hoſti quod per vota quærebat, vt compos caſtrorum fieret; per hoc futuros in hoſtium poteſtate. & geminos heroas modo turres vocat, modo deſcribit luce criſtarum coruſcos. nec arborum, vt ille, ſimilitudinem prætermiſit; ſed vberius eam pulchriuſque deſcripſit. Nec hoc negauerim cultius a Marone prolatum:*

Olli dura quies oculos & ferreus vrguet
Somnus. in æternam clauduntur lumina noctem.

Ὡς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

## CAP. XII.

In quibus par vtriuſque poetæ ſit ſplendor.

IN *aliquibus par pene ſplendor amborum eſt, vt in his;*

——— ſparſit rara vngula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.

αἵματι δ' ἄξων
Νέρθεν ἅπας πεπάλακτο, καὶ ἄντυγες αἳ περὶ δίφρον,
Ἃς ἄρ' ἀφ' ἱππείων ὁπλέων ῥαθάμιγγες ἔβαλλον.

——— & luce coruſcus ahena.

Αὐγῇ χαλκείῃ κορύθων ἄπο λαμπομενάων.

quærit pars ſemina flammæ.
Σπέρμα πυρὸς σώζων.
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur.
Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.
Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſic fata Iouis poſcunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris, complexu auulſus Iuli
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera; nec, cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem mediaq. inhumatus harena.
Κλῦθι Ποσείδαον γαιήοχε κυανοχαῖτα.
Εἰ ἐτεόν γε σὸς εἰμὶ, πατὴρ δ' ἐμὸς εὔχεαι εἶναι,
Δὸς μὴ Ὀδυσσῆα πτολίπορθον οἴκαδ' ἱκέσθαι,
Υἱὸν Λαέρτεω, Ἰθάκῃ ἔνι οἰκί' ἔχοντα.
Ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν, καὶ ἱκέσθαι
Οἶκον ἐϋκτίμενον, καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
Ὀψὲ κακῶς ἔλθοι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους,
Νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης, εὕροι δ' ἐν πήματα οἴκῳ.
Proxima Circeæ raduntur littora terræ:
Diues inacceſſos vbi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Ἥιεν ὄφρα μέγα σπέος ἵκετο, ᾧ ἔνι νύμφη
Ναῖεν ἐϋπλόκαμος· τὴν δ' ἔνδοθι τέτμεν ἐοῦσαν.
Πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο, τηλόσε δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει
Δαιομένων. ἡ δ' ἔνδον ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ,
Ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.





Mæonio regi, quem ſerua Licinia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis.
Βουκολίων δ' ἦν υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος,
Πρεσβύτατος γενεῇ. σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ.
Ille autem exſpirans, Non me, quicunq. es, inulto
Victor nec longum lætabere. te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arua tenebis.
Ad quem ſubridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere. aſt de me diuum pater atque hominum rex
Viderit.
Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οὐ θὴν οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος καὶ μοῖρα κραταιὴ,
Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο.
*& alibi*:
Τὸν καὶ τεθνειῶτα προσηύδα δῖος Ἀχιλλεύς,
Τέθναθι. κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ
Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.
Qualis vbi leporẽ aut candenti corpore Cygnum
Suſtulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis;
Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a ſtabulis rapuit lupus: vndique clamor
Tollitur. inuadunt, & foſſas aggere complent.
Οἴμησεν δὲ ἀλεὶς, ὥστ' αἰετὸς ὑψιπετήεις,
Ὅστ' εἶσιν πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν,
Ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν, ἢ πτῶκα λαγωόν.
Ὣς Ἕκτωρ οἴμησε τινάσσων φάσγανον ὀξύ.

## CAP. XIII.

### In quibus Vergilius Homerici carminis maieſtatem non æquet.

*Et quia non eſt erubeſcendum Vergilio, ſi minorem ſe Homero vel ipſe fateatur, dicam in quibus mihi viſus ſit gracilior auctore.*

Tunc caput orantis nequiquam & multa parantis
Dicere deturbat terræ, truncumque reliquit.

*hi duo verſus de illo tranſlati ſunt:*

Φθεγγομένου δ' ἄρα τοῦγε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.

*vide nimiam celeritatem ſaluo pondere: ad quam non potuit conatus Maronis accedere. In curuli certamine Homerus alterum currum paululum antecedentem & alterum pæne coniunctum ſequendo qua luce ſignauit?*

Πνοιῇ δ' Εὐμήλοιο μετάφρενον εὐρέε τ' ὤμω
Θέρμετ', ἐπ' αὐτῷ γὰρ κεφαλὰς καταθέντε πετέσθην.

humeſcunt ſpumis, flatuque ſequentum.

*mirabilior eſt celeritas conſequentis priorem in curſu pedum apud eundem vatem.*

Ἴχνια τύπτε πόδεσσι πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι

*eſt autem huius verſus hic ſenſus. Si per ſolum puluereum forte curratur; vbi pes fuerit de terra a currente ſublatus, veſtigium ſine dubio ſignatum videtur, & tamen celerius cogitatione puluis qui ictu pedis fuerat excuſſus veſtigio ſuperfunditur. ait ergo diuinus poëta ita proximum fuiſſe qui ſequebatur vt occuparet antecedentis veſtigium antequam puluis ei ſuperfunderetur. at hic veſter idem ſignificare cupiens quid ait?*

Calcemque terit iam calce Diores.

*Vide & in hoc Homeri cultum.*

Κεῖτ' ἀποδοχμώσας πλατὺν αὐχένα.

*iſte ait:*

Ceruicem



Ceruicem inflexam poſuit.

*Hos quoque verſus, ſi videtur, comparemus.*

Ἅρματα δ' ἄλλοτε μὲν χθονὶ πίλνατο πουλυβοτείρῃ
Ἄλλοτε δ' ἀΐξασκε μετήορα.

Iamque humiles iamque elati ſublime videntur
Aera per tenerum ferri.

Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα.

ingredienſque deas ſupereminet omnes.

Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.

Et meminiſtis enim diuæ, & memorare poteſtis.
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit:
Qualis mugitus fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.

Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄϊσθε καὶ ἤρυγεν, ὡς ὅτε ταῦρος
Ἤρυγεν ἑλκόμενος ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα,
Κούρων ἑλκόντων, γάνυται δέ τε τοῖς ἐνοσίχθων.

*inſpecto hic vtriuſque filo quantam diſtantiam deprehendes? Sed nec hoc minus eleganter quod de tauro ad ſacrificium tracto loquens meminit & Apollinis,*

ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα.

*ſed & Neptuni meminit.*

γάνυται δέ τε τοῖς ἐνοσίχθων.

*His autem duobus præcipue rem diuinam fieri tauro teſtis eſt ipſe Vergilius.*

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.
In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris,
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta boumque labores,
Præcipiteſque trahit ſiluas. ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ,
Πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει, οἱ δέ τε θάμνοι
Πρόρριζοι πίπτουσιν ἐπειγόμενοι πυρὸς ὁρμῇ.

*& alibi.*



Θυῶν

Θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον, ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
Χειμάῤῥῳ, ὅστ᾽ ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας.
Τὸν δ᾽ οὔτ᾽ ἄρ τε γέφυραι ἐεργμέναι ἰσχανόωσιν,
Οὔτ᾽ ἄρα ἕρκεα ἴσχει ἀλωάων ἐριθηλέων,
Ἐλθόντ᾽ ἐξαπίνης, ὅτ᾽ ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος·
Πολλὰ δ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ ἔργα κατήριπε κάλ᾽ αἰζηῶν·
Ὣς ὑπὸ Τυδείδῃ πυκιναὶ κλονέοντο φάλαγγες
Τρώων.

*& duas parabolas temerauit vt vnam faceret, trahens hinc ignem inde torrentem, & dignitatem neutrius impleuit:*

Aduerſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyruſque Notuſque & lætus Eois
Eurus equis: ſtridunt ſiluæ; ſæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

Ὡς δ᾽ ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα,
Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον,
Ἐλθόντ᾽ ἐξαπίνης, ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν
Κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευεν. *& alibi:*
Ὡς δ᾽ Εὖρός τε Νότος τ᾽ ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, βαθέην πελεμιζέμεν ὕλην,
Φηγόν τε, μελίην τε, τανύφλοιόν τε κράνειαν,
Αἵτε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζους·
Ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων.
Ὡς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι θορόντες
Δῄουν, οὐδ᾽ ἕτεροι μνώοντ᾽ ὀλοοῖο φόβοιο.

*demet huic vitium, quod ſuperius incurrit, de duabus Græcis parabolis vnum dilucidius conſtruendo.*

Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntes.

Ἡμῖν δ᾽ αὖ κατόπισθε νεὼς κυανοπρῴροιο
Ἴκμενον οὖρον ἵει, πλησίστιον, ἐσθλὸν ἑταῖρον.

*quod noſter dixit* κατόπισθε νεὼς, *veſter ait,* ſurgens à puppi, *ſatis decore. ſed excellunt epitheta, quæ tot & ſic apta vento noſter impoſuit.*

Viſceribus



Viſceribus miſerorum & ſanguine veſcitur atro.
Vidi egomet duo de numero cum corpora noſtro
Prenſa manu magna medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum.

Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἀναΐξας ἑτάροις ἐπὶ χεῖρας ἴαλλε.
Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ᾽. ἐκ δ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον.
Ἤσθιε δ᾽ ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ᾽ ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.
Ἡμεῖς δὲ κλαίοντες ἀνεσχέθομεν Διὶ χεῖρας,
Σχέτλια ἔργ᾽ ὁρόωντες.

*narrationem facti nudam & breuem Maro poſuit; contra Homerus* πάθος *miſcuit, & dolore narrandi inuidiam crudelitatis æquauit.*

Hic & Aloidas geminos immania vidi
Corpora; qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Iouem detrudere regnis.

Ὦτόν τ᾽ ἀντίθεον, τηλέκλειτόν τ᾽ Ἐφιάλτην,
Οὓς δὴ μηκίστους θρέψε ζείδωρος ἄρουρα,
Καὶ πολὺ καλλίστους, μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.
Ἐννέωροι γὰρ τοί γε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι.
Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ
Φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο.
Ὄσσαν ἐπ᾽ Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ᾽ Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν᾽ οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

*Homerus magnitudinem corporum alto latoque dimenſus eſt, & verborum ambitu membra depinxit. veſter ait,* immania corpora, *nihilque vlterius adiecit, menſurarum nomina non auſus attingere. ille de conſtruendis montibus conatum inſanæ molitionis expreſſit. hic* aggreſſos reſcindere cælum *dixiſſe contentus eſt. poſtremò locum loco ſi compares;*

*compares; pudendam inuenies differentiam.*

Fluctus vti primo cœpit cum albeſcere ponto:
Paulatim ſeſe tollit mare & altius vndas
Erigit; inde imo conſurgit ad æthera fundo.

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, ζεφύρου ὑποκινήσαντος·
Πόντῳ μέν τε πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Χέρσῳ ῥηγνύμενον, μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
Κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην.

*Ille cum marino motu & litoreos fluctus ab initio deſcribit; hoc iſte prateruolat. deinde quod ait ille,*

Πόντῳ μέν τε πρῶτα κορύσσεται.

*Maro ad hoc vertit;*

Paulatim ſeſe tollit mare.

*ille fluctus incremento ſuo ait in ſublime curuatos litoribus illidi, & aſperginem collecta ſordis exſpuere: quod nulla expreſſius pictura ſignaret. Veſter mare a fundo ad æthera vſque perducit,*

Dixerat; idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος.

*& alibi:*

Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν.

*Phidias, cum Iouem Olympium fingeret, interrogatus de quo exemplo diuinam mutuaretur effigiem reſpondit archetypum Iouis in his ſe tribus Homeri verſibus inueniſſe:*

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

*nam*



*nam de ſuperciliis & crinibus totum ſe Iouis vultum collegiſſe. quod vtrumque vedetis a Vergilio prætermiſſum. Sane concuſſum olympum nutus maieſtate non tacuit. iuſiurandum vero ex alio Homeri loco ſumpſit, vt tranſlationis ſterilitas hac adiectione compenſaretur:*

Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta.

Πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη:

*prætermiſſa gratia incipientis pubertatis,* τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη, *minus gratam fecit Latinam deſcriptionem,*

Vt fera, quæ denſa venantum ſæpta corona,
Contra tela furit, ſeſeque haud neſcia morti
Iniicit & ſaltu ſupra venabula fertur.

Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο, λέων ὣς
Σίντης, ὅν τε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν,
Ἀγρόμενοι πᾶς δῆμος· ὁ δὲ πρῶτον μὲν ἀτίζων,
Ἔρχεται, ἀλλ' ὅτε κέν τις ἀρηϊθόων αἰζηῶν
Δουρὶ βάλῃ, ἐάλη τε χανών, περί τ' ἀφρὸς ὀδόντας
Γίγνεται, ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ στένει ἄλκιμον ἦτορ,
Οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν
Μαστίεται, ἑὲ δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι.
Γλαυκιόων δ' ἰθὺς φέρεται μένει, ἤν τινα πέφνῃ
Ἀνδρῶν, ἢ αὐτὸς φθίεται πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ·
Ὣς Ἀχιλῆ' ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ἀντίον ἐλθέμεναι μεγαλήτορος Αἰνείαο.

*Videris in anguſtum Latinam parabolam ſic eſſe contractam, vt nihil poſſit eſſe ieiunius: Græcam contra & verborum & rerum copia pompam veræ venationis impleſſe? In tanta ergo differentia pæne erubeſcendum eſt comparare.*

Haud aliter Troianæ acies acieſque Latinæ
Concurrunt: hæret pede pes, denſuſque viro vir.

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

*quanta ſit differentia vtriuſque loci lectori æſtimandum relinquo.*

Vtque

Vtque volans alte raptum cum fulua draconem
Fert aquila, implicuitq. pedes, atq. vnguibus hæſit:
Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquamis & ſibilat ore
Arduus inſurgens, illa haud minus vrget obunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis.

Ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν,
Αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπ᾽ ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων.
Φοινύεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
Ζωὸν ἔτ᾽ ἀσπαίροντα, καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω ὁ δ᾽ ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε,
Ἀλγήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ᾽ ἐνὶ κάββαλ᾽ ὁμίλῳ·
Αὐτὸς δὲ κλάγξας πέτετο πνοιῇς ἀνέμοιο.

*Vergilius ſolam aquilæ prædam refert nec Homericæ aquilæ omen aduertit; quæ & ſiniſtra veniens vincentium prohibebat acceſſum, & accepto a captiuo ſerpente morſu prædam dolore deiecit; factoque tripudio ſoliſtimo cum clamore dolorem teſtante præteruolat. quibus omnibus victoriæ præuaricatio ſignificabatur. His prætermiſſis, quæ animam parabolæ dabant, velut exanimum in Latinis verſibus corpus remanſit.*

Parua metu primo mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturq. ſolum, & caput inter nubila condit.

Ἥ τ᾽ ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

*Homerus ἔριν, hoc eſt, contentionem a paruo dixit incipere, & poſtea in incrementum ad cælum vſque ſubcreſcere. hoc idem Maro de fama dixit ſed incongrue. neque enim æqua ſunt augmenta contentionis & famæ. quia contentio, etſi vſque ad mutuas vaſtationes ac bella proceſſerit, adhuc contentio eſt & manet ipſa quæ creuit: fama vero cum in immenſum prodit fama eſſe iam deſinit; & fit notio rei iam cognita.*



*cognita. quis enim iam famam vocet cum res aliqua a terra in cælum nota ſit? deinde nec ipſam hyperbolen potuit æquare. ille cælum dixit, hic auras & nubila. Hæc autem ratio fuit non æquādi omnia quæ ab auctore tranſcripſit, quod in omni operis ſui parte alicuius Homerici loci imitationem volebat inſerere; nec tamen humanis viribus illam diuinitatem vbique poterat æquare: vt in illo loco, quem volo omnium noſtrum iudicio in commune penſari. Minerua Diomedi ſuo pugnanti duntaxat flammarum addit ardorem: & inter hoſtium cædes fulgor capitis vel armorum pro milite minatur.*

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.

*Hoc miratus ſupra modum Vergilius immodice eſt vſus. modo enim ita de Turno dicit;*

Tremunt ſub vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulmina mittunt.

*modo idem ponit de Ænea:*

Ardet apex capiti, criſtiſque ac vertice flamma
Funditur, & vaſtos vmbo vomit æreus ignis.

*Quod quam importune poſitum ſit hinc apparet, quod necdum pugnabat Æneas, ſed tantum in naui veniens apparebat. alio loco;*

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Suſtinet Ætneos efflantem faucibus ignis.

*quid? quod Æneas recens allatis armis a Vulcano & in terra poſitis miratur*

Terribilem criſtis galeam flammaſq. vomentem?

*Vultis aliam fruendi auiditatem videre. loci huius, cuius ſupra meminimus, fulgore correptus,*

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο. μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

*ſero voluit loquenti Ioui aſſignare parem reuerentiam. nam cum &*

*cum & in primo volumine & in quarto & in nono loquatur quædam Iupiter ſine tumultu, denique poſt Iunonis & Veneris iurgium inſit. eo dicente,*

Deum domus alta ſileſcit;
Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus æther.
Tum Zephyri poſuere. premit placida æquora pontus.

*tanquam non idem ſit, qui locutus ſit paulo ante ſine vllo mundi totius obſequio. Similis importunitas eſt in eiuſdem Iouis lance, quam ex illo loco ſumpſit:*

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

*nam cum iam de Turno prædixiſſet Iuno,*

Nunc iuuenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies & lux inimica propinquat;

*manifeſtumque eſſet Turnū vtique periturum; ſero tamen*

Iuppiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diuerſa duorum.

*Sed hæc & alia ignoſcenda Vergilio, qui ſtudij circa Homerum nimietate excedit modum. & re vera non poterat non in aliquibus minor videri, qui per omnem poeſim ſuam hoc vno eſt præcipue vſus archetypo. acriter enim in Homerum oculos intendit, vt æmularetur non modo magnitudinem ſed & ſimplicitatem & præſentiam orationis & tacitam maieſtatem. hinc diuerſarum inter heroas ſuos perſonarum varia magnificatio; hinc deorum interpoſitio; hinc auctoritas fabuloſorum; hinc affectuum naturalis expreſſio; hinc monumentorum perſecutio; hinc parabolarum exaggeratio; hinc torrentis orationis ſonitus; hinc rerum ſingularum cum ſplendore faſtigium.*

CAP.



## CAP. XIIII.

In tantum Vergilio dulcem fuiſſe imitationem Homeri, vt vitia quoque nonnulla æmulari voluerit. Tum quantopere illius ſit imitatus epitheta, cæteraque quæ gratiorem reddunt orationem.

ADEO *autem Vergilio Homeri dulcis imitatio eſt, vt & in verſibus vitia, quæ a nonnullis imperite reprehenduntur, imitatus ſit, eos dico quos Græci vocant ἀκεφάλους, λαγάρους, ὑπερκαταληκτικούς. quos hic quoque Homericum ſtylum approbans non refugit: vt ſunt apud ipſum,* ἀκέφαλοι: Arietat in portis.

Parietibus textum cæcis iter.

*& ſimilia.* Λαγαροὶ *autem, qui in medio verſu breues ſyllabas pro longis habent;*

& duros obice poſtes.
Conſilium ipſe pater & magna incepta Latinus.

ὑπερκαταληκτικοὶ *ſyllaba longiores ſunt;*

Quin protinus omnia:
Vulcano decoquit humorem. *&,*
Spumas miſcent argenti viuaque ſulphura. *&:*
Arbutus horrida.

*Sunt apud Homerum verſus vulſis ac raſis ſimiles & nihil differentes ab vſu loquendi. hos quoque tamquam heroice incomptos adamauit:*

Ἵπποις δ' ξανθὰς ἑκατὸν, καὶ πεντήκοντα
Θηλείας πάσας.
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.
Nudus in ignota Palinure iacebis harena.

*Sunt amœnæ repetitiones, quas non fugit: vt;*

Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicet ſe iudice victum.

*Homerica quoque epitheta quantum ſit admiratus, imitando*

*tando confeſſiu eſt* , Μοιρηγενὲς ὀλβιοδαίμων. Χαλκεοθωρήκων. Ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι. Θωρήκων νεοσμήκτων. Κυανοχαίταν. Ἐνοσίχθον. Ἐννοσίγαιος. Νεφεληγερέταο. Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα. Κυανόχροος; *& mille talium vocabulorũ; quibus velut ſideribus micat diuini carminis variata maieſtas. Ad hac a veſtro reſpondetur*, maleſuada fames, auricomi rami. centumgeminus Briareus. *adde &* fumiferam noctem, *& quicquid in ſingulis pæne verſibus diligens lector agnoſcit. Sæpe Homerus inter narrandum velut ad aliquem dirigit orationem:*

Φαίης κεν ζάκοτόν τινά ἔμμεναι ἄφρονά θ' αὔτως.
Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον.

*nec hoc Vergilius prætermiſit :*

Migrantes cernas totaque ex vrbe ruentes.
totumque inſtructo Marte videres
Feruere Leucaten. *&:*
Pelago credas innare reuulſas
Cycladas : *&:*
ſtudio in caſſum videas geſtire lauandi.

*item diuinus ille vates res vel paulo vel multo ante tranſactas oportune ad narrationis ſuæ ſeriem reuocat; vt & hiſtoricum ſtylum vitet non per ordinem dirigendo quæ geſta ſunt, nec tamen præteritorum nobis notionem ſubtrahat. Theben Aſiæ ciuitatem aliaſque plurimas Achilles antequam iraſceretur euerterat. ſed Homeri opus ab Achillis ira ſumpſit exordium. ne igitur ignoraremus quæ prius geſta ſunt, ſit eorum tempeſtiua narratio:*

Ὠχόμεθ' ἐς Θήβην ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος,
Τὴν δὲ διεπράθομέν τε, καὶ ἤγομεν ἐνθάδε πάντα.

*& alibi :*

Δώδεκα δὴ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων.
Πεζὸς δ' ἕνδεκά φημι κατὰ Τροίην ἐρίβωλον.

*item ne ignoraremus quo duce claſſis Græcorum ignotum ſibi*



*ſibi Troiæ litus inuenerit, cum de Calchante quereretur, ait:*

Καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω
Ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων.

*& ipſe Calchas narrat omen, quod Græcis nauigantibus de ſerpente paſſerum populatore contigerit. ex quo denuntiatum eſt exercitum annos decem in hoſtico futurum. alio loco ſenex, id eſt, referendis fabulis amica & loquax ætas res refert vetuſtas.*

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέ περ ὑμῖν
Ἀνδράσιν ὡμίλησα.

*& reliqua. & alibi:*

Εἴθ' ὡς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη.

*& ſequentia. Vergilius omne hoc genus pulcherrime æmulatus eſt.*

Nam memini Heſionæ viſentem regna ſororis
Laomedontiaden Priamum. *&:*
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire.

*&:*

Qualis eram cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Straui.

*& de furto vel pœna Caci tota narratio. nec vetuſtiſſima tacuit, quin & ipſa notitia noſtræ auctoris ſui imitator ingereret:*

Namq. ferunt luctu Cygnum Phaethontis amati.

*& ſimilia.*

## Cap. XV.

### Quæ diuerſitas catalogorum ſit apud Vergilium & Homerum.

VBI *vero enumerantur auxilia, quem Græci catalogum vocant, eundem auctorem ſuum conatus imitari, in nonnullis paululum a grauitate Homerica deuiauit. primum quod Homerus prætermiſſis Athenis ac Lacedæmone vel*

*nec vel ipſis Mycenis, vnde erat rector exercitus, Bœotiam in catalogi ſui capite locauit, non ob loci aliquam dignitatem, ſed notiſſimum promontorium ad exordium ſibi enumerationis elegit. vnde progrediens modo mediterranea modo maritima iuncta deſcribit. inde rurſus ad vtrumque ſitum cohærentium locorum diſciplina deſcribentis velut iter agentis accedit. nec vllo ſaltu cohærentiam regionum in libro ſuo hiare permittit; ſed obuiandi more procedens redit vnde digreſſus eſt & ita finitur quicquid enumeratio eius amplectitur. contra Vergilius nullum in commemorandis regionibus ordinem ſeruat, ſed locorum ſeriem ſaltibus lacerat. adducit primum Cluſio & Coſis Maſſicum. Abas hunc ſequitur manu Populoniæ Ilu&q. comitatus. poſt hos Aſilan miſerunt Piſæ quæ in quam longinqua ſint Etruriæ parte notius eſt quam vt annotandum ſit. inde mox redit Cære & Pyrgos, & Grauiſcas, loca vrbi proxima, quibus ducem Aſturem dedit. hinc rapit illū Cinirus ad Liguriam, Ocnus Mantuam. Sed nec in catalogo auxiliorum Turni ſi velis ſitum locorum mente percurrere inuenies illum continentiam regionum ſecutum. deinde Homerus omnes, quos in catalogo numerat, etiam pugnantes vel proſpera vel ſiniſtra ſorte commemorat: &, cum vult dicere occiſos quos catalogo non inſeruit, non hominis ſed multitudinis nomen inducit: & quotiens multam necem ſignificare vult, meſſem hominum factam eſſe dicit; nulli certum nomen facile extra catalogum vel addens in acie vel detrahens. Sed Maro noſter anxietatem huius obſeruationis omiſit. nam & in catalogo nominatos præterit in bello, & alios nominat ante non dictos. ſub Maſſico duce mille manus iuuenum veniſſe dixit,*

qui mœnia Cluſi,
Quique Coſas liquere.

*deinde Turnus naui fugit,*

Qua rex Cluſinis aduectus Oſinius oris;

*quem Oſinium nunquam antea nominauit. & nunc ineptum eſt regem ſub Maſſico militare. Præterea nec Maſſicus nec Oſinius in bello penitus apparet. ſed & illi quos dicit,*

fortemque Gyam, fortemque Sereſtum,
pulcher *quoque* Equicolus, *&*,
Mauortius Hæmon, *&*,
fortiſſimus Vmbro, *&*,
Virbius Hippolyti proles pulcherrima bello,

*nullum locum inter pugnantium agmina vel glorioſa vel turpi commemoratione meruerunt. Aſtur itemque Cupauo. & Cygnus inſignes Cygni Phaethontiſque fabulis nullam pugnæ operam præſtant; cum Aleſus & Sarato ignotiſſimi pugnent, & Atinas ante non dictus. deinde in his quos nominat fit ſæpe apud ipſum incauta confuſio. in nono Corinæum ſternit Aſilas. deinde in duodecimo Ebuſum Corinæus interficit.*

Obuius ambuſtum torrem Corinæus ab ara
Corripit, & venienti Ebuſo plagamque ferenti
Occupat os.

*ſic & Numam, quem Niſus occidit, poſtea Æneas perſequitur,* Fortemque Numam.

*Camertem in decimo Æneas ſternit. at in vndecimo,*

Iuturna formam aſſimulata Camertæ.

*Clorea in vndecimo occidit Camilla, in duodecimo Turnus. Palinurus Iaſides & Iapix Iaſides quæro an fratres ſint. Hyrtacides eſt Hippocoon, & rurſus*

Hyrtacides Corinæum ſternit Aſilas.

*ſed potuerunt duo vnum nomen habuiſſe. Vbi eſt illa in his caſibus Homeri cautio? apud quem cum duo Aiaces ſint modo dicit,* τελαμώνιος Αιας; *modo*

Οἰλῆος ταχὺς Αἴας.

*item alio:* ἶσον θυμὸν ἔχοντε ὁμώνυμοι.

*Nec deſinit quos iungit nomine, inſignibus ſeparare quæcogatur*

*gatur lector ſuſpiciones de varietate appellationis agitare. deinde in catalogo ſuo curauit Vergilius vitare faſtidium; quod Homerus alia ratione non cauit, eadem figura ſæpe repetita.*

οἱ δ' ἀσπληδόν' ἔναιον.
οἱ δ' εὔβοιαν ἔχον.
οἵ τ' ἄργος τ' εἶχον
οἵ τ' εἶχον κοίλην λακεδαίμονα κητώεσσαν.

*Hic autem variat velut dedecus aut crimen vitans repetitionem.*

Primus init bellum Tyrrhenis Aſper ab oris;
Filius huic iuxta Lauſus.
Poſt hos inſignem fama per gramina currum.
Tum gemini fratres.
Nec Præneſtinæ fundator.
At Meſapus equum domitor.
Ecce Sabinorum priſco de ſanguine.
Hic Agamemnonius.
Et te montoſæ.
Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos.
Ibat & Hippolyti proles.

*Has copias fortaſſe putat aliquis diuinæ illi ſimplicitati præferendas. ſed neſcio quo modo Homerum repetitio illa vnice decet; & eſt genio antiqui poëtæ digna, enumerationique conueniens: quod in loco mera nomina relaturus non incuruauit ſe neque minute torſit deducendo ſtylum per ſingulorum varietates; ſed ſtat in conſuetudine percenſentium tamquam per aciem diſpoſitos enumerans. quod non aliis quam numerorum fit vocabulis. & tamen egregie vbi oportet de nominibus ducum variat.*

Αὐτὰρ φωκήων σχεδίος καὶ ἐπίστροφος ἦρχον.
Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν Οἰλῆος ταχὺς Αἴας.
Νιρεὺς δ' αἰσύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας.





*Illam vero enumerationis congeſtionem apud Homerum Maro admiratus ita expreſſit, vt pæne eum dixerim elegantius tranſtuliſſe.*

Οἱ κνωσσόν τ' εἶχον, γόρτυνά τε τειχιόεσσαν
Λύκτον μίλητόν τε καὶ ἀργινόεντα λύκαστον
φαιστόν τε.

*Et ſimilia. ad quod exemplum illa Vergiliana ſunt:*

Agmina denſentur campis, Argiuaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, vetereſque Sicani,
Stant Gauranæ acies & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus Tiberine tuos ſacrumque Numici
Litus arant, Rutuloſque exercent vomere colles,
Circæumque iugum: quis Iupiter Anxuris aruis
Præſidet, *&c.*

## CAP. XVI.

Quæ in vtriuſque catalogis ſimilitudo, quam crebræ apud vtrumque ſententiæ. Tum in quibus ſiue caſu ſiue ſponte ab Homero Vergilius deſciſcat, & in quibus imitationem ipſam diſſimulet.

VTERQVE *in catalogo ſuo poſt difficilium rerum vel nominum narrationem infert fabulam cum verſibus amœnioribus, vt lectoris animus recreetur. Homerus inter enumeranda regionum & vrbium nomina facit locum fabulis quæ horrorem ſatietatis excludant.*

Οἱ δὲ πύλον τ' ἐνέμοντο, καὶ ἀρήνην ἐρατεινήν,
Καὶ θρύον ἀλφειοῖο πόρον, καὶ ἐΰκτιτον αἰπύ,
Καὶ κυπαρισσήεντα, καὶ ἀμφιγένειαν ἔναιον,
Καὶ πτελεὸν, καὶ ἕλος, καὶ δώριον, ἔνθα τε μοῦσαι
Ἀντόμεναι, θάμυριν τὸν θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς
Οἰχαλίηθεν ἰόντα παρ' εὐρύτου οἰχαλιῆος.
Στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι ἀείδοιεν κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο·

Αἱ δὲ, χολωσάμεναι, πηρὸν θέσαν αὐτὰρ ἀοιδὴν
Θεσπεσίην ἀφέλοντο, καὶ ἐκλέλαθον κιθαριστύν. *& alibi:*
Τῶν μὲν τληπόλεμος δουρικλυτὸς ἡγεμόνευεν
Ὃν τέκεν ἀστυόχεια βίῃ ἡρακληείῃ,
Τὴν ἄγετ' ἐξ ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο σελλήεντος.
Πέρσας ἄστεα πολλὰ διοτρεφέων αἰζηῶν.
Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ
Αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο φίλον μήτρωα κατέκτα
Ἤδη γηράσκοντα λικύμνιον, ὄζον ἄρηος.

*& reliqua, quibus protraxit iucunditatem. Vergilius in hoc ſecutus auctorem modo in priore catalogo modo de Auentino modo de Hippolyto fabulatur; in ſecundo Cygnus ei fabula eſt. & ſic amœnitas intertexta faſtidio narrationũ medetur. In omnibus vero Georgicorum libris hoc idem ſumma cum elegantia fecit. nam poſt præcepta, quæ natura res dura eſt, vt legentis animum vel auditum nouaret, ſingulos libros acciti extrinſecus argumenti interpoſitione concluſit, primum de ſignis tempeſtatum, de laudatione ruſticæ vitæ ſecundum; & tertius deſinit in peſtilentiam pecorum. quarti finis eſt de Orpheo & Ariſteo non otioſa narratio. ita in omni opere Maronis Homerica lucet imitatio. Homerus omnem poeſim ſuam ita ſententiis farſit, vt ſingula eius* ἀποφθέγματα *vicem prouerbiorum in omnium ore fungantur.*

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι.
Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.
Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.
Οἱ πλέονες κακίους.
Δειλαί τοι δειλῶν τε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι.
Ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.

*& alia plurima quæ ſententialiter proferuntur. nec hæc apud Vergilium fruſtra deſideraueris:*

Non omnia poſſumus omnes.
Omnia vincit amor.





Labor omnia vincit Improbus.
Vſque adeone mori miſerum eſt?
Stat ſua cuique dies.
Dolus an virtus quis in hoſte requirit?
Et quid quæque ferat regio & quid quæque recuſet.
Auri ſacra fames.

*& ne obtundam nota referendo, mille ſententiarum talium aut in ore ſunt ſingulorum aut obuiæ intentioni legentis occurrunt. In nonnullis ab Homerica ſecta haud ſcio caſune an ſponte deſciſcit. Fortunam Homerus neſcire maluit & ſoli deo quem* μοῖραν *vocat omnia regenda committit; adeo vt hoc vocabulum* τύχη *in nulla parte Homerici voluminis nominetur. contra Vergilius non ſolum nouit & meminit, ſed omnipotentiam quoque eidem tribuit; quam & philoſophi qui eam nominant nihil ſua vi poſſe, ſed decreti ſiue prouidentiæ miniſtram eſſe voluerunt. & in fabulis ſeu in hiſtoriis nonumquam idem facit. Ægeon apud Homerum auxilio eſt Ioui. hunc contra Iouem armant verſus Maronis. Eumedes Dolonis proles bello præclara animo manibuſque parentem refert; cum apud Homerum Dolon imbellis ſit. nullam commemorationem de Iudicio Paridis Homerus admittit. idem vates Ganymedem non vt Iunonis pelicem a Ioue raptum, ſed Iouialium poculorum miniſtrum in cælum a diis aſcitum refert, velut* θεοπρεπῶς. *Vergilius tantam deam, quod cuiuis de honeſtis feminæ deforme eſt, velut ſpecie victam Paride iudicante doluiſſe, & propter catamiti pelicatum totam gentem eius vexaſſe commemorat. Interdum ſic auctorem ſuum diſſimulanter imitatur, vt loci inde deſcripti ſolam diſpoſitionem mutet, & faciat velut aliud videri. Homerus ingenti ſpiritu ex perturbatione terræ ipſum Ditem patrem territum proſilire, & exclamare quodammodo facit.*

Δεινὸν δ' ἐβρόντησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε

Ὑψόθεν· αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε
Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.
Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπιδάκου ἴδης,
Καὶ κορυφαί· Τρώων τε πόλις καὶ νῆες Ἀχαιῶν.
Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς.
Δείσας δ', ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε μή οἱ ὕπερθε
Γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων.
Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
Σμερδαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.

*Hoc Maro non narrationis ſed parabolæ loco poſuit vt aliud eſſe videretur;*

Non ſecus ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, diis inuiſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine Manes.

*Hoc quoque diſſimulando ſurripuit. nam cum ille dixiſſet deos ſine labore viuere,* θεοὶ ῥεῖα ζώοντες: *hoc idem dixit occultiſſime;*

Di Iouis in tectis caſum miſerantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus eſſe labores.

*quibus ipſi ſcilicet carent.*

## CAP. XVII.

Non ſatis apte Vergilium feciſſe initium belli inter Troianos & Latinos. Inde, quæ ex Apollonio & Pindaro traduxerit: quamque Græcorum cum vocabulis tum inflexione etiam ſit delectatus.

QVID *Vergilio contulerit Homerus hinc maxime liquet, quod vbi rerum neceſſitas exegit a Marone diſpoſitionem inchoandi belli quam non habuit Homerus (quippe qui Achillis iram exordium ſibi fecerit, quæ decimo demum belli anno contigit) laborauit ad rei nouæ partum;*

*ceruum*



*ceruum fortuito ſaucium fecit cauſam tumultus. ſed vbi vidit hoc leue nimiſque puerile, dolorem auxit agreſtium vt impetus eorum ſufficeret ad bellum. Sed nec ſeruos Latini & maxime ſtabulo regio curantes, atque ideo quid fœderis cum Troianis Latinus icerit ex muneribus equorum & currus iugalis non ignorantes, bellum generi deum oportebat inferre. quid igitur? deorum maxima deducitur e cælo, & maxima Furiarum de tartaris adſciſcitur: ſparguntur angues velut in ſcena parturientes furorem: regina non ſolum de penetralibus reuerentiæ matronalis educitur, ſed & per vrbem mediam cogitur facere diſcurſus: nec hoc contenta ſiluas petit, accitis reliquis matribus in ſocietatem furoris. Bacchatur chorus quondam pudicus, & orgia inſana celebrantur. quid plura? Maluiſſem Maronem & in hac parte apud auctorem ſuum vel apud quemlibet Græcorum alium, quod ſequeretur habuiſſe. Alium non fruſtra dixi: quia non de vnius racemis vindemiam ſibi fecit: ſed bene in rem ſuam vertit quicquid vbicumque inuenit imitandum: adeo, vt de Argonauticorum quarto, quorum ſcriptor eſt Apollonius, librum Æneidos ſuæ quartum totum pæne formauerit ad Didonem vel Æneam amatoriam continentiam Medeæ circa Iaſonem transferendo. quod ita elegantius auctore digeſſit; vt fabula laſciuientis Didonis, quam falſam nouit vniuerſitas, per tot tamen ſæcula ſpeciem veritatis obtineat, & ita pro vero per ora omnium volitet; vt pictores fictoreſque & qui figmentis liciorum contextas imitantur effigies hac materia vel maxime in efficiendis ſimulacris tamquam vnico argumento decoris vtantur: nec minus hiſtrionum perpetuis & geſtibus & cantibus celebretur. tantum valuit pulchritudo narrandi, vt omnes Phœniſſæ caſtitatis conſcij nec ignari manum ſibi inieciſſe reginam, ne pateretur damnum pudoris, conniueant tamen fabulæ; & intra conſcientiam veri fidem prementes malint*

 *pro vero*

*pro vero celebrari, quod pectoribus humanis dulcedo ſingentis infudit. Videamus vtrum attigerit & Pindarum, quem Flaccus imitationi inacceſſum fatetur. & minuta quidem atque rorantia, quæ inde ſubtraxit, relinquo. vnum vero locum, quem tentauit ex integro pene tranſcribere, volo communicare vobiſcum: quia dignus eſt vt eum velimus altius intueri. Cum Pindari carmen, quod de natura atque flagrantia montis Ætnæ compoſitum eſt, æmulari vellet: eiuſmodi ſententias & verba molitus eſt vt Pindaro quoque ipſo, qui nimis opima & pingui facundia exiſtimatus eſt, inſolentior hoc quidem in loco tumidiorque ſit. atque vti vosmetipſos eius, quod dico, arbitros faciam, carmen Pindari quod eſt ſuper monte Ætna, quantulum mihi eſt memoriæ, dicam.*

Τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
Ἐκ μυχῶν παγαί. ποταμοὶ
Δ' ἁμέραισι μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
Αἴθων', ἀλλ' ἐν ὄρφναισι πέτρας
Φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ-
αν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ
Κεῖνο δ' ἁφαίστοιο κρουνοὺς, ἑρπετὸν
Δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει, τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέ-
σθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόν-
των ἀκοῦσαι.

*Audite nunc Vergilij verſus, vt inchoaſſe eum verius quam perfeciſſe dicatis:*

Portus ab acceſſu ventorum immotus & ingens
Ipſe: ſed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo & candente fauilla;
Attollitque globos flammarum & ſidera lambit,
Interdum



Interdum ſcopulos auulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.

*In principio Pindarus veritati obſecutus dixit quod res erat quodque illic oculis deprehenditur, interdiu fumare Ætnam, noctu flammigare. Vergilius autem dum in ſtrepitu ſonituque verborum conquirendo laborauit vtrumque tempus nulla diſcretione facta confudit. atque ille Græcus quidem fontes imitus ignis eructare & fluere amnes fumi & flammarum fulua & tortuoſa volumina in plagas maris ferre quaſi quoſdam igneos angues luculente dixit. at hic veſter atram nubem turbine piceo & fauilla fumante, ῥόον καπνοῦ αἴθωνα, interpretari volens craſſe & immodice congeſſit; globos quoque flammarum, quod ille κρουνοὺς dixerat, duriter poſuit & ἀκύρως. hoc vero vel inenarrabile eſt. quod nubem atram fumare dixit turbine piceo & fauilla candente. non enim fumare ſolent neque atra eſſe quæ ſunt candentia; niſi forte* candente *dixit peruulgate & improprie pro feruenti, non pro relucenti. nam candens ſcilicet a candore dictum non a calore. Quod autem ſcopulos eructari & erigi eoſdemque ipſos ſtatim liquefieri & gemere atque glomerari ſub auras dixit, hoc nec a Pindaro ſcriptum neque vnquam fando auditum, & omnium quæ monſtra dicuntur monſtruoſiſſimum eſt.*

*Poſtremo Graiæ linguæ quam ſe libenter addixerit de crebris quæ vſurpat vocabulis æſtimate.*

dius Vlyſſes.
ſpelæa ferarum.
dædala tecta.
Rhodopeiæ arces.
altaque Panchæa.
Atque Getæ, atq. Hebrus, & Actias Orithyia. &
Thyas vbi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia,

Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cytheron. &:
Non tibi Tyndaridis facies inuiſa Lacænæ. &:
Ferte ſimul Faunique pedē Dryadeſq. puellæ. &:
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. &:
Pars pedibus plaudunt choreas. &:
Mileſia vellera nymphæ
Carpebant hyali ſaturo fucata colore. &:
Drymoque Xantoque Lygeaque Phyllodoceque
Niſeque Spioque Thaliaque Cymodoceque. &:
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytaninque. &:
Amphion Dyrcæus in Actaeo Aracintho
Et ſenior Glauci chorus, Inouſque Palæmon.

*Verſus eſt Partheny, quo grammatico in Græcis Vergilius vſus eſt:*

Γλαύκω ϰὴ νηρεῖ ϰὴ ἰνώῳ μελικέρτῃ.

*hic ait:*

Glauco, & Panopeæ & Inoo Melicertæ. &:
Tritoneſque citi. &:
immania cete.

*Adeo autem & declinationibus Græcis delectatur vt* Mneſthea *dixerit pro* Mneſtheum. *ſicut ipſe alibi*: Nec fratre Mneſtheo. *& pro* Orpheo *dicere maluerit Orphi Græce declinando: vt;*

Orphi Calliopea, Lino formoſus Apollo. &:
Vidimus o ciues Diomeden.

*& talium nominum accuſatiuus Græcus eſt in* en *deſinens. nam ſi quis eum putat Latine dixiſſe Diomedem; ſanitas metri in verſu deſiderabitur. denique omnia carmina ſua Græce maluit inſcribere;* Bucolica, Georgica, Æneis. *cuius nominis figuratio a regula Latinitatis aliena eſt.*

CAP.



## CAP. XVIII.

Quæ Vergilius tam occulte a Græcis traduxerit, vt vix vnde ducta ſint poſſit agnoſci.

SED *de his hactenus: quorum plura omnibus, aliqua nonnullis Romanorum nota ſunt. ad illa venio, quæ de Græcarum litterarum penetralibus eruta nullis cognita ſunt, niſi qui Græcam doctrinam diligenter hauſerunt. fuit enim hic poeta vt ſcrupuloſe & anxie ita diſſimulanter & clanculo doctus, vt multa trāſtulerit, quæ vnde tranſlata ſint difficile ſit cognitu. In exordio Georgicorū poſuit hos verſus:*

Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta,
Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis.

*Nihil in his verſibus grammaticorum cohors diſcipulis ſuis amplius tradidit, niſi illud opera Cereris effectum vt homines ab antiquo victu deſiſterent & frumento pro glandibus vterentur: Liberum vero vitis repertorem præſtitiſſe humano potui vinum, cui aqua admiſceretur. Cur autem Acheloum amnem potiſſimum Vergilius, cum aquam vellet intelligi, nominarit nemo vel quærit vel omnino ſubeſſe aliquid eruditius ſuſpicatur. nos id altius ſcrutati animaduertimus doctum poetam, antiquiſſimorum Græcorum more, ſicut docebit auctoritas, elocutum; apud quos proprie in aquæ ſignificationem ponebatur Achelous. neque id fruſtra. nam cauſa quoque eius rei cum cura relata eſt. Sed priuſquam cauſam proponam, illud antiquo poeta teſte monſtrabo, hunc morem loquendi peruagatum fuiſſe vt Acheloum pro quauis aqua dicerent. Ariſtophanes vetus comicus in comœdia Cocalo ſic ait:*

Ημκν ἄγειον βάρ۞.
Ητειρεν γάρ τοι μ' οἶν۞ ὀ μιγεὶς πόμα.
Αχελώῳ.

grauabar,

*grauabar, inquit vino, cui aqua non fuiſſet admixta, id eſt, mero. Cur autem ſic loqui ſoliti ſint Ephorus notiſſimus ſcriptor hiſtoriarum libro ſecundo oſtendit his verbis:*

Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ποταμοῖς οἱ πλησιόχωροι μόνον θύουσιν. τὸν δὲ Ἀχελῷον μόνον πάντας ἀνθρώπους συμβέβηκεν τιμᾶν, οὐ τοῖς κοινοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν ἰδίων τοῦ Ἀχελῴου τὴν ἰδίαν ἐπωνυμίαν ἐπὶ τὸ κοινὸν μεταφέροντας. τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ ὅλως, ὅπερ ἐστὶν κοινὸν ὄνομα, ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐκείνου προσηγορίας Ἀχελῷον καλοῦμεν, τῶν δὲ ἄλλων ὀνομάτων τὰ κοινὰ πολλάκις ἀντὶ τῶν ἰδίων ὀνομάζομεν, τοὺς μὲν Ἀθηναίους, Ἕλληνας, τοὺς δὲ Λακεδαιμονίους, Πελοποννησίους ἀποκαλοῦντες. τούτου δὲ τοῦ ἀπορήματος οὐδὲν ἔχομεν αἰτιώτατον εἰπεῖν, ἢ τοὺς ἐκ Δωδώνης χρησμούς. σχεδὸν γὰρ ἐφ᾽ ἅπασιν αὐτοῖς προστάττειν ὁ θεὸς εἴωθεν, Ἀχελῴῳ θύειν. ὥστε πολλοὶ νομίζοντες οὐ τὸν ποταμὸν τὸν διὰ τῆς Ἀκαρνανίας ῥέοντα, ἀλλὰ τὸ σύνολον ὕδωρ Ἀχελῷον ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ καλεῖσθαι, ἰδιοῦνται τὰς τοῦ θεοῦ προσηγορίας. σημεῖον δὲ ὅτι πρὸς τὸ θεῖον ἀναφέροντες, οὕτω λέγειν εἰώθαμεν. μάλιστα γὰρ τὸ ὕδωρ Ἀχελῷον προσαγορεύομεν ἐν τοῖς ὅρκοις, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς, καὶ ἐν ταῖς θυσίαις ἅπερ πάντα περὶ τοὺς θεούς.

*Poteſt ne lucidius oſtendi Acheloum Græcis vetuſtiſſimis pro quacumque aqua dici ſolitum? vnde doctiſſime Vergilius ait vinum Acheloo Liberum patrem miſcuiſſe. ad quam rem & ſi ſatis teſtium eſt cum Ariſtophanis comici & Ephori hiſtorici verba prodiderimus, tamē vltra progrediemur. Didymus enim grammaticorū facile eruditiſſimus poſita cauſa quam ſuperius Ephorus dixit alteram quoque adiecit his verbis:*

Ἄμεινον δὲ ἐκεῖνο λέγειν, ὅτι διὰ τὸ πάντων τῶν ποταμῶν πρεσβύτατον εἶναι Ἀχελῷον, τιμὴν ἀπονέμοντας αὐτῷ τοὺς ἀνθρώπους πάντα ἁπλῶς τὰ νάματα τῷ ἐκείνου ὀνόματι προσαγορεύειν. ὁ γοῦν Ἀγησίλαος διὰ τῆς πρώτης ἱστορίας δεδήλωκεν ὅτι Ἀχελῷος πάντων τῶν ποταμῶν πρεσβύτατος. ἔφη γάρ, Ὠκεανὸς δὲ γαμεῖ Τηθύν, ἑαυτοῦ ἀδελφήν. τῶν δὲ γίνονται τρισχίλιοι ποταμοί. Ἀχελῷος δὲ αὐτῶν πρεσβύτατος, καὶ τετίμηται μάλιστα.

*Licet*



*Licet abunde iſta ſufficiant ad probationem moris antiqui, quo ita loquendi vſus fuit vt Achelous commune omnis aquæ nomen haberetur; tamen his quoque & id Euripidis nobiliſſimi tragœdiarum ſcriptoris addetur auctoritas: quam idem Didymus grammaticus in his libris quos* τραγῳδουμένης λέξεως *ſcripſit, poſuit his verbis:* Ἀχελῷον πᾶν ὕδωρ Εὐριπίδης φησὶν ἐν Ὑψιπύλῃ. λέγων γὰρ περὶ ὕδατος ὄντος σφόδρα πόῤῥω τῆς Ἀκαρνανίας, (ἐν ᾗ ἐστὶ ποταμὸς Ἀχελῷος) φησὶ

Δείξω μὲν ἀργείοισιν Ἀχελῴου ῥόον.

*Sunt in libro ſeptimo illi verſus, quibus Hernici populi & eorum nobiliſſima, vt tunc erat ciuitas, Anagni enumerantur,*

Quos diues Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater: non illis omnibus arma,
Nec clypei currus ve ſonant, pars maxima glandis
Liuentis plumbi ſpargit; pars ſpicula geſtat
Bina manu; fuluoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.

*Hunc morem in Italia fuiſſe vt vno pede calceato altero nudo iretur ab bellū nuſquam adhuc quod ſciam reperi. ſed eam Græcorum nonnullis conſuetudinem fuiſſe locupleti auctore iam palam faciam. in qua quidem re mirari eſt poetæ huius occultiſſimam diligentiam. qui cum legiſſet Hernicos, quorum eſt Anagnia, a Pelaſgis oriundos appellatoſque ita a Pelaſgo quodam duce ſuo qui Hernicus nominabatur, morem quem de Ætolia legerat Hernicis aſſignauit, qui ſunt vetus colonia Pelaſgorum. Et Hernicum quidem hominem Pelaſgum ducem Hernicis fuiſſe Iulius Higinus in libro ſecundo vrbium non paucis verbis probat. morem vero Ætolis fuiſſe vno tantummodo pede calceato in bellum ire oſtendit clariſſimus ſcriptor Euripides tragicus: in cuius tragœdia, quæ Meleager inſcribitur, nuncius inducitur deſcribens quo quiſque habitu fuerit ex ducibus qui ad aprum capiendum*

*piendum conuenerant. in eo hi verſus ſunt;*

Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι
Πρόβλημα θηρὸς, βότρυσι δ' ἔστεψεν κάρα,
Σαλαμῖνα κοσμῶν πατρίδα τὴν εὐδαίμονα.
Κύπριδος δὲ μίσημ' Ἀρκὰς Ἀταλάντη κύνας,
Καὶ τόξ' ἔχουσα, πελέκεως δὲ δίστομον
Γένυ, πέπλ' ἀλλακάτου. οἱ δὲ Θεστίου
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς,
Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.

*animaduertis diligentiſſime verba Euripidis a Marone ſeruata? ait enim ille:*

τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός.

*& eundem pedem nudum Vergilius quoque dixit;*

veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis.

*in qua quidem re, quo vobis ſtudium noſtrum magis comprobetur, non reticebimus rem pauciſſimis notam: reprehenſum Euripidem ab Ariſtotele, qui ignorantiam iſtud Euripidis fuiſſe contendit: Ætolos enim non læuum pedem habere nudum ſed dextrum. quod ne affirmem potius quam probem ipſa Ariſtotelis verba ponam ex libro quem de poetis ſecundo ſubſcripſit. in quo de Euripide loquens ſic ait:* Τοὺς δὲ Θεστίου κούρους τὸν μὲν ἀριστερὸν πόδα φησὶν Εὐριπίδης ἐλθεῖν ἔχοντας ἀνυπόδετον. λέγει γοῦν ὅτι.

Τὸ λαιὸν ἴχνος ἦσαν ἀνάρβυλοι ποδὸς,
Τὸν δ' ἐν πεδίλοις ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν. ὡς δὴ πᾶν τοὐναντίον ἔθος
Τοῖς Αἰτωλοῖς.

τὸν μὲν γὰρ ἀριστερὸν ὑποδέδενται, τὸν δὲ δεξιὸν ἀνυποδετοῦσιν. δεῖ γὰρ οἶμαι τὸν ἡγούμενον ἔχειν ἐλαφρὸν, ἀλλ' οὐ τὸν ἐμμένοντα. *Cum hæc ita ſint: videtis tamen Vergilium Euripide auctore quam Ariſtotele vti maluiſſe. nam vt hæc ignorauerit vir tam*



*vir tam anxiè doctus minimè crediderim. iure autem prætulit Euripiden. eſt enim ingens ei cum Græcarum tragœdiarum ſcriptoribus familiaritas: quod vel ex præcedentibus licet vel ex his quæ mox dicentur opinari.*

## CAP. XIX.

### De aliis locis quos Vergilius a Græcis ſumpſit, quarto & nono Æneidos.

IN *libro quarto in deſcribenda Eliſæ morte ait quod ei crinis abſciſus eſſet, his verſibus:*

Nondum illi flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnauerat orco.

*deinde Iris a Iunone miſſa abſcidit ei crinem & ad orcum fert. Hanc Vergilius non de nihilo fabulam fingit, ſicut vir alias doctiſſimus, Cornutus exiſtimat. qui adnotationem eiuſmodi appoſuit his verſibus:* Vnde hæc hiſtoria, vt crinis auferendus ſit morientibus, ignoratur. ſed aſſueuit poëtico more aliqua fingere, vt de aureo ramo. *hæc Cornutus. Sed me pudet quod tantus vir Græcarum etiam doctiſſimus litterarum ignorauit Euripidis nobiliſſimam fabulam Alceſtim. in hac enim fabula in ſcenam Orcus inducitur gladium geſtans, quo crinem abſcidat Alceſtidis & ſic loquitur;*

Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅδου δόμους.
Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

*Proditum eſt, vt opinor, quem ſecutus Vergilius fabulam abſcidendi crinis induxerit,* ἁγνίσαι *autem Græce dicunt diis conſecrare; vnde poëta veſter ait ex Iridis perſona:*

hunc ego Diti
Sacrum iuſſa fero, teque iſto corpore ſoluo.

*Nunc quia pleraque omnia, quæ ſupra dixi, inſtructa auctoritate tragicorum probaui; id quoque, quod a Sophocle tractum*

*tractum eſt, annotabo. in libro enim quarto Vergilius Eliſſam facit, poſtquam ab Ænea relinquitur, velut ad ſacricolarum ſagarumque carmina & deuotiones fugientem, & inter cetera ait ſedandi amoris gratia herbas quæſitas, quæ æneis falcibus ſecarentur. Hæc res nonne quæſtione digna eſt vnde Vergilio æneæ falces in mentem venerint? ponam itaque Vergilianos verſus, mox & inde Sophoclis quos Maro æmulatus eſt.*

Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur aënis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

*Sophocli autem tragœdia id, de quo quærimus, etiam titulo præfert. inſcribitur enim ῥιζοτόμοι, in qua Medeam deſcribit maleficas herbas ſecantem, ſed auerſam, ne vi noxij odoris ipſa interficeretur, & ſuccum quidem herbarum in cados æneos refundentem, ipſas autem herbas æneis falcibus exſecantem. Sophoclis verſus hi ſunt:*

Ἡ δ' ἐξοπίσω χερὸς ὄμμα τρέπουσα
Ὀπὸν ἀργινεφῆ στάζοντα τομῆς
Χαλκέοισι κάδοις δέχεται.

*& paulo poſt:*

Αἱ δὲ καλύπτραι κίστης ῥιζῶν κρύπτουσι τομὰς,
Ἃς ἥδε βοῶσα ἀλαλαζομένη γυμνὴ
Χαλκέοισιν ἤμα δρεπάνοις τομάς.

*hæc Sophocles. quo auctore ſine dubio Vergilius protulit æneas falces. Omnino autem ad rem diuinam pleraq. ænea adhiberi ſolita multa indicio ſunt; & in his maximè ſacris, quibus delinire aliquos aut deuouere aut denique exigere morbos volebant. taceo illud Plautinum cum ait:*

Mecum habet patagus, æs, morbus,

*& quod alibi Vergilius:*

Curetum ſonitus crepitantiaque æra.

*Sed Carminij curioſiſſimi & docti verba ponam. qui in libro de Italia ſecundo ſic ait:* Prius itaq. & Tuſcos æneo vomere



vomere vti, cum conderentur vrbes, ſolitos in Tageticis eorum ſacris inuenio; & in Sabinis ex ære cultros, quibus ſacerdotes tonderentur. *Poſt hæc Carminij verba, longum fiat, ſi velim percenſere, quam multis in locis Græcorum vetuſtiſſimi æris ſonos tamquam rem validiſſimam adhibere ſoliti ſunt. ſed præſenti operi docuiſſe nos ſufficiat falces æneas Maronis exemplo Græci auctoris inductas. In libro nono Vergilius poſuit hos verſus:*

Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem & ferrugine clarus Ibera,
Inſignis facie; genitor quem miſerat Arcens
Eductum matris luco Symetia circum
Flumina, pinguis vbi & placabilis ara Palici.

*quis hic Palicus deus vel potius qui dij Palici (nam duo ſunt) apud nullum penitus auctorem Latinum quod ſciam reperi. ſed de Græcorum penitiſſimis litteris hanc hiſtoriam eruit Maro. nam primum vt Symetus fluuius, cuius in his verſibus meminit, in Sicilia eſt; ita & dij Palici in Sicilia coluntur; quos primum omnium Æſchylus tragicus vir vtique Siculus in litteras dedit. interpretationem quoque nominis eorum, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, expreſſit verſibus ſuis. ſed, priuſquam verſus Æſchyli ponam, paucis explananda eſt hiſtoria Palicorum. In Sicilia Symetus fluuius eſt. iuxta hunc Nympha Thalia compreſſu Iouis grauida, metu Iunonis optauit vt ſibi terra dehiſceret. factum eſt. ſed vbi venit tempus maturitatis infantum, quos aluo illa geſtauerat, recluſa terra eſt, & duo infantes de aluo Thaliæ progreſſi emerſerunt; appellatique ſunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι; quoniam prius in terram merſi, denuo inde reuerſi ſunt. nec longè inde lacus breues ſunt, ſed in immenſum profundi, aquarum ſcaturigine ſemper ebullientes, quos incolæ crateras vocant, & nomine dellos appellant; fratreſque eos Palicorum æſtimant: & habentur in*

 cultu

cultu maximo: præcipueque circa exigendum iuxta eos iuſiurandum præſens & efficax numen oſtẽditur. nam, cum furti negati vel eiuſcemodi rei fides quæritur, & iuſiurandum a ſuſpecto petitur, vterque ab omni contagione mundi ad crateras accedunt, accepto prius fideiuſſore a perſona quæ iuratura eſt, de ſoluendo eo quod peteretur, ſi addixiſſet euentus. illic inuocato loci numine teſtatum faciebat eſſe iurator, de quo iuraret. quod ſi fideliter faceret; diſcedebat illæſus: ſi vero ſubeſſet iuriiurando mala conſcientia; mox in lacu amittebat vitam falſus iurator. Hæc res ita religionem fratrum commendabat, vt crateræ quidem implacabiles, Palici autem placabiles vocarentur. Nec ſine diuinatione eſt Palicorum templum. nam, cum Siciliam ſterilis annus areſeciſſet, diuino Palicorum reſponſo admoniti Siculi heroi cuidam certum ſacrificium celebrauerant: & reuertit vbertas. qua gratia Siculi omne genus frugum congeſſerunt in aram Palicorum. ex qua vbertate ara ipſa pinguis vocata eſt. Hæc eſt omnis hiſtoria, quæ de Palicis eorumque fratribus in Græcis tantummodo litteris inuenitur, quas Maro nõ minus quam Latinas hauſit. Sed hæc quæ diximus auctoritatibus approbanda ſunt. Æſchyli tragœdia eſt, quæ inſcribitur Ætna. in hac cum de Palicis loqueretur ſic ait:

Τί δῆθεν αὐτοῖς ὄνομα τίθενται βροτοί;
Σεμνοὺς Παλικοὺς Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν,
Ἡ καὶ Παλικῶν εὐλόγως μένει φάτις;
Πάλιν γὰρ ἵκουσ' ἐκ σκότους τόδ' ἐς φάος.

hæc Æſchylus. Callias autem in ſeptima hiſtoria de rebus Siculis ita ſcribit: Ἡ δὲ Ἐρύκη τῆς μὲν Γελῴας ὅσον ἐνενήκοντα στάδια διέστηκεν. ἐπιεικῶς δὲ χερρός ἐστιν τό τ' ὄρος καὶ τὸ παλαιὸν Σικελῶν γεγενημένη πόλις, ὑφ' ἣ καὶ τοὺς Δείλλους καλουμένους εἶναι συμβέβηκεν. οὗτοι δὲ κρατῆρες δύο εἰσὶν, οὓς ἀδελφοὺς τῶν Παλικῶν οἱ Σικελιῶται νομίζουσιν. τὰς δὲ ἀναφορὰς τῶν πομφολύγων παραπλησίας βραζούσαις ἔχουσιν. hactenus Callias. Polemon



lemon vero, in libro qui inſcribitur περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν, ſic ait: οἱ δὲ Παλικοὶ προσαγορευόμενοι παρὰ τοῖς ἐγχωρείοις, αὐτόχθονες θεοὶ νομίζονται, ὑπάρχουσιν δὲ τούτων ἀδελφοὶ κρατῆρες χαμαίζηλοι. προσιέναι δὲ ἁγιστεύοντας χρὴ πρὸς αὐτοὺς ἀπό τε παντὸς ἄγους καὶ συνουσίας, ἔν τε κοινῶν ἐνδυμάτων. φέρεται δὲ ἀπ' αὐτῶν ὀσμὴ βαρεῖα θείου, καὶ τοῖς πλησίον ἱσταμένοις καρηβάρησιν ἐμπιποῦσα δεινήν. τὸ δὲ ὕδωρ ἐστὶ θολερὸν αὐτῶν, καὶ τὴν χρόαν ὁμοιότατον χαμαὶ ῥύπῳ λευκῷ. φέρεται δὲ κολπούμενόν τε καὶ παφλάζον, οἷαί εἰσιν αἱ δῖναι τῶν ζεόντων ἀναβολάδην ὑδάτων. φασὶν δ' εἶναι καὶ τὸ βάθος ἀπέραντον τῶν κρατήρων τούτων, ὥστε καὶ βοῦς εἰσπεσόντας ἠφανίσθαι καὶ ζεῦγος ὀρικὸν ἐλαυνόμενον, ἔτι δὲ φορβάδας ἐναλλομένας. ὅρκος δέ ἐστιν τοῖς Σικελιώταις μέγιστος καθηραμένων τῶν προσκληθέντων. οἱ δὲ ὁρκωταὶ γραμματεῖον ἔχοντες ἀπαγορεύουσιν τοῖς ὁρκουμένοις περὶ ὧν ἀπαιτήσουσι τὸν ὅρκον. ὁ δὲ ὁρκούμενος θαλλὸν κραδαίνων, ἐστεμμένος, ἄζωστος καὶ μονοχίτων, ἐφαπτόμενος τοῦ κρατῆρος ἐξ ὑποβολῆς δίεισι τὸν ὅρκον. καὶ ἂν μὲν ἐμπεδώσῃ τοὺς ῥηθέντας ὅρκους, ἀσινὴς ἄπεισιν οἴκαδε. παραβάτης δὲ γενόμενος τῶν θεῶν ἐμποδὼν τελευτᾷ. τούτων δὲ γινομένων ἐγγυητὰς ὑπισχνοῦνται καταστήσειν τοῖς ἱερεῦσιν, ἐάν τι νεαρὸν γένηται κάθαρσιν ὀφλισκάνουσιν τοὺς περιγινομένους. περὶ δὲ τὸν τόπον τοῦτον ᾤκησε Παλικηνοὶ πόλιν ἐπώνυμον τούτων τῶν δαιμόνων Παλικηνήν. hæc Polemon. Sed & Xenagoras in tertia hiſtoria ſua de loc[i] diuinatione ita ſcribit: Καὶ οἱ Σικελοὶ τῆς γῆς ἀφορούσης ἔθυσαν τινὶ ἥρωϊ προστάξαντος αὐτοῖς τοῦ ἐκ Παλικῶν χρηστηρίου, καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλικῶν ἐνέπλησαν. Abſoluta eſt æſtimo & auctoribus idoneis aſſerta explanatio Vergiliani luci; quem litteratores noſtri nec obſcurum putant, contenti vel ipſi ſcire vel inſinuare diſcipulis Palicum dei eſſe cuiuſdam nomen. quid ſit autem deus iſte vel vnde ſit dictus tam neſciunt quam ſcire nolunt; quia nec vbi quærant ſuſpicantur quaſi Græcæ lectionis expertes.

## CAP. XX.

### De Gargaris & Myſia, ex primo Georgicon.

NEC illos verſus relinquemus intactos, qui ſunt in primo Georgicon:

Humida ſolſtitia atque hiemes orate ſerenas,
Agricolæ, hiberno lætiſſima puluere farra.
Lætus ager; nullo tantum ſe Myſia cultu
Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

ſenſus hic cum videatur obſcurior pauloq. perplexius quam poëtæ huius mos eſt pronuntiatus, tamen habet in ſe animaduertendam quæſtionem ex Græca antiquitate venientem; quæ ſint iſta Gargara quæ Vergilius eſſe voluit fertilitatis exemplar. Gargara hæc igitur ſunt in Myſia, quæ eſt Helleſponti prouincia. ſed ſignificatio nominis & loci duplex eſt. nam & cacumen montis Idæ & oppidum ſub eodem monte hoc nomine vocantur. Homerus ſignificationem cacuminis ita ponit:

Ἴδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν
Γάργαρον.

hic Gargarum pro excelſiſſimo montis loco accipi conuenire & ipſe ſenſus indicium facit. nam de Ioue loquitur. ſed & alibi eodem Homero teſte manifeſtius exprimitur:

Ὡς ὁ μὲν ἀτρέμας εὗδε πατὴρ ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῳ.

& Epicharmus vetuſtiſſimus poëta in fabula, quæ inſcribitur, Troës, ita poſuit:

Ζεὺς ἄναξ ναίων Γάργαρ' ἀγάννιφα.

ex his liquido claret Gargara cacumen Idæ montis appellitari. pro oppido autem Gargara qui dixerint enumerabo. Ephorus notiſſimus hiſtoriarum ſcriptor in libro quinto ſic ait:

Μετὰ δὲ τὴν Ἄσσον ἐστὶ Γάργαρα πλησίον πόλις. nec Ephorus ſolus, ſed etiam Phileas vetus ſcriptor in eo libro qui inſcribitur



ſcribitur Aſia, ita meminit; Μετὰ Ἄσσον πόλις ἐστὶν ὄνομα Γάργαρα. ταύτης ἔχεται Ἀντανδρος.

Arati etiam liber fertur elegion: in quo de Diotimo quodam poëta ſic ait;

Αἰάζω Διότιμον, ὃς ἐν πέτρῃσι κάθηται
Γαργαρέων παισὶν βῆτα καὶ ἄλφα λέγων.

ex his verſibus etiam ciuium nomen innotuit; quia Gargares vocantur. Cum igitur conſtet Gargara nunc pro montis cacumine nunc pro oppido ſub eodem monte poſito accipienda: Vergilius non de ſummo monte ſed de oppido loquitur. cur tamen Gargara poſuerit vt locum frugum feracem requiramus. & omnem quidem illam Myſiam opimis ſegetibus habitam ſatis conſtat, ſcilicet ob humorem ſoli. vnde & Vergilius in ſupradictis verſibus cum dixiſſet,

Humida ſolſtitia,

intulit:

Nullo tantum ſe Myſia cultu —— Iactat.

atque diceret: Omnis regio quæ opportunos habuerit humores æquiperabit fecunditates aruorum Myſiæ. ſed Homerus cum ait;

Ἴδην δ' ἵκανε πολυπίδακα,

humidum deſignat ſubiacentem monti agrum. nam πολυπίδακα ſignificat fontibus abundantem. vnde hæc Gargara tanta frugum copia erant, vt, qui magnum cuiuſque rei numerum vellet exprimere, pro multitudine immenſa Gargara nominaret. teſtis Alcæus: qui in Cælo tragœdia ſic ait;

Ἐτύγχανον μὲν ἀχόθεν πλείστους φέρων
Εἰς τὴν ἑορτὴν, ὅσον ὀκτὼ εἴκοσι.
Ὁρῶ δ' ἄνωθεν Γάργαρ' ἀνθρώπων κύκλῳ.

Gargara, vt videtis, manifeſte poſuit pro multitudine. nec aliter Ariſtomenes ἐν μύθοις,

Ἔνδον γὰρ ἡμῖν ἐστὶν ἀνδρῶν γάργαρα.

Ariſtophanes autem comicus compoſito nomine ex arena & Garga-

& Gargaris innumerabilem, vt eius lepos eſt, numerum conatur exprimere. in fabula enim Acharnenſin ait,

Αδ᾽ ὠδυνήθην, ψαμμακοσιογάργαρα.

ψαμμακόσια autem ſeorſum pro multis Varro ſæpe in Menippeis ſuis poſuit. ſed Ariſtophanes adiecit Gargara; ad ſignificationem numeroſitatis innumeræ. eſt ergo ſecundum hæc ſenſus horum verſuum talis. Cum ea ſit anni temperies vt hiems ſerena ſit, ſolſtitium vero imbricum: fructus optime proueniunt. hæc autem adeo agris neceſſaria ſunt, vt ſine his nec illi natura fecundiſſimi Myſiæ agri reſponſuri ſint opinioni fertilitatis, quæ de his habetur. addit Myſiæ nominatim Gargara: quod ea vrbs poſita in imis radicibus Idæ montis defluentibus inde humoribus irrigetur; poſſitque videri ſolſtitiales imbres non magnopere deſiderare. Hoc in loco ad fidem ſenſui faciendam quod vliginoſa ſint non ſola Gargara pro vicinia montis ſed & vniuerſa Myſiæ arua adhiberi poteſt teſtis Æſchylus:

Ιὼ καίκε μύσιαί τ᾽ ἐπιρροαί.

Quid de Græcis in hoc loco traxerit diximus. addemus præterea hoc iucunditatis gratia, & vt liqueat Vergilium veſtrum vndique veterum ſibi ornamenta traxiſſe, vnde hoc dixerit;

Hiberno lætiſſima puluere farra.

in libro enim vetuſtiſſimorum carminum, qui ante omnia quæ a Latinis ſcripta ſunt compoſitus ferebatur, inuenitur hoc ruſticum vetus canticum: Hiberno puluere, verno luto, grandia farra Camille metes.

CAP.



## CAP. XXI.

### De poculorum generibus.

NOMINA poculorum Vergilius plerumque Græca ponit, vt carcheſia, vt cymbia, vt cantharos, vt ſcyphos. de carcheſiis ita:

Cape Mæonij carcheſia Bacchi:
Oceano libemus ait:

& alibi:

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho.

de cimbiis:

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte.

de ſcyphis:

Et ſacer impleuit dextram ſcyphus.

de canthar̄o:

Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

Ea autem cuius figuræ ſint quiſve eorum fecerit mentionem nemo quærit, contenti ſcire cuiuſcemodi eſſe pocula. & ſcyphos quidem cantharoſque conſueta vulgi nomina ferendum ſi tranſeant. ſed de carcheſiis cymbiiſque quæ apud Latinos haud ſcio an vnquam reperias, apud Græcos autem ſunt rariſſima, non video cur non cogantur inquirere quid ſibi noua & peregrina nomina velint. eſt autem carcheſium poculum Græcis tantummodo notum. meminit eius Pherecydes in libris hiſtoriarum; aitque Iouem Alcmenæ precium concubitus carcheſium aureum dono dediſſe. ſed Plautus inſuetum nomen reliquit; aitque in fabula Amphitryone pateram datam: cum longe vtriuſque poculi figura diuerſa ſit. patera enim, vt & ipſum nomen indicio eſt, planum ac patens eſt. carcheſium vero procerum & circa mediam partem compreſſum, anſatum mediocriter, anſis a ſummo ad infimum pertinentibus. Aſclepiades autem vir inter Græcos apprime doctus ac diligens carcheſia a nauali re exiſti-

 mat

mat dicta. ait enim naualis veli partem inferiorem πτέρναν vocari; at circa mediam ferme partem τράχηλον dici; ſummam vero partem carcheſium nominari, & inde diffundi in vtrumque veli latus ea quæ cornua vocantur. Nec ſolus Aſclepiades meminit huius poculi; ſed & alij illuſtres poëtæ: vt Sappho quæ ait;

> Κοινῆ δ' ἄρα πάντες καρχήσι' ἔχον, καὶ ἔλειβον.
> Ἀράσαντο δὲ πάμπαν ἐσθλὰ τῷ γαμβρῷ.

Κρατῖνος ἐν Διονυσαλεξάνδρῳ,

* * * * * * *

> Θύρσον κροκωτὸν, ποικίλον καρχήσιον.

Sophocles in fabula, quæ inſcribitur, Tyro:

> Προσῆλθε μέσην τράπεζαν ἀμφὶ σιτία τε καὶ καρχήσια.

Hæc de carcheſiis ignoratis Latinitati & a ſola Græcia celebratis. ſed nec cymbia in noſtro ſermone reperies. eſt enim a Græcorum paucis relatum. Philemon notiſſimus comicus in Faſmate ait:

> Ἐπεὶ δὲ ἡ ῥόδη κυμβίον ἀκράτου
> Κατασέσεικεν ὑμῖν ἄνω.

Anaxandrides etiam comicus in fabula Ἀγροίκοις:

> Μεγάλ' ἴσως κυμβία πεπτωκότα
> Καὶ μετ' ἀκράτου ἐπάκωσιν ὑμᾶς.

Meminit eius & Demoſthenes in oratione quæ eſt in Midiam: Ἐπ' ἀστράβης δ' ὀχούμενος ἐξ Ἀργούρας καὶ ἐξ Εὐβοίας, χλανίδας δὲ καὶ κυμβία ἔχων, ὧν ἐπελαμβάνοντο οἱ πεντηκοντολόγοι. Cymbia autem hæc, vt ipſius nominis figura indicat, diminutiue a cymba dicta: quod & apud Græcos & apud nos ab illis trahentes nauigij genus eſt. ac ſane animaduerti ego apud Græcos multa poculorũ genera a re nauali cognominata; vt carcheſia ſupra docui, vt hæc cymbia pocula procera ac nauibus ſimilia. Meminit huius poculi Eratoſthenes vir longe doctiſſimus in epiſtola ad Hagetorem Lacedæmonium his verbis: Κρατῆρα γὰρ ἔστησε τοῖς θεοῖς, οὐκ ἀργύρεον, οὐδὲ



οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τοῦ Κωλιάδος. τοῦτον δ' ὁσάκις ἐπιπληρώσειεν, ἀποσπείσαντες τοῖς θεοῖς ἐκ τῆς φιάλης, ᾠνοχόουν ἐφεξῆς βάπτοντες τῷ κυμβίῳ. fuerunt qui cymbium a ciſſybio per ſyncopam dictum exiſtimarent. Ciſſybij autem, vt de Homero taceam qui hoc poculum Cyclopi ab Vlyſſe datum memorat, multi faciunt mentionem: voluntque nonnulli propriè ciſſybium ligneum eſſe poculum ex edera, id eſt, ciſſu. & Nicander quidem Colephonius in primo Ætolicon ſic ait: Ἐν τῇ ἱεροποιίῃ τοῦ Διδυμαίου Διὸς κισσοῦ σπονδοποιέονται πετάλοισιν. ὅθεν τὰ ἀρχαῖα ἐκπώματα κισσύβια φωνέεται. ſed & Callimachus meminit huius poculi.

> Καὶ γὰρ ὁ Θρηΐκιην μὲν ἀπηνάτο χανδὸν ἄμυστιν
> Ζωροποτεῖν, ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.

Qui autem ciſſybium ex edera factum poculum οἱονεὶ κισσύβιον dici arbitrantur, Euripidis auctoritate niti videntur: qui in Andromeda ſic ait;

> Πᾶς δὲ ποιμένων ἔρρει λεώς.
> Ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον,
> Πόνων ἀναψυκτῆρ', ὁ δ' ἀμπέλων γάνος.

hæc de cymbio. Sequitur vt, quando cantharum & poculi & nauigij genus eſſe ſupra diximus, probetur exemplis. & pro poculo quidem nota res eſt vel ex ipſo Vergilio, qui aptiſſime proprium Liberi patris poculum aſſignat Sileno. ſed id, vt ſupra polliciti ſumus, etiam pro nauigio poni ſolitum debemus oſtendere. Menander in Nauclero:

> Ἥκει λιπὼν αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος
> Θεόφιλος ἡμῖν, ὦ Στράτων, ὡς ἐς καλὸν
> Τὸν υἱὸν εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον.
> Πρῶτος δ' ἐγώ σοι τὸν δ' ἐχρύσουν κάνθαρον.
> Ποῖον; τὸ πλοῖον, οὐδὲ μ' οἶσθα σ' ἄθλιε.
> & ſacer impleuit dextram ſcyphus.

ſcyphus Herculis poculum eſt ita vt Liberi patris cantharus. Herculem vero fictores veteres non ſine cauſa cum poculo

culo fecerunt, & nonnumquam caſabundum & ebrium: non ſolum quod is heros bibax fuiſſe perhibetur; ſed etiam quod antiqua hiſtoria eſt Herculem poculo tanquam nauigio ventis immenſa maria tranſiſſe. Sed de vtraque re pauca ex Græcis antiquitatibus dicam. & multibibum heroa iſtum fuiſſe, vt taceam quæ vulgo nota ſunt, illud non obſcurum argumentum eſt, quod Ephippus in Buſiride inducit Herculem ſic loquentem:

Οὐκ οἶσθα μ᾽ ὄντα, πρὸς θεῶν, Τιρύνθιον
Αργεῖον; οἱ μεθύοντες ἀεὶ τὰς μάχας
Πάσας μάχονται. τοιγαροῦν φεύγουσ᾽ ἀεί.

Eſt etiam hiſtoria non adeo notiſſima nationem quandam hominum fuiſſe prope Heracleam ab Hercule conſtitutam Cylicranorum compoſito nomine ἀπὸ τοῦ κύλικος. quod poculi genus nos vna littera immutata calicem dicimus. poculo autem Herculem vectum ad Ερύθειαν Hiſpaniæ inſulam nauigaſſe & Panyaſis egregius ſcriptor Græcorum dicit & Pherecydes auctor eſt: quorum verba ſubdere ſuperſedi, quia propiora ſunt fabulæ quam hiſtoriæ. Ego tamen arbitror non poculo Herculem maria tranſuectum ſed nauigio cui ſcypho nomen fuit; ita vt ſupra cantharum & carcheſium & a cymbis diriuata cymbia, omnia hæc aſſeruimus eſſe nauigiorum vocabula.

## CAP. XXII.

### De aliis quibuſdam locis Vergilij.

NOMINA quoque Vergilius nonnumquam ex antiquiſſimis Græcorum hiſtoriis mutuatur. ſcitis apud illum vnam ex comitibus Dianæ Opin vocari. quod nomen vulgo fortaſſe temere impoſitum vel etiam fictum putatur ab ignorantibus, ingenioſum poëtam cognomen, quod a veteribus Græcis ſcriptoribus ipſi Dianæ fuerat impoſitum, comiti eius aſſignare voluiſſe. ſed Vergilius ſic ait:

Velocem



Velocem interea ſuperis in ſedibus Opin
Vnam ex virginibus ſociis ſacraque caterua
Compellabat, & has triſtis Latonia voces
Ore dabat.

& infra:

At Triuiæ cuſtos iamdudum in montibus Opis.

Opin, inquit, comitem & ſociam Dianæ. Sed audite vnde Vergilius hoc nomen acceperit; qui, vt dixi, quod epitheton ipſiuſce legerat, ſociæ eius impoſuit. Alexander Ætolus poëta egregius in libro, qui inſcribitur Muſæ, refert quanto ſtudio populus Epheſius dedicato templo Dianæ curauerit præmiis propoſitis vt qui tunc erant poëtæ ingenioſiſſimi in deam carmina diuerſa componerent. in his verſibus Opis non comes Dianæ ſed Diana ipſa vocata eſt. loquitur autem, vti dixi, de populo Epheſio:

Αλλ᾽ ὅγε πειθόμενος πάγχυ γραικοῖσι μελέτης
Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
Υἱὸν Θερσάνδρου τὸν ἥνεσεν ἀνέρα σίγλων
Χρυσείων ἱερὴν πάντοτε χιλιάδα,
Υμνῆσαι ταχέων ὦπιν βλητῆραν οἰστῶν.
*　　*　　*

& mox:

**　　***　　***

Apparuit, ni fallor, Opin Dianam dictam & Vergilium de nimia doctrina hoc nomen in eius comitem tranſtuliſſe.

Exceſſere omnis adytis ariſque relictis
Di.

Hoc vnde Vergilius dixerit nullus inquirit. ſed conſtat illum de Euripide traxiſſe; quod in fabula Troadibus inducit Apollinem, cum Troia capienda eſſet, iſta dicentem:

Εγὼ δὲ νικῶμαι γὰρ ἀργείας θεοῦ
Ηρας, ἀθάνας θ᾽, αἳ συνεξεῖλον φρύγας,
Λείπω τὸ κλεινὸν ἴλιον. βωμούς τ᾽ ἐμούς.

Ερμῆς

Ερημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.

*qui verſus docent vnde Vergilius vſurpauerit diſceßiſſe deos a ciuitate iam capta. nec hoc ſine auctoritate Græcæ vetuſtatis eſt quod ait;*

Ipſa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem.

*Euripides enim inducit Mineruam ventos contrarios Græcorum claſſi a Neptuno petentem, dicentemq. debere illum facere quod Iupiter fecerit, a quo in Græcos fulmen acceperit. Apud Vergilium Pan niueo lanæ munere lunam illexiſſe perhibetur,*

In nemora alta vocans,
Munere ſic niueo lanæ, ſi credere dignum eſt,

*& reliqua. in hoc loco Valerius Probus vir perfectißimus notat neſcire ſe hanc hiſtoriam ſiue fabulam quo referat auctore. quod tantum virum fugiſſe miror. nam Nicander huius eſt auctor hiſtoriæ, poëta, quem Didymus grammaticorum omnium quique ſint quique fuerint inſtructiſſimus fabuloſum vocat. quod ſciens Vergilius adiecit,*

ſi credere dignum eſt.

*adeo ſe fabuloſo vſum fatetur auctore. in tertio libro curſim legitur; neque vnde tranſlatum ſit quæritur:*

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, &c.

*in talibus locis grammatici excuſantes imperitiam ſuam inuentiones has ingenio magis quam doctrinæ Maronis aſſignant; nec dicunt eum ab aliis mutuatum ne nominare cogantur auctores. ſed affirmo doctißimum vatem etiam in hoc Æſchylum eminentißimum tragœdiarum ſcriptorem ſecutum: qui in fabula, quæ Latina lingua Sacerdotes inſcribitur, ſic ait;*

Στέλλειν ὅπως τάχιστα. ταῦτα γὰρ πατὴρ

Ζεὺς



Ζεὺς ἐγκαθεὶς Λοξίᾳ θεσπίσματα.

*& alibi,*

Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.

*Et quid clarum factum eſt inde ſumpſiſſe Vergilium, quod Apollo ea vaticinetur, quæ ſibi Iupiter fatur? probatum ne vobis eſt Vergilium vt ab eo intelligi non poteſt qui ſonum Latinæ vocis ignorat, ita nec ab eo poſſe, qui Græcam non hauſerit extrema ſatietate doctrinam? nam ſi faſtidium facere non timerem, ingentia poteram volumina de his, quæ a penitißima Græcorum doctrina tranſtuliſſet, implere. ſed ad fidem rei propoſitæ relata ſufficient.*

FINIS LIBRI QVINTI.

# AVRELII MACROBII AMBROSII THEODOSII V. C. & *inluſtris* Saturnaliorum

## LIBER SEXTVS.

### CAPVT I.

Quos vel ex dimidio ſui vel ſolidos etiam verſus ab antiquis Latinis poëtis ſit mutuatus Vergilius.

*HIC Prætextatus, Mirum, inquit, in modum digeſſit Euſtathius quæ de Græca antiquitate carmini ſuo Vergilius inſeruit. ſed meminimus viros inter omnes noſtra ætate longè doctiſſimos Furium Cæcinamque Albinos promiſiſſe ſe prodituros quid idem Maro de antiquis Romanis ſcriptoribus traxerit. quod nunc vt fiat tempus admonet. cumque omnibus idem placeret: tum Furius Albinus; Etſi vereor ne, dum oſtendere cupio quantum Vergilius noſter ex antiquiorum lectione profecerit, & quos ex omnibus flores vel quæ in carminis ſui decorem ex diuerſis ornamenta libauerit, occaſionem reprehendendi vel imperitis vel malignis miniſtrem exprobantibus tanto viro alieni vſurpationem, nec conſiderantibus hunc eſſe fructum legendi æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem vſum tuum opportuna diriuatione conuertere; quod & noſtri tam inter ſe quam a Græcis & Græcorum excellentes inter ſæpe fecerunt. & , vt de alienigenis taceam,*





*poſſem pluribus edocere quantum ſe mutuo compilarint bibliothecæ veteris auctores. quod tamen opportune alias, ſi volentibus vobis erit, probabo. Vnum nunc exemplum proferam, quod ad probanda quæ aſſero pæne ſufficiet. Afranius enim togatarum ſcriptor, in ea togata quæ Compitalia inſcribitur, non inuerecunde reſpondens arguentibus quod plura ſumpſiſſet a Menandro, Fateor, inquit, ſumpſi, non ab illo ſolo modo ſed vt quiſque habuit quod conueniret mihi, quodque me non poſſe melius facere credidi, etiam a Latino. Quod ſi hæc ſocietas & rerum communio poëtis ſcriptoribuſque omnibus inter ſe exercenda conceſſa eſt; quis fraudi Vergilio vortat, ſi ad excolendum ſe quædam ab antiquioribus mutuatus ſit? cui etiam gratia habenda eſt quod nonnulla ab illo in opus ſuum, quod æterno manſurum eſt, transferendo fecit ne omnino memoria veterum deleretur: quos, ſicut præſens ſenſus oſtendit, non ſolum neglectui verum etiam riſui habere iam cœpimus. denique & iudicio transferendi & modo imitandi conſecutus eſt, vt quod apud illum legerimus alienum, aut aliud eſſe malimus, aut melius hic quam vbi natum eſt ſonare miremur. dicam itaque primum quos ab aliis traxit vel ex dimidio ſui verſus vel pæne ſolidos. poſt hoc locos integros cum parua quadam mutatione tranſlatos ſenſuſve ita tranſcriptos vt vnde eſſent eluceret, immutatos alios vt tamen origo eorum non ignoraretur. poſt hæc quædam de his, quæ ab Homero ſumpta ſunt, oſtendam non ipſum ab Homero tuliſſe, ſed prius alios inde ſumpſiſſe, & hunc ab illis quos ſine dubio legerat tranſtuliſſe.*

Vertitur interea cælum, & ruit oceano nox.

*Ennius in libro ſexto.*

Vertitur interea cælum cum ingentibus ſignis.

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

*Ennius in primo:*

Qui cælum verſat ſtellis fulgentibus aptum.

*& in tertio:*

Cælum proſpexit ſtellis fulgentibus aptum.

*& in decimo:*

Hinc nox proceſſit ſtellis ardentibus apta.

Conciliumque vocat diuum pater atque hominum rex

*Ennius in ſexto:*

Tum cum corde ſuo diuum pater atque hominum rex.

Effatur.

Eſt locus, Heſperiam Grai cognomine dicunt.

*Ennius in primo:*

Eſt locus, Heſperiam quam mortales perhibebant.

Tuque o Tybri tuo genitor cum flumine ſancto.

*Ennius in primo:*

Teque pater Tiberine tuo cum flumine ſancto.

Accipe daque fidem. ſunt nobis fortia bello

Pectora.

*Ennius in primo;*

Accipe daque fidem fœduſque feri bene firmum.

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

*Ennius in primo;*

Cum ſuperum lumen nox intempeſta teneret.

Tu tamen interea calido mihi ſanguine pœnas

Perſolues.

*Ennius in primo.*

Non pol homo quiſquam faciet impune animatus:

Hoc niſi tu; nam mi calido das ſanguine pœnas.

——— *Vergilius*, Concurrunt vndique telis

Indomiti agricolæ.

*Ennius in tertio.*

Poſtquam defeſſi ſunt; ſtant & ſpargere ſeſe

Haſtis;



Haſtis; anſatis concurrunt vndique telis.

Summa nituntur opum vi.

*Ennius in quarto.*

Romani ſcalis ſumma nituntur opum vi.

*& in ſextodecimo.*

Reges per regnum ſtatuaſq. ſepulchraq. quærunt;

Ædificant nomen; ſumma nituntur opum vi.

Et mecum ingentes oras euoluite belli.

*Ennius in ſexto.*

Quis potis ingentes oras euoluere belli?

Nequa meis dictis eſto mora. Iuppiter hac ſtat.

*Ennius in ſeptimo.*

Non ſemper veſtra euertit. nunc Iuppiter hac ſtat.

Inuadunt vrbem ſomno vinoque ſepultam.

*Ennius in octauo.*

Nunc hoſtes vino domiti ſomnoque ſepulti.

Tollitur in cælum clamor; cunctique Latini.

*Ennius in ſeptimodecimo.*

Tollitur in cælum clamor exortus vtriſque.

Quadripedãte putrem ſonitu quatit vngula campum.

*Ennius in ſexto.*

Explorant Numidæ. totam quatit vngula terram.

*idem in octauo.*

Conſequitur, ſummo ſonitu quatit vngula terram.

*idem in ſeptimodecimo.*

It eques, & plauſu caua concutit vngula terram;

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

*Ennius in duodecimo.*

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Corruit in vulnus. ſonitum ſuper arma dedere.

*Ennius in ſextodecimo:*

Concidit, & ſonitum ſimul inſuper arma dederũt.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras.

*Lucretius in ſecundo:*

Cum primum aurora reſpergit lumine terras.
Flammarum longos a tergo inuoluere tractus.

*Lucretius in ſecundo:*

Nonne vides longos flammarum ducere tractus?
Ingeminant abruptis nubibus ignes.

*Lucretius in ſecundo:*

Nunc hinc, nunc illinc abruptis nubibus ignes.
Belli ſimulacra ciebant.

*Lucretius in ſecundo:*

Componunt, complent; belli ſimulacra cientur.
ſimulacraque luce carentum.

*Lucretius in quarto;*

Cum ſæpe figuras
Contuitur mirans, ſimulacraque luce carentum.
Aſper acerba tuens retro redit.

*Lucretius in quinto:*

Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens.
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

*Furius in primo annali.*

Interea oceani linquens aurora cubile.
Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morem?

*Furius in ſexto:*

Quod genus hoc hominum Saturno ſancte create?
Rumoreſque ſerit varios, ac talia fatur.

*Furius in decimo:*

Rumoreſque ſerunt varios, & multa requirunt.
Nomine quemque vocans, reficitque ad prœlia pulſos.

*Furius in vndecimo:*

Nomine quemque ciet; dictorum tempus adeſſe
Commemorat.

*deinde infra:*

Confirmat dictis, ſimul atque exſuſcitat acris
Ad bellandum animos, reficitq. ad prœlia mentes.
Dicite Pierides, non omnia poſſumus omnes.

*Lucilius in quinto;*

Maior erat natu. non omnia poſſumus omnes.
Diuerſi circunſpiciunt. hoc acrior idem.

*Pacuuius in Medea:*

Diuerſi circunſpicimus, horror percipit.
Ergo iter inceptum peragunt rumore ſecundo.

*Sueuius in libro quinto:*

Redeunt referunt petita rumore ſecundo.
Nunquam hodie effugies, veniam quocunque vocaris.

*Næuius in equo Troiano;*

Numquam hodie effugies, quin mea manu moriare.
Vendidit hic auro patriam, dominumq. potentem
Impoſuit; fixit leges precio atque refixit.

*Varius de morte:*

Vendidit hic Latium populis, agroſque viritim
Eripuit, fixit leges precio atque refixit.
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.

*Varius de morte:*

Incubet & Tyriis, atque ex ſolido bibat auro.
Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis.

*Catullus:*

Currite ducenti ſubtemine currite fuſi.
Felix heu nimium felix, ſi litora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

*Catullus:*

Iuppiter omnipotens vtinam non tempore primo
Gnoſia

Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent litora puppes.
magna oſſa lacertoſque
Extulit.

*Lucilius in ſeptimodecimo.*

magna oſſa lacertique
Apparent homini.
Placidam per membra quietem
Irrigat.

*Furius in primo.*

Mitemque rigat per pectora ſomnum.

*& Lucretius in quarto.*

Nunc quibus ille modis ſomnus per mẽbra quietẽ
Irrigat.
campoſque liquentes.

*Lucretius in ſexto ſimile de mari.*

Et liquidam molem, campoſque natantes.
Et geminos duo fulmina belli
Scipiadas.

*Lucretius in tertio.*

Scipiades belli fulmen Karthaginis horror.
& ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

*Lucretius in ſecundo.*

Fœdo pertorquent ora ſapore.
Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

*Lucretius in primo.*

Cernere vti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.

*hinc eſt & illud Vergilij.*

Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa.
Ora modis attollens pallida miris.

*Lucretius in primo.*

Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.





Tum gelidus toto manabat corpore ſudor.

*Ennius ſextodecimo.*

Tunc timido manat ex omni corpore ſudor.
Labitur vncta vadis abies.

*Ennius in quartodecimo.*

Labitur vncta carina; volat ſuper impetus vndas.
Ac ferreus ingruit imber.

*Ennius in octauo.*

Haſtati ſpargunt haſtas, fit ferreus imber.
Apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit.

*Ennius in ſextodecimo.*

Tamen induuolans ſecum abſtulit haſta
Inſigne.
Puluerulentus eques furit: omnes arma requirunt.

*Ennius in ſexto,*

Balantum pecudes quatit. omnes arma requirunt.
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli.

*Accius in Philoctete;*

Quem neque tueri contra nec affari queas.
Aut ſpoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto inſigni.

*Accius in armorum iudicio:*

Nam trophæum ferre me a forti viro pulchrum
eſt.
Si autem vincar; vinci a tali nullum eſt probrum.
nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit; vanum etiam mendacemq. improba finget.

*Accius in Telepho.*

Nam ſi a me regnum fortuna atque opes
Eripere quiuit, at virtutem non quiit.
Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis.

*Accius in armorum iudicio*;

Virtuti is par, diſpar fortunis patris.
Iamiam nec maxima Iuno
Nec Saturnius hæc oculis pater adſpicit æquis.

*Accius in Antigona:*

Iamiam neque dij regunt,
Neq. profectò deum ſummus rex omnibus curat.
Num capti potuere capi? num incenſa cremauit
Troia viros?

*Ennius in vndecimo cum de Pergamis loqueretur:*

Quæ neque Dardaniis campis potuere perire,
Nec cum capta capi, nec cum combuſta cremari.
Multi prætereà, quos fama obſcura recondit.

*Ennius in Alexandro*;

Multi alij aduentant, paupertas quorum obſcurat
nomina.
Audentes fortuna iuuat.

*Ennius in ſeptimo.*

Fortibus eſt fortuna viris data.
recoquunt patrios fornacibus enſes:
Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.

*Lucretius in quinto*;

Inde minutatim proceſſit ferreus enſis;
Verſaque in obſcœnum ſpecies eſt falcis aënæ.
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina.

*Lucretius in quinto*;

Ad ſedare ſitim fluuij fonteſque vocabant.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua carpit.

*Lucretius in quinto:*

Quod ſol atq. imbres dederant, quod terra creârat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum.

CAP.



## CAP. II.

Quos locos, aut integros, aut paucis admodum immutatis, ex antiquis Latinis ſcriptoribus Vergilius tranſtulerit: quoſque ita mutauerit vt origo tamen eorum facile deprehendatur.

POST *verſus ab aliis vel ex integro vel ex parte tranſlatos, vel quadam immutando verba tanquam ſuco alio tinctos, nunc locos locis componere ſedet animo, vt, vnde formati ſint, quaſi de ſpeculo cognoſcas.*

Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam ſit, & anguſtis hũc addere rebus honorem.
Sed me Parnaſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor. iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli deuertitur orbita cliuo.

*Lucretius in primo:*

Nec me animi fallit quam ſint obſcura; ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuauem mi in pectus amorem
Muſarum; quo nunc inſtinctus mente vigenti,
Auia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita ſolo.

*Accipite & alterum locum Maronis illi, vnde traxerat, comparandum, vt eundem colorem ac pæne ſimilem ſonum loci vtriuſque reperias.*

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam;
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.

*& mox:*

At ſecura quies & neſcia fallere vita
Diues opum variarum, at lætis otia fundis,
Speluncæ, viuique lacus; at frigida tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni,

 Non

Non abſunt illic, ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum exiguoque aſſueta iuuentus.

*Lucretius in libro ſecundo.*

Si non aurea ſunt iuuenum ſimulachra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt ſuppeditentur,
Nec domus argento fulgens auroque renidens,
Nec citharam reboant laqueata aurataque Tempe;
Cum tamen inter ſe proſtrati in gramine molli,
Propter aquæ riuum ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucunde corpora curant,
Præſertim cum tempeſtas arridet,& anni
Tempora conſpergunt viridantes floribus herbas.
Non vmbræ altorũ nemorũ non mollia poſſunt
Prata mouere animum,non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis.

*Lucretius in ſecundo.*

Nec teneræ ſalices atque herbæ rore virentes
Fluminaque vlla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum,ſubitamque auertere curam.

*Ipſius vero peſtilentiæ,quæ eſt in tertio Georgicorum, color totus & liniamenta pæne omnia tracta ſunt de deſcriptione peſtilentiæ,quæ eſt in ſexto Lucret. nam Vergiliana incipit.*

Hic quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas,totoque autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudũ dedit,omne ferarum.
Hæc ratio quondam morborum & mortifer æſtus
Finibus in Cecropis funeſtos reddidit agros,
Vaſtauitque vias; exhauſit ciuibus vrbem.

*Sed quatenus totum locum vtriuſque ponere ſatis longum eſt; excerpam aliqua: ex quibus ſimilitudo geminæ deſcriptionis appareat. Vergilius ait:*

Tum vero ardentes oculi atque attractus ab alto
Spiritus



Spiritus interdum gemitu grauis,imaque longo
Ilia ſingultu tendunt. it naribus ater
Sanguis, & oppreſſas fauces premit aſpera lingua.
Principio caput incenſum feruore gerebant
Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes:
Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine; & vlceribus vocis via ſæpta coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore
Debilitata malis,motu grauis,aſpera tactu.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.

*& quæ darent ſupra retulit idem.*

demiſſæ aures,incertus ibidem
Sudor,& ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis,& attactu tractanti dura reſiſtit.
Multaque præterea mortis tunc ſigna dabantur.
Perturbata animi mens in mærore metuque.
Triſte ſupercilium,furioſus vultus & acer,
Sollicitæ porro plenæque ſonoribus aures,
Creber ſpiritus aut ingens,raroque coortus,
Sudoriſq. madens per collum ſplendidus humor,
Tenuia ſputa,minuta,croci contacta cruore,
Salſaque per fauces raucas vix edita tuſſis.

*Vergilius ait;*

Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos. ea viſa ſalus morientibus vna;
Mox erat hoc ipſum exitio.

*Lucretius ait;*

Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod aliis dederat vitalis aëris auras
Voluere in ore licere & cæli templa tueri;
Hoc aliis erat exitio,letumque parabat.

*Vergilius ait;*

Præterea nec mutari iam pabula refert;

Quæſi-

Quæſitæque nocent artes; ceſſere magiſtri.

*Lucretius ait;*

Nec requies erat vlla mali, defeſſa iacebant
Corpora, muſſabat tacito medicina timore.

*Vergilius ait;*

Ipſis eſt aër auibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.

*Lucretius ait;*

Nec tamen omnino temerè illis ſedibus vlla
Comparebat auis; nec triſtia ſæcla ferarum
Exibant ſiluis; languebant pleraque morbo
Et moriebantur.

*Nonne vobis videntur membra huius deſcriptionis ex vno fonte manaſſe? Sed rurſus locos alios comparemus.*

Gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exilioque domos & dulcia limina mutant.

*Lucretius in tertio:*

Sanguine ciuili rem conflant, diuitiaſque
Conduplicant auidi, cædem cæde accumulantes;
Crudeles gaudent in triſti funere fratris.
Multa dies variuſque labor mutabilis æui
Rettulit in melius, multos alterna reuiſens
Luſit & in ſolido rurſus fortuna locauit.

*Ennius in octauo.*

Multa dies in bello conficit vnus:
Et rurſus multæ fortunæ forte recumbunt.
Haud quaquam quemquam ſemper fortuna ſecuta eſt.
O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere atq. omnes metuentē expendere cauſas.

*Accius in Antigona.*

Quanto magis te iſtiuſmodi eſſe intelligo,
Tanto,



Tanto, Antigona, magis me par eſt tibi
Conſulere & parcere.
O lux Dardaniæ, ſpes o fidiſſima Teucrum.
*& reliqua.*

*Ennius in Alexandro.*

O lux Troiæ germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?
Aut qui te ſic reſpectantibus tractauere nobis?
Frena Pelethronij Lapythæ gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

*Varius de morte:*

Quem non ille ſinit lentæ moderator habenæ,
Qua velit ire; ſed anguſto prius ore coërcens
Inſultare docet campis, fingitque morando.
Talis amor Daphnin; qualis cum feſſa iuuencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos,
Propter aquæ riuum, viridi procumbit in vlua
Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti.

*Varius de morte:*

Ceu canis vmbroſam luſtrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit ceruæ comprendere luſtra,
Sæuit in abſentem; & circum veſtigia luſtrans
Æthera per nitidum tenues ſectatur odores.
Non amnes illam medij non ardua tardant;
Perdita nec ſeræ meminit decedere nocti.
Nec te tua funera mater
Produxi, preſſiue oculos, aut vulnera laui.

*Ennius in Cteſiphonte:*

Neque terram iniicere, neque cruenta
Conueſtire mihi corpora licuit,
Neq. miſeræ lauêre lachrymæ ſalſum ſanguinem.
Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina

Semina terrarúmque animæq. mariſque fuiſſent;
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia & ipſe tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare ſolum & diſcludere Nerea Ponto
Cœperit,& rerum paulatim ſumere formas.
Iamque nouum terræ ſtupeant luceſcere ſolem.

*Lucretius in quinto; vbi de confuſione orbis ante hunc ſtatum loquitur:*

His neque tum ſolis rota cerni lumine claro
Altiuolans poterat; neque magni ſidera mundi,
Nec mare, nec cælum, nec denique terra, nec aër,
Nec ſimilis noſtris rebus res vlla videri.
Sed noua tempeſtas quædam moleſque coorta,
Diffugere inde loci partes cœpere,pareſque
Cum paribus iungi res,& diſcludere mundum,
Membraque diuidere,& magnas diſponere partes:

*& infra:*

Hoc eſt a terris magnum ſecernere cælum;
Et ſeorſum mare vti ſecreto humore pateret;
Seorſus item puri ſecretique ætheris ignes.

*& infra:*

Omnia enim magis hæc ex leuibus atq. rotundis.
Cum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit
Pergama,& armatum peditem grauis attulit aluo.

*Ennius in Alexandro:*

Nam maximo ſaltu ſuperauit
Grauidus armatis equus,
——— Qui ſuo partu ardua perdat
Pergama.
Tum pater omnipotens, rerũ cui ſumma poteſtas;
Infit. eo dicente deum domus alta ſileſcit;
Et tremefacta ſolo tellus; ſilet arduus æther.
Tum venti poſuere. premit placida æquora põtus.

*Ennius*



*Ennius in Scipione;*

Mundus cæli vaſtus conſtitit ſilentio,
Et Neptunus ſæuus vndis aſperis pauſam dedit.
Sol equis iter repreſſit vngulis volantibus:
Conſiſtere amnes perennes,arbores vento vacant.
Itur in antiquam ſiluam ſtabula alta ferarum.
Procumbunt piceæ;ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineæque trabes: cuneis & fiſſile robur
Scinditur.aduoluunt ingentes montibus ornos.

*Ennius in ſexto;*

Incedunt arbuſta per alta ſecuribus cædunt,
Percellunt magnas quercus: exciditur ilex:
Fraxinus frangitur,atque abies conſternitur alta:
Pinus proceras peruertunt. omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſiluai frondoſai.
Diuerſi magno ceu quondam turbine venti
Confligunt,zephyruſque,notuſque,& lætus Eois
Eurus equis.

*Ennius in ſeptimodecimo.*

Concurrunt,veluti venti cum ſpiritus auſtri
Imbricitor aquiloque ſuo cum flamine contra
Indu mari magnos fluctus extollere certant.
Nec tamen,hæc cum ſint hominumque boumque labores
Verſando terram experti,nihil improbus anſer.

*Lucretius in quinto.*

Sed tamen interdum magno quæſita labore,
Cum iam per terras frondent atq. omnia florent.
Aut nimiis torrens feruoribus æthereus ſol,
Aut ſubiti perimunt imbres gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.

*Sunt alij loci plurimorum verſuum, quos Maro in opus ſuum cum paucorum immutatione verborum a veteribus tranſtu-*

*tranſtulit. & quia longum eſt vniuerſos verſus ex vtroque tranſcribere, libros veteres notabo; vt qui volet illic legendo æqualitatem locorum conferendo miretur. In principio Æneidos tempeſtas deſcribitur, & Venus apud Iouem queritur de periculis filij, & Iupiter eam de futurorum proſperitate ſolatur. hic locus totus ſumptus a Næuio eſt ex primo libro belli Punici. illic enim æque Venus Troianis tempeſtate laborantibus cum Ioue queritur: & ſequuntur verba Iouis filiam conſolantis ſpe futurorum. item de Pandaro & Bitia aperientibus portas, locus acceptus eſt ex libro quintodecimo Ennij; qui induxit Hiſtros duos in obſidione erupiſſe portam, & ſtragem de obſidente hoſte feciſſe. Nec Tullio compilando, dummodo vndique ornamenta ſibi conferret, abſtinuit.*

O fama ingens ingentior armis
Vir Troiane.

*nempe hoc ait: Æneam famam ſuam factis fortibus ſupergreſſum, cum plerumque fama ſit maior rebus. ſenſus hic in Catone Ciceronis eſt his verbis:* Contingebat in eo, quod pleriſq. contra ſolet, vt maiora omnia re quam fama viderentur: id quod non ſæpe euenit, vt exſpectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur. *item,*

Proximus huic longo ſed proximus interuallo.

*Cicero in Bruto:* Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio L. Philippus proximus accedebat, ſed longo interuallo, tamen proximus.

## CAP. III.

Quos locos primum alij ex Homero tranſtulerint, inde Vergilius operi ſuo aſciuerit.

SVNT *quædam apud Vergilium, quæ ab Homero creditur tranſtuliſſe: ſed ea docebo a noſtris auctoribus ſumpta; qui priores hæc ab Homero in carmina ſua tranſtulerant.*



*tulerant. quod quidem ſummus Homericæ laudis cumulus eſt, quod, cum ita a plurimis aduerſus eum vigilatum ſit coactæque omnium vires manum contra fecerint,*

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

*Homerus de Aiacis forti pugna ait:*

Αἴας δ' ἐχέτ' ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσι.
Δάμνα μιν Ζηνός τε νόος καὶ Τρῶες ἀγαυοὶ,
Βάλλοντες. δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ
Πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε βάλλετο δ' αἰεὶ
Κατφάλαρ' εὐποίηθ'. ὁ δ' ἀριστερὸν ὦμον ἔκαμνεν,
Εμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον, οὐδὲ δύναντο
Αμφ' αὐτῷ πελεμίξαι, ἐρείδοντες βελέεσσιν·
Αἰεὶ δ' ἀργαλέῳ ἔχετ' ἄσθματι. κὰδ δέ οἱ ἱδρὼς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔρρεεν, οὐδέ πῃ εἶχεν
Αμπνεῦσαι, πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο.

*Hunc locum Ennius in duodecimo ad pugnam Cælij tribuni his verſibus transfert:*

Vndique conueniunt velut imber tela tribuno;
Configunt parmam; tinnit haſtilibus vmbo
Ærato ſonitu galeæ. ſed nec pote quiſquam
Vndique nitendo corpus diſcerpere ferro.
Semper abundantes haſtas frangitque quatitque.
Totum ſudor habet corpus; multumque laborat;
Nec reſpirandi fit copia. præpete ferro
Hiſtri tela manu iacientes ſollicitabant.

*hinc Vergilius eumdem locum de incluſo Turno gratia elegantiore compoſuit:*

Ergo nec clypeo iuuenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet; obiectis ſic vndique telis
Obruitur. ſtrepit aſſiduo caua tempora circum
Tinnitu galea; & ſaxis ſolida æra fatiſcunt:
Diſcuſſæque iubæ capiti; nec ſufficit vmbo
Ictibus. ingeminant haſtis & Troës & ipſe

Fulmineus Mneſtheus. tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Fulmen agit feſſos quatit æger anhelitus artus.

*Homerus ait:*

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

*Furius in quarto annali:*

Preſſatur pede pes, mucro mucrone; viro vir.

*hinc Vergilius ait:*

Hæret pede pes, denſuſque viro vir.

*Homeri eſt:*

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

*Hunc ſecutus Hoſtius poëta in libro ſecundo belli Hiſtrici ait:*

non ſi mihi linguæ
Centum atque ora ſient totidem, voceſq. liquatæ.

*hinc Vergilius ait:*

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum.

*Homerica deſcriptio eſt equi fugientis in hæc verba:*

Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
Κυδιόων, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται. ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων

*Ennius hinc traxit.*

Et tum ſicut equus qui de præſepibus fartus
Vincla ſuis magnis animis abrupit, & inde
Fert ſeſe campi per cærula lætaque prata
Celſo pectore, ſæpe iubam quaſſat ſimul altam,
Spiritus ex anima calida ſpumas agit albas.

*Vergilius:*

Qualis vbi abruptis fugit præſepia vinclis. *&c.*

*Nemo ex hoc viles putet veteres poëtas, quod verſus eorum ſcabri nobis videntur. ille enim ſtylus Enniani ſæculi auribus ſolus*



*ſolus placebat: & diu laborauit ætas ſecuta, vt magis huic molliori filo acquieſceretur. Sed vlterius non moror Cæcinam quin & ipſe prodat, quæ meminit Maronem ex antiquitate tranſtuliſſe.*

## CAP. IIII.

De vocabulis Latinis, Græcis, barbariſque: quibus Vergilius primus vſus eſſe videri poſſit, quum tamen ante & veteres iiſdem vſi ſint.

TVM Cæcina: *In verſibus vel in locis quantum ſibi Maro ex antiquitate quæſiuerit Furius vt memor & veteris & nouæ auctorum copiæ diſſeruit. ego conabor oſtendere hunc ſtudioſiſſimum vatem & de ſingulis verbis veterum apriſſime iudicaſſe, & inſeruiſſe electa operi ſuo verba, quæ nobis noua videri facit incuria vetuſtatis, vt ecce,* addita, *pro,* inimica & infeſta, *qui non æſtimet poëtam arbitrio ſuo nouum verbum ſibi voluiſſe fabricari? ſed non ita eſt. nam, quod ait,*

nec Teucris addita Iuno
Vſquam aberit;

*Id eſt, adfixa & per hoc infeſta: hoc iam dixerat Lucilius in libro quartodecimo his verſibus.*

Si mihi non prætor ſiet additus, atque agitet me:
Non male ſic ille, vt dico, me extenderat vnus.
Mane ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

*pulchre,* vomit vndam *& antique. nam Ennius ait:*

& Tiberis flumen vomit in mare ſalſum.

*vnde & nunc* vomitaria *in ſpectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt.* Agmen *pro* actu & ductu *quodam ponere non inelegans eſt, vt,*

Leni fluit agmine Tibris.

*imo & antiquum eſt. Ennius enim quinto ait:*

Quod per amœnā vrbē leni fluit agmine flumen.

*Quod ait;*

Crepitantibus vrere flammis.

*non nouum vſurpauit verbum, ſed prior Lucretius in ſexto poſuit;*

Nec res vlla magis quam Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.
Tum ferreus haſtis
Horret ager.

horret, *mire ſe habet. Sed & Ennius in quartodecimo.*

Horreſcit telis exercitus aſper vtrimque.

*& in Erechtheo:*

Arma arrigunt: horreſcunt tela.
Sparſis haſtis longis campus ſplendet & horret.

*Sed & ante omnes Homerus:*

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσιν
Μακρῇς, ἃς εἶχον ταμεσίχροας.

Splendet tremulo ſub lumine pontus.

tremulum lumen *de imagine rei ipſius expreſſum eſt. ſed prior Ennius in Menalippe:*

Lumine ſic tremulo terra, & caua cærula candent.

*& Lucretius in ſexto:*

Præterea ſolis radiis iactatur aquai
Humor, & in lucem tremulo rareſcit ab æſtu.
Hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

*Sunt qui æſtiment hoc verbum*, vmbracula, *Vergilio auctore compoſitum, cum Varro rerum diuinarum libro decimo dixerit*; Nonnullis magiſtratibus in oppido id genus vmbraculi conceſſum. *Et Cicero in quinto de legibus*; Vis ne igitur (quoniam ſol paululum a meridie iam deuexus videtur, nequedum ſatis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur) deſcendatur ad Lirim; eaque, quæ reſtant, in illis alnorum vmbraculis proſequamur? *ſimiliter in Bruto*; Sed vt & Theophraſti



phraſti doctiſſimi hominis vmbraculis.

Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant.

*Quod ait ſpecioſe,* tranſmittunt, *pro,* tranſeunt: *ſic & Lucretius in ſecundo:*

Et circumuolitant equites, medioſque repente
Tranſmittunt valido quatientes impete campos.

*** *ſed & Peſtanus Vibonenſis ſic ait*: Pedibus equos tranſmiſimus, *quod eſt*, tranſiuimus.

Quam tota cohors imitata, relictis
Ad terram defluxit equis.
Ille graui ſubito deuinctus vulnere habenas
Miſit equi, lapſuſque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis ſonitum.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit.

*ferit aures noſtras hoc verbum,* diſcludere, *vt nouum: ſed prior Lucretius in quinto;*

Diffugere inde loci partes cœpere, pareſque
Cum paribus iungi res, & diſcludere mundum.
Paſtorem Tityre pingues
Paſcere oportet oues, deductum dicere carmen.

deductum *pro* tenui *&* ſubtili *eleganter poſitum eſt. ſic autem & Afranius in Virgine:* Verbis pauculis reſpondit, triſtis voce deducta, malleque ſe non quieuiſſe dixit. *item apud Cornificium:*

Deducta mihi voce garrienti.

*Sed hæc ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Attellana, quæ Kalendæ Martiæ inſcribitur, ait*: Vocem deducas oportet, vt mulieris videantur verba. Iube modo afferatur munus; ego vocem reddam tenuem & tinnulam. *& infra*: Etiam nunc vocem deducam.

Proiectaque ſaxa Pachyni Radimus.

proiecta, *ſi ſecundum conſuetudinem dicatur, intelligitur* abiecta; *ſi ſecundũ veteres,* proiecta, *porro iacta: vt alibi ait;*

Proiecto dum pede læuo Aptat ſe pugnæ.

*Sed & Siſenna in ſecundo dixit:*

Et Marſi propius ſuccedunt, atq. ita ſcutis proiectis, tectis ſaxa certatim lenta manibus coniiciunt in hoſtes. *& in eodem.* Vetus atque ingens erat arbor ilex, quæ circum proiectis ramis maiorem partem loci ſummi tegebat.

*Et Lucretius in tertio.*

Quamlibet immani proiectu corporis exſtet.

Et tempeſtiuam ſiluis euertere pinum.

*Hoc verbum de pino tempeſtiua a Catone ſumpſit, qui ait:* Pineam nucem cum effodies, luna decreſcente eximito, poſt meridiem ſine vento auſtro. tum vero erit tempeſtiua, cum ſemen ſuum maturum erit. *Inſeruit operi ſuo & Græca verba; ſed non primus hoc auſus. auctorum enim veterum audaciam ſecutus eſt.*

Dependent lychni laquearibus aureis.

*ſicut Ennius in nono;*

Lychnorum lumina bis ſex.

*Et Lucretius in quinto:*

Quin etiam nocturna tibi terreſtria quæ ſunt
Lumina, pendentes lychni.

*Lucilius in primo;*

Porro chænopadas, clinopodas, lychnoſque
vt diximus ſemnos ante pedes lecti atque lucernas.

*& quod dixit;*

nec lucidus æthra
Siderea polus:

*Ennius prior dixerat in ſextodecimo;*

interea fax
Occidit, oceanumque rubra tractim obruit æthra.

*& Ilius*



*& Ilius in Theutrante:*

Flammeam per æthram alte feruidam ferri facem.

Dædala Circe;

*quia Lucretius dixerat;*

Dædala tellus.

Reboant ſiluæque & longus Olympus;

*quia eſt apud Lucretium:*

Nec cithara reboant laqueata aurataque tecta.

*Sed hac licentia largius vſi ſunt veteres, parcius Maro. quippe illi dixerunt &* pauſam *&* machæram *&* aſotian, *&* malacen, *& alia ſimilia. necnon & Punicis Oſciſque verbis vſi ſunt veteres: quorum imitatione Vergilius peregrina verba non reſpuit, vt in illo;*

Silueſtres vri aſſidue.

vri *enim Gallica vox eſt, qua feri boues ſignificantur. &,*

camuris hirtæ ſub cornibus aures.

camuris *peregrinum verbum eſt, id eſt, in ſe redeuntibus. & forte nos quoque cameram hac ratione figuramus.*

## Cap. V.

Epitheta, quæ apud Vergilium noua videntur, vetuſtioribus quoque in vſu fuiſſe.

M*vlta quoque epitheta apud Vergilium ſunt, quæ ab ipſo ficta creduntur. ſed & hæc a veteribus tracta monſtrabo. Sunt autem ex his alia ſimplicia: vt,* Gradiuus, Mulciber: *alia compoſita; vt,* arquitenens, vitiſator. *Sed prius de ſimplicibus dicam:*

Et diſcinctos Mulciber Afros.

*Mulciber eſt Vulcanus;* ——— *quod ignis ſit, & omnia mulceat ac domet. Actius in Philoctete;*

Heu Mulciber
Arma ignauo inuicta es fabricatus manu.

*& Egnatius de rerum natura libro primo.*



Denique

Denique Mulciber ipſe ferens altiſſima cæli
Contingunt.
hædique petulci
Floribus inſultent.

*Lucretius in ſecundo;*

Præterea teneri tremulis in vocibus hædi
Corniferas norunt matres agnique petulci.

*Illud audaciæ maximæ videri poßit quod ait in Bucolicis:*

Et liquidi ſimul ignis;

*pro puro vel lucido, ſeu pro effuſo & abundanti, niſi prior hoc epitheto Lucretius vſus fuiſſet in ſexto:*

Hac etiam fit vti de cauſa mobilis ille
Deuolet in terram liquidi calor aureus ignis.

triſtis *pro* amaro *tranſlatio decens eſt. vt;*

triſtiſque lupini.

*& ita Ennius in libro Sabinarum quarto:* Neque triſte quæritat ſinapi, neque cæpe mæſtum. Auritos lepores *non Maro primus vſurpat ſed Afranium ſequitur; qui in prologo ex perſona Priapi ait:*

Nam quod vulgo prædicant
Aurito me parente natum; non ita eſt.

*&, vt compoſita ſubiungam, quod ait Vergilius:*

Vidi turicremis cum dona imponeret aris:

*iam Lucretius in ſecundo dixerat,*

Nam ſæpe ante deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras.
Quam pius arquitenens.

*Hoc epitheto vſus eſt Næuius belli Punici libro ſecundo:*

Deinde pollens ſagittis inclytus arquitenẽs, ſanctuſque Delphis prognatus Pythius Apollo. *idem alibi:* Cum tu arquitenens ſagittis pollens dea. *Sed & Hoſtius libro ſecundo belli Hiſtrici:*

Dia Minerua, ſimul autem inuictus Apollo,
Arqui-



Arquitenens, Latonius.
Siluicolæ Fauni.

*Næuius libro primo belli Punici:*

Siluicolæ homines bellique inertes.

*Accius in Bacchis:*

Et nunc Siluicolæ ignota inuiſentes loca.
Deſpiciens mare veliuolum.

*Liuius in Helena:*

Tu qui permenſus ponti maria alta veliuola.

*Ennius in quartodecimo:*

Cum procul aſpiciunt hoſtes accedere ventis
Nauibus veliuolis.

*Idem in Andromacha:*

Rapit ex alto naues veliuolas.
Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem.

*Accius in Bacchis:*

O Dionyſe pater optime vitiſator Semela genitus
Euthya
Almaque curru noctiuago Phœbe.

*Egnatius de rerum natura libro primo:*

Roſcida noctiuagis aſtris labentibus Phœbe
Pulſa loco ceſſit concedens lucibus altis.
Tu nubigenas inuicte bimembres.

*Cornificius in Glauco:*

Centauros fœdare bimembres.
Caprigenumque pecus nullo cuſtode per herbas.

*Pacuuius in Paulo:*

Quamuis caprigeno pecori grandior greſſio eſt.

*Accius in Philoctete:*

Caprigenum trita vngulis.

*Idem in Minotauro:*

Taurigeno ſemine ortum an humano?

*Decenter & his epithetis Vergilius vſus eſt; pro* ſagitta, volatile

volatile ferrum, & *pro* Romanis, gentemque togatam; *quorum altero Sueuius, altero Laberius vſus eſt. Nam Sueuius in libro quinto ait:*

Volucrumque volatile telum.

*Ac Laberius in Ephæſo.* Licentiam ac libidinem vt tollam Togatæ ſtirpis. *idem infra,*

Idcirco ope noſtra dilatatum eſt dominium togatæ gentis.

## CAP. VI.

De figuris illis quæ ita ſunt peculiares Vergilio vt apud alios aut raro aut nunquam reperiantur.

FIGVRAS *vero, quas traxit de vetuſtate, ſi volentibus vobis erit, cum repentina memoria ſuggeſſerit, enumerabo. Sed nunc dicat volo Seruius quæ in Vergilio notauerit ab ipſo figurata, non a veteribus accepta, vel auſu poëtico noue quidem ſed decenter vſurpata. quotidie enim Romanæ indoli enarrando eumdem vatem neceſſe eſt habeat huius annotationis ſcientiam promptiorem. Placuit vniuerſis electio in reliqua ſuffecti: & adhortati ſunt Seruium vt quæ in ſe refuſa ſunt annotaret. ille ſic incipit. Vates iſte venerabilis varie modo verba, modo ſenſus figurando multum Latinitati leporis adiecit. qualia ſunt hæc;*

Suppoſita de matre nothos furata creauit:

*vt ipſa creauerit, quos creari fecit.*

Tepidaque recentem
Cæde locum;

*Cum* locus recens cæde *noue dictus ſit.* &;

Hæc ait, & ſocij ceſſerunt æquore iuſſo:

*pro eo quod,* iuſſi ceſſerunt.

& cæſo ſparſerunt ſanguine flammas,

*qui ex cæſis videlicet profunditur.*

Vota deum primo victor ſoluebat Eoo:

*pro,* quæ dis vota ſunt.

Et me



Et me conſortem nati concede ſepulchro.

*alius dixiſſet;*

Et me conſortem nato concede ſepulchri. &;
Illa viam celerans per mille coloribus arcum;

*id eſt,* per arcum mille colorum. &;

Hic alij ſpolia occiſis derepta Latinis
Coniiciunt igni.

*pro,* in ignem. &:

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

tela exit, *pro,* vitat. &:

Senior leto canentia lumina ſoluit.

*pro,* vetuſtate ſenilia.

Exeſæque arboris antro.

*pro,* cauerna. &:

Frontem obſcœnam rugis arat.

arat, *non nimie ſed pulchre dictum.*

Ter ſecum ærato circumfert tegmine ſiluam.

*pro,* iaculis. &:

Vir gregis: *pro* capro. *Et illa quam pulchra ſunt;*
Aquæ mons, telorum ſeges, ferreus imber:

*vt apud Homerum;*

Λαϊνὸν ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ᾽ ὅσσα ἔοργας. &:
Dona laborata Cereris; &:

Oculiſque aut pectore noctem
Accipit. &:

Vociſque offenſa reſultat imago. &:

Pacemque per aras
Exquirunt. &:

Paulatim abolere Sychæum
Incipit.

*Sæpe etiam verba pro verbis pulchre ponit.*

Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis.

ora, *pro* perſonis. &:

Diſcolor

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

*quid eſt enim aura auri, aut quemadmodum aura refulget? ſed tamen pulchre vſurpauit.* &:

Simili frondeſcit virga metallo.

*quam bene vſus eſt,* frondeſcit metallo? &:

Nigri cum lacte veneni.

nigro *imponere nomen lactis.* &:

Haud aliter iuſtæ quibus eſt Mezentius iræ.

odio eſſe aliquem, *vſitatum:* iræ eſſe, *inuentum Maronis eſt. item de duobus incipit dicere, & in vnum deſinit:*

Intereà reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru.

*vt eſt apud Homerum:*

Οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
Ὀξείῃ κορυφῇ· νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκεν. &:
Protinus Orſilochũ & Buten, duo maxima Teucrũ
Corpora, ſed Buten auerſum cuſpide fixit. &c.
Iuturnam fateor miſero ſuccurrere fratri
Suaſi.

*cum ſolitum ſit dici,* Iuturnæ ſuadeo. &:

Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt. &:
Tu modo quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis.
Præcipuum iam inde a teneris impende laborem.

*pro,* in eos impende. *Facit pulcherrimas repetitiones:*

Nam neque Parnaſſi vobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere.
Quæ vobis quæ digna viri pro talibus auſis?
Vidiſtis quo Turnus equo, quibus ibat in armis?

*Nec interpoſitiones eius otioſæ ſunt.*

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum.
At ramum hunc (aperit ramum qui forte latebat)
Agnoſcas.
Vt ſceptrũ hoc (dextra ſceptrũ nam forte gerebat)

Num-



Numquam fronde leui.

*Et illa mutatio elegantiſſima eſt; vt, de quo loquebatur, ſubito ad ipſum verba conuerteret:*

Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes,
Troiamque, OEchaliamq. & duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit: tu nubigenas inuicte bimembreis.

*& reliqua. illa vero intermiſſio,*

Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.

*tracta eſt a Demoſthene:* ἀλλ' ἐμοὶ μὲν. οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου. *Hæc vero quam poëtica indignatio!*

Pro Iuppiter ibit
Hic, ait.

*hæc miſeratio:*

O patria, o rapti nequiquam ex hoſte penates!

*& illa trepidatio:*

Ferte citi ferrum, date tela & ſcandite muros,
Hoſtis adeſt.

*& conqueſtio:*

Mene igitur ſocium tantis adiungere rebus
Niſe fugis?

*Quid illa excogitatio nouorum intellectuum? vt,*

Mentitaque tela. &:
Ferrum armare veneno.
Cultuſque feros mollire colendo.
Exuerint ſilueſtrem animum. &:
Virgineumque alte bibit acta cruorem.

*vt apud Homerum de haſta:*

Λιλαιομένη χροὸς ἆσαι. &:
Pomaque degenerant ſuccos oblita priores. &:
Glacie curſus frenaret aquarum. &:
Mixtaque ridenti colocaſia fundat acantho. &:

Eſt

Eſt mollis flamma medullas
Interea,& tacitum viuit ſub pectore vulnus. &:
Duro ſub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum. &:
Sæuitque canum latratus in auras. &:
Cælataq. amnem fundens pater Inachus vrna. &:
Affixæ venis,animaſque in vulnera ponunt.

*& quicquid de apibus dixit in virorum fortium ſimilitudinem,vt adderet quoq. mores & ſtudia & populos & prælia. quid plura? vt & Quirites vocaret. dies me deficiet,ſi omnia perſequi a Vergilio figurata velim. ſed ex his quæ dicta ſunt omnia ſimilia diligens lector annotabit.*

## CAP. VII.

Vexare,Illaudatus,& Squalere,apud Vergilium quid ſignificent.

CVM *Seruius iſta diſſereret: Prætextatus Auienum Euſtathio inſuſurrantem videns, Quin age, inquit, Euſtathi verecundiam Auieni probi adoleſcentis iuua: & ipſe publicato nobis quod immurmurat. Euſtathius iamdudum,inquit, multa de Vergilio geſtit interrogare Seruium, quorum enarratio reſpicit officium litteratoris; & tempus indulgeri optat, quo de obſcuris ac dubiis ſibi a doctiore fiat certior. & Prætextatus,Probo, inquit, mi Auiene, quod ea de quibus ambigis clam te eſſe non pateris: vnde exoratus ſit a nobis doctiſſimus doctor, vt te ſecum negotium habere patiatur. quia in commune proficient, quæ deſideras audire: ne tu modo vltra ceſſes aperire Seruio viam de Vergilio diſſerendi. tunc Auienus totus conuerſus in Seruium, Dicas volo, inquit, doctorum maxime, quid ſit quod cum Vergilius anxie ſemper diligens fuerit in verbis pro cauſa merito vel atrocitate ponendis, incurioſe & abiecte in his verſibus verbum poſuit;*

Candida



Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates.

vexaſſe *enim verbum eſt leuis ac parui incommodi nec tam atroci caſui congruens, cum repente homines a belua immaniſſima rapti laniatique ſint. Sed & aliud huiuſcemodi deprehendi:*

Quis aut Euryſthea durum
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

*hoc enim verbum,*illaudati,*non eſt idoneum ad exprimendam ſceleratiſſimi hominis deteſtationem; qui, quod homines omnium gentium immolare ſolitus fuit, non laude indignus ſed deteſtatione exſecrationeque totius humani generis dignus eſt. Sed nec hoc verbum ex diligentia Vergiliana venire mihi videtur:*

Per tunicam ſqualentem auro.

*non enim conuenit dicere,*auro ſqualentem: *quoniam nitori ſplendorique auri contraria ſit ſqualoris illuuies. & Seruius: De verbo,* vexaſſe, *ita reſponderi poſſe arbitror.* vexaſſe *graue verbum eſt, tractumque ab eo videtur quod eſt* vehere; *in quo ineſt iam vis quædam alieni arbitrij. non enim ſui potens eſt qui vehitur.* vexare *autem,quod ex eo inclinatum eſt, vi atque motu proculdubio vaſtiore eſt. nam qui fertur & raptatur atque huc & illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur. ſicuti* taxare *preſſius crebriuſque eſt quam* tangere; *vnde id proculdubio inclinatum eſt. &* iactare *multo fuſius largiuſque eſt quam* iacere; *vnde id verbum traductum eſt.* quaſſare *etiam quam* quatere *grauius violentiuſque eſt. Non igitur,quia vulgo dici ſolet vexatum eſſe quem fumo aut vento aut puluere, propterea debet vis vera atque natura verbi deperire, quæ a veteribus qui proprie atque ſignate locuti ſunt, ita vt decuit conſeruata eſt. M. Catonis verba ſunt ex oratione quam de Achæis ſcripſit:* Cumque Hannibal terram Italiam laceraret

atque

atque vexaret. vexare Italiam Hannibalem, quando nullum calamitatis aut ſæuitiæ aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpeſſa ſit. M. Tullius quarto in Verrem: Quæ ab iſto ſic ſpoliata atque direpta eſt, non vt ab hoſte aliquo qui tamen in bello religionem & conſuetudinis iura retineret, ſed vt a barbaris prædonibus vexata eſſe videatur. De illaudato autem duo videntur reſponderi poſſe. Vnum eſt eiuſmodi. Nemo quiſquam tam efflictis eſt moribus, quin faciat aut dicat nonnumquam aliquid quod laudari queat. vnde hic antiquiſſimus verſus vicem prouerbij celebratus eſt:

Πολλάκι γὰρ καὶ μωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Sed enim qui omni in re atque omni tempore laude omni vacat, is illaudatus eſt; iſque omnium peſſimus deterrimuſque eſt. ac ſicuti omnis culpæ priuatio inculpatum facit: inculpatus autem inſtar eſt abſolutæ virtutis, illaudatus quoque igitur finis eſt extremæ malitiæ. itaque Homerus non virtutibus appellandis ſed vitiis detrahendis laudare ampliter ſolet. Hoc enim eſt:

Τὸν δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην.

& item illud:

Ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον,
Οὐδὲ καταπτώσσοντ' οὐδ' οὐκ ἐθέλοντα μάχεσθαι.

Epicurus quoque ſimili modo maximam voluptatem priuationem detractionemque omnis doloris definiuit, his verbis: ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Eadem ratione idem Vergilius inamabilem dixit Stygiam paludem. nam ſicut illaudatum κατὰ στέρησιν laudis, ita inamabilem per amoris στέρησιν deteſtatus eſt. Altero modo illaudatus ita defenditur. laudare ſignificat priſca lingua nominare appellareque. ſic in actionibus ciuilibus auctor laudari dicitur, quod eſt nominari. illaudatus ergo eſt, quaſi illaudabilis, id eſt, numquam nominandus;



dus; ſicuti quondam a communi concilio Aſiæ decretum eſt, vti nomen eius qui templum Dianæ Epheſiæ incenderat ne quis vllo in tempore nominaret. Tertium reſtat ex his quæ reprehenſa ſunt, quod tunicam ſqualentem auro dixit. id autem ſignificat copiam denſitatemque auri in ſquamarum ſpeciem intexti. ſqualere enim dictum eſt ab ſquamarum crebritate aſperitateque, quæ in ſerpentum piſciumue coriis viſuntur. quam rem & alij & hic idem poëta locis aliquot demonſtrat.

Quem pellis, inquit, aënis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.

& alio loco:

Iamque adeo rutilum thoraca indutus aënis
Horrebat ſquamis.

Accius in Pelopidibus ita ſcribit: Eius ſerpentis ſquamæ ſqualido auro & purpura prætextæ. Quicquid igitur nimis inculcatum obſitumque aliqua re erat, vt incuteret viſentibus facie noua horrorem, id ſqualere dicebatur. ſic in corporibus incultis ſquamoſiſque alta congeries ſordium, ſqualor, appellatur. cuius ſignificationis multo aſſiduoque vſu totum id verbum ita contaminatum eſt, vt iam ſqualor de re alia nulla quam de ſolis inquinamentis dici cœperit.

## CAP. VIII.

Alij tres loci apud Vergilium explicati.

GRATVM mihi eſt, Auienus ait, correptum quod de optimis dictis male opinabar. ſed in hoc verſu videtur mihi deeſſe aliquid:

Ipſe Quirinali lituo paruaque ſedebat
Succinctus trabea.

ſi enim nihil deeſſe concedimus; reſtat vt fiat lituo & trabea ſuccinctus, quod eſt abſurdiſſimum. quippe cum lituus ſit virga breuis in parte qua robuſtior eſt incurua, qua au-

 gures

gures vtuntur. nec video qualiter lituo poßit ſuccinctus videri. Reſpondit Seruius ſic hoc dictum eſſe, vt pleraque dici per defectionem ſolent. veluti cum dicitur; M. Cicero homo magna eloquentia, & Roſcius hiſtrio ſumma venuſtate; non plenum hoc vtrumque neque perfectum eſt ſed enim pro pleno ac perfecto auditur. vt Vergilius alio in loco:

Victorem Buten immani corpore,

id eſt, corpus immane habentem. & item alibi;

In medium geminos immani pondere cæſtus
Proiecit.

ac ſimiliter:

Domus ſanie dapibuſque cruentis.

Sic igitur id quoque dictum videri debet:

Ipſe Quirinali lituo.

id eſt, lituum Quirinalem tenens. Quod minime mirandum foret, ſi ita dictum fuiſſet, Picus Quirinali lituo erat: ſicuti dicimus; ſtatua grandi capite erat. Et, eſt, autem & erat, & fuit, plerumque abſunt cum elegantia ſine detrimento ſententiæ. Sed quoniam facta litui mentio eſt, prætermittendum non eſt, quod poſſe quæri animaduertimus, vtrum a tuba lituus auguralis appelletur, an tuba a lituo augurum lituus dicta ſit. vtrumque enim pari forma & pariter in capite incuruum eſt. Sed ſi, vt quidam putant, tuba a ſonitu lituus appellata eſt ex illo Homeri verſu λίγξε βιός: neceſſe eſt vt virga auguralis a tubæ ſimilitudine lituus vocetur. Vtitur autem vocabulo iſto Vergilius & pro tuba; vt ibi;

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Subiecit Auienus: Maturate fugam, quid ſit parum mihi liquet. contraria enim videtur mihi fuga maturitati. vnde quid de hoc verbo ſentiendum ſit quæſo me doceas. Et Seruius: Nigidius homo omnium bonarum artium diſciplinis egregius, Mature, inquit, eſt quod neque citius neque ſerius ſed medium quiddam & temperatum eſt. Bene atque





atque proprie Nigidius. nam & in frugibus & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia ſunt neque caduca & nimium cocta; ſed tempore ſuo temperate adulta. Hanc interpretationem Nigidianam diuus Auguſtus duobus verbis Græcis eleganter exprimebat. nam & dicere in ſermonibus, & ſcribere in epiſtolis ſolitum ferunt, σπεῦδε βραδέως. per quod monebat vt ad rem agendum ſimul adhiberetur & induſtriæ celeritas & tarditas diligentiæ. ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Sic ergo & Vergilius inducit Neptunum diſceſſum ventis imperantem, vt & tam cito diſcedant tanquam fugiant, & tamen flandi mediocritatem in regreſſu teneant, tanquam mature, id eſt, temperate, abeuntes. veretur enim ne in ipſo diſceſſu claſſi noceant, dum raptu nimio tanquam per fugam redeant. Idem Vergilius duo iſta verba maturare & properare tanquam plane contraria ſcitiſſime ſeperauit in his verſibus:

Frigidus agricolas ſi quando continet imber;
Multa, forent quæ mox cælo properanda ſereno,
——— Maturare datur.

Bene & eleganter duo iſta verba diuiſit. namque in præperatu rei ruſticæ, per tempeſtates pluuias, quoniam ex neceſſitate otium eſt, maturari poteſt: per ſerenas vero, quoniam tempus inſtat, properari neceſſe eſt. Sane cum ſignificandum eſt coactius quid & feſtinantius factum, rectius hoc dicitur præmature factum, quam mature. ſicuti Afranius dixit in Togata, cui titulus νόμος eſt:

Appetis dominatum demens præmature præcocem.

in quo verſu animaduertendum eſt quod præcocem inquit non, præcoquem. eſt enim caſus eius rectus non præcoquis, ſed præcox. Hic Auienus rurſus interrogat. Cum Vergilius, inquit, Æneam ſuum tanquam omnia pium a contagione atrocis viſus apud inferos vindicauerit, & magis

*eum fecerit audire reorum gemitus, quam ea ipſe videre tormenta, in ipſos vero campos piorum licenter induxerit: cur hoc tantum verſu oſtendit illi partem locorum, quibus impij cohibebantur?*

Veſtibulum ante ipſum primiſq. in faucibus Orci. *qui enim veſtibulum & fauces videt, intra ipſam ædem iam ſine dubitatione ſucceſſit: aut ſi quid aliud de* veſtibuli *vocabulo intelligendum eſt, ſcire deſidero. ad hæc Seruius: Pleraque ſunt vocabula quibus vulgo vtimur: neque tamen liquido animaduertimus quid ea ex vera proprietate ſignificent. ſicuti eſt* veſtibulum *in ſermonibus celebre atque obuium verbum; non omnibus tamen, qui illo facile vtuntur, liquido ſpectatum. putant enim* veſtibulum *eſſe partem domus priorem, quam* atrium *vocant. ſed Cæcilius Gallus vir doctiſſimus in libro, de ſignificatione verborum quæ ad ius ciuile pertinent, ſecundo, veſtibulum dicit eſſe non in ipſis ædibus neque ædium partem, ſed locum ante ianuam domus vacuum, per quem de via aditus acceſſuſq. ad fores ædium ſit. Ipſa enim ianua procul a via fiebat, area interſita, quæ vacaret. Quæ porro huic vocabulo ratio ſit quæri multum ſolet. ſed quæ ſcripta apud idoneos auctores legi proferre in medium non pigebit.* V*æ particula, ſicuti quædam alia, tum intentionem ſignificat tum minutionem. nam* vetus *&* vehemens *alterum ab ætatis magnitudine compoſitum eliſumque eſt, alterum a nimio impetu & vi mentis inſtructum.* vecors *autem &* veſanus *priuationem ſignificant ſanitatis & cordis. diximus autem ſuperius eos qui amplas domus antiquitus faciebant locum ante ianuam vacuum relinquere ſolitos, qui inter fores domus & viam medius eſſet. in eo loco, qui dominum eius domus ſalutatum venerant, priuſquam admitterentur, conſiſtebant: & neque in via ſtabant, neque intra ædes erant. ab illa ergo grandis loci conſiſtione & quaſi quadam ſtabulatione* veſtibula



*appellata ſunt ſpatia, in quibus multum ſtaretur ab aduenientibus priuſquam intromitterentur in domum. Alij conſentientes veſtibula eadem eſſe, quæ diximus, in ſenſu tamen vocabuli diſſentiunt. referunt enim non ad eos qui adueniunt, ſed ad illos qui in domo commanent: quoniam illic numquam conſiſtunt; ſed ſolius tranſitus cauſa ad hunc locum veniunt exeundo ſiue redeundo. Siue igitur ſecundum priores per augmentum, ſiue per ſecundos per diminutionem intelligendum eſt: tamen* veſtibulum *conſtat aream dici, quæ a via domum diuidit.* fauces *autem iter anguſtum eſt, per quod ad veſtibulum de via flectitur. Ergo Æneas, cum videt fauces atque veſtibulum domus impiorum, non eſt intra domum, nec contactu ædium ſæuo exſecrabilique polluitur; ſed de via videt loca inter viam & ædes locata.*

## CAPVT IX.

Bidentes quid ſignificent, & vnde dictæ. Deinde, equitē idipſum ſignificare nōnumquā quod ſignificatur nomine equi.

BIDENTES hoſtiæ *quid eſſent, inquit Auienus, interrogaui quendam de grammaticorum cohorte; & ille* bidentes *oues eſſe reſpondit, idcircoque* lanigeras *adiectum, vt oues planius demonſtrarentur. Eſto, inquam, oues* bidentes *dicantur. Sed quæ ratio huius in ouibus epitheti, ſcire, inquam, volo. Atque ille nihil cunctatus, Oues, inquit,* bidentes *dictæ ſunt, quod duos tantum dentes habeant. tunc ego: Vbi terrarum, quæſo te, inquam, duos ſolos per naturam dentes habere oues aliquando vidiſti? oſtentum enim hoc eſt & factis piaculis procurandum. tum ille permotus mihi & irritatus, Quære, inquit, ea, quæ a grammatico quærenda ſunt. nam de ouium dentibus opiliones percunctator. Facetias nebulonis hominis riſi, & reliqui. ſed te percunctor quaſi ipſius verborum naturæ conſcium. tum Seruius: De numero dentium quem ille opinatus eſt reprehendendus a me non eſt, cum ipſe iam riſeris. verum procuran-*

*curandum mihi eſt, ne illud obrepat, quod* bidentes *epitheton ſit ouium; cum Pomponius egregius Atellanarum poëta in Gallis tranſalpinis hoc ſcripſerit:*

Mars tibi voueo facturum, ſi vmquam rediero,
bidente verre.

*P. autem* Nigidius, *in libro quem de extis compoſuit*, bidentes *appellari ait, non oues ſolas, ſed omnes beſtias bimas. neque tamen dixit cur ita appellentur. ſed in commentariis ad ius pontificium pertinentibus legi* bidennes *primo dictas*, d, *littera ex ſuperfluo, vt ſæpe aſſolet, interiecta, ſic pro*, reire, redire, *dicitur; & pro*, reamare, redamare, *&*, redarguere, *non*, rearguere. *ad hiatum enim duarum vocalium procurandum interponi ſolet*, d, *littera. ergo* bidennes *primum dictæ ſunt quaſi* biennes; *& longo vſu loquendi corrupta eſt vox ex* bidennibus *in* bidentes. *Higinus tamen, qui ius pontificium non ignorauit, in quinto librorum quos de Vergilio fecit,* bidentes *appellari ſcripſit hoſtias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent: per quos ex minore in maiorem tranſſcendiſſe conſtaret ætatem. Iterum quærit Auienus in his verſibus,*

Frena Pelethronij Lapithæ gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos:

*cur Vergilius equi officium equiti dederit. nam* inſultare ſolo, *&* glomerare greſſus, *equi conſtat eſſe non equitis. Bene, inquit Seruius, hæc tibi quæſtio nata eſt ex incuria veteris lectionis. nam, quia ſæculum noſtrum ab* Ennio *& omni bibliotheca vetere deſciuit, multa ignoramus, quæ non laterent ſi veterum lectio nobis eſſet familiaris. omnes enim antiqui ſcriptores vt hominem equo inſidentem, ita & equum cum portaret hominem equitem vocauerunt, &* equitare *non hominem tantum ſed equum quoque dixerunt. Ennius libro annalium ſeptimo ait;*

Denique vi magna quadrupes eques atq. elephanti
Proiiciunt ſeſe.

*Nunquid dubium eſt quin equitē in hoc loco ipſum equum dixerit, cum addidiſſet epitheton* quadrupes? *ſic &* equitare, *quod verbum e vocabulo equitis inclinatum eſt, & homo vtens equo & equus ſub homine gradiens dicebatur. Lucilius namque vir apprime linguæ Latinæ ſcius equum equitare dicit hoc verſu:*

Nempe hunc currere equum nos atque equitare
videmus.

*Ergo & apud Maronem, qui antiquæ Latinitatis diligens fuit, ita intelligendum eſt,*

Atque equitem docuere ſub armis,

*id eſt, docuerunt equum portantem hominem*

Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

*Subiecit Auienus:*

Cum iam trabibus contextus acernis
Staret equus;

*Scire vellem in equi fabrica caſune an ex induſtria hoc genus ligni nominauerit. nam licet vnum pro quolibet ligno ponere poëticæ licentiæ ſit: ſolet tamen Vergilius temeritatem licentiæ non amare, ſed rationis certæ vim in rerum vel nominum poſitionibus ſeruare.* Tum Seruius; Non ſine ratione Vergilius hoc loco abietem commemorat, item acerem & pinum paulo poſt; nam fulminata abies interitum Dominæ ſignificabat: Et Troia per fœminam periit. Acer autem in tutela ſtuporis, & viſo equo ſtupuere Troiani, vt;* pars ſtupet innuptę donum exitiale Mineruæ. *Pinus quidem in tutela eſt Matris Deum, ſed & fraudium & inſidiarum; quia eius poma cadentia per fraudem interimunt, & hic ſcilicet equus plenus inſidiarum eſt. His a Seruio peroratis ſtatuerunt in craſtino Flauianum audire quoniam Maro in Augurali iure refulſit.*

* Clauſula hæc tota reſtituta de ſcripto.

# AVRELII MACROBII
## AMBROSII THEODOSII
## V. C. & *inluſtris*
### CONVIVIORVM POSTREMI DIEI.
## Saturnaliorum
## LIBER SEPTIMVS.

### CAPVT I.

Quando & quibus de rebus philoſophandum in conuiuio.

PRIMIS *menſis poſt epulas iam remotis & diſcurſum variantibus poculis minutioribus: Prætextatus, Solet, inquit, cibus cum ſumitur tacitos efficere, potus loquaces. at nos & inter pocula ſilemus, tamquam debeat ſeriis vel etiam philoſophicis carere tractatibus tale conuiuium. & Symmachus; Verumne? ita ſentis Vetti, vt philoſophia conuiuiis interſit; & non tamquam cenſoria quadam & plus nimio reuerenda mater familias penetralibus ſuis contineatur; nec miſceat ſe Libero, cui etiam tumultus familiares ſunt; cum ipſa huius ſit verecundiæ vt ſtrepitum non modo verborum ſed ne cogitationum quidem in ſacrarium ſuæ quietis admittat? doceat nos vel peregrina inſtitutio vel diſciplina a Parthis petita; qui ſolent cum concubinis non cum coniugibus inire conuiuia: tamquam has & in vulgus produci & laſciuire quoque, illas non niſi domi abditas tueri deceat tectum pudorem. An ego cenſeam producendam philoſophiam, quo rethorica venire ars & profeſſio popularis erubuit?*





*buit? Iſocrates enim Græcus orator, qui verba prius libera ſub numeros ire primus coëgit, cum in conuiuio a ſodalibus oraretur vt aliquid in medium de eloquentiæ ſuæ fonte proferret, hac venia deprecatus eſt: Quæ præſens, inquit, locus & tempus exigit ego non calleo; quæ ego calleo nec loco præſenti ſunt apta nec tempori. Ad hæc Euſtathius: Probo, Symmache, propoſitum tuum, quod philoſophiam ea, quam maximam putas, obſeruatione veneraris, vt tantum intra ſuum penetral æſtimes adorandam. ſed ſi propter hoc a conuiuiis exulabit; procul hinc faceſſant & alumnæ eius. honeſtatem dico & modeſtiam; nec minus cum ſobrietate pietatem. quam enim harum dixerim minus eſſe venerabilem? ita fit vt ab eiuſmodi cœtibus relegatus matronarum talium chorus libertatem conuiuiorum ſolis concubinis, id eſt, vitiis & criminibus addicat. Sed abſit vt philoſophia, quæ in ſcholis ſuis ſolicite tractat de officiis conuiualibus, ipſa conuiuia reformidet; tamquam non poſſit rebus aſſerere quæ ſolet verbis docere; aut neſciat ſeruare modum cuius in omnibus humanæ vitæ actibus terminos ipſa conſtituit. Neque enim ita ad menſas inuito philoſophiam, vt non ſe ipſa moderetur; cuius diſciplina eſt rerum omnium moderationem docere. Vt ergo inter te & Vettium velut arbitrali iudicatione componam: aperio quidem philoſophiæ tricliniorum fores: ſed ſpondeo ſic interfuturam, ne menſuram notæ ſibi ac ſectatoribus ſuis diſpenſationis excedat. tunc Furius, Quia te vnicum, Euſtathi, inquit, ſectatorem philoſophiæ noſtra ætas tulit, oratus ſis vt modum diſpenſationis, quam das ei conuiuanti, nobis ipſe patefacias. & Euſtathius: Primum hanc eam ſcio ſeruaturam, vt ſecum æſtimet præſentium ingenia conuiuarum: &, ſi plures peritos vel ſaltem amatores ſui in conuiuij ſocietate repererit, ſermonem de ſe patietur agitari. quia, velut paucæ litteræ mutæ diſperſæ inter multas vocales in ſocietatem vocis facile manſueſcunt,*

*ſueſcunt, ita rariores imperiti gaudentes conſortio peritorum aut conſonant ſi qua poſſunt, aut rerum talium capiuntur auditu. ſi vero plures ab inſtitutione diſciplinæ huius alieni ſint: prudentibus, qui pauciores intererunt, ſanciet diſsimulationem ſui; & patietur loquacitatem maiori parti amiciorem ſociare: ne rara nobilitas a plebe tumultuoſiore turbetur. & hæc vna eſt de philoſophiæ virtutibus quia, cum orator non aliter niſi orando probetur, philoſophus non minus tacendo pro tempore quam loquendo philoſophatur. ſic ergo pauci qui aderunt doctiores in conſenſum rudis conſortij, ſalua & intra ſe quieſcente veri notione, migrabunt, vt omnis diſcordiæ ſuſpicio faceſſat. Nec mirũ ſi doctus faciet, quod fecit quondam Piſiſtratus Athenarum tyrannus. qui, cum filiis ſuis rectum dando conſilium non obtinuiſſet aſſenſum atque ideo eſſet in ſimultate cum liberis, vbi hoc æmulis cauſam fuiſſe gaudij comperit ex illa diſcordia ſperantibus in domo regnantis naſci poſſe nouitatem: vniuerſitate ciuium conuocata, ait ſuccenſuiſſe quidem ſe filiis non acquieſcentibus patriæ voluntati; ſed hoc ſibi poſtea viſum paternæ aptius eſſe pietati, vt in ſententiam liberorum ipſe concederet: ſciret igitur ciuitas ſubolem regis cum patre concordem. hoc commento ſpem detraxit inſidiantibus regnantis quieti. Ita in omni vitæ genere præcipueque in lætitia conuiuali omne quod videtur abſonum in vnam concordiam ſoni ſalua innocentia redigendum eſt. Sic Agathonis conuiuium, quia Socratas, Phædros, Panſanias & Eriſymmachos habuit, ſic & cœna, quam Callias doctiſsimus dedit. Charmadam dico Antiſthenen & Hermogenen ceteroſq. his ſimiles, verbum nullum niſi philoſophum ſenſit. at vero Alcinoi & Didonis menſa, quaſi ſolis apta deliciis, habuit hæc Iopam, illa Demodocum cithara canentes. nec deerant apud Alcinoum ſaltatores viri, & apud Didonem Bitias ſic hauriens merum vt ſe totum ſuperflua eius*



*eius effuſione prolueret. Nonne, ſi quis aut inter Phæacas aut apud Pœnos ſermones de ſapientia erutos conuiualibus fabulis miſcuiſſet, & gratiam illis cœtibus aptam perderet & in riſum plane iuſtum moueret? Ergo prima eius obſeruatio erit æſtimare conuiuas. Deinde, vbi ſibi locum patere viderit, non de ipſis profunditatis ſuæ ſecretis inter pocula loquetur, nec nodoſas & anxias ſed vtiles quidem faciles tamen quæſtiones mouebit. nam ſicut inter illos, qui exercitij genus habent in mediis ſaltare conuiuiis, ſi quis vt ſe amplius exerceat vel ad curſum vel ad pugillatum ſodales laceſsiuerit, quaſi ineptus relegabitur ab alacritate conſortij; ſic apud menſam, quando licet, aptis philoſophandum eſt: vt crateri liquoris ad lætitiam nati adhibeatur non modo nympharum ſed Muſarum quoque admixtione temperies. nam ſicut fateri neceſſe eſt, in omni conuentu aut tacendum eſt aut loquendum; quæramus ſilentium ne conuiuiis an & opportunus ſermo conueniat. Nam ſi, vt apud Æthenas Atticas Areopagitæ tacentes iudicant ita inter epulas oportet ſemper ſileri: non eſt vltra quærendum inter menſas philoſophandum nec ne ſit. Si vero non erunt muta conuiuia: cur; vbi ſermo permittitur, honeſtus ſermo prohibetur? maxime cum non minus quam dulcedo vini hilarent verba conuiuium. nam, ſi Homeri latentem prudentiam ſcruteris altius, delenimentum illud quod Helena vino miſcuit:*

Νηπενθές τ᾽, ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,

*non herba fuit, non ex India ſuccus, ſed narrandi opportunitas quæ hoſpitem mæroris oblitũ flexit ad gaudium. Vlyſsis enim præclara facinora filio præſente narrabat,*

Οἷον καὶ τὸ δ᾽ ἔρεξε καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνήρ.

*Ergo paternam gloriam & ſingula eius fortia facta digerendo animum filij fecit alacriorem; & ita credita eſt contra mærorem vino remedium miſcuiſſe. Quid hoc, inquis, ad philoſophiam? immo nihil tam cognatum ſapientiæ quam locis*

locis & temporibus aptare ſermones, perſonarum quæ aderunt æſtimatione in medium vocata. alios enim relata incitabant exempla virtutum, alios beneficiorũ, nonnullos modeſtiæ; vt qui aliter agebant ſæpe auditis talibus ad emendationem venirent. Sic autem vitiis irretitos, ſi & hoc in conuiuiis exegerit loquendi ordo, feriet philoſophia non ſentientes, vt Liber pater thyrſo ferit per obliquationem circumfuſæ hederæ latentem mucronem: quia non ita profitebitur in conuiuio cenſorem vt palam vitia caſtiget. Ceterum his obnoxij repugnabunt: & talis erit conuiuij tumultus, vt ſub huiuſmodi inuitati videantur edicto;

Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.

aut vt Homerus breuius & expreſſius dixit;

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.

Ergo ſi opportunitas neceſſariæ reprehenſionis emerſerit, ſic a philoſopho proficiſcetur, vt & tecta & efficax ſit. quid mirum, ſi feriet ſapiens, vt dixi, non ſentientes, cum interdum ſic reprehendat, vt reprehenſus hilaretur? nec tantum fabulis ſuis ſed interrogationibus quoque vim philoſophia nihil ineptum loquentis oſtendet. Hanc ergo nullus honeſtus actus locuſve, cœtus nullus excludat; quæ ita ſe aptat, vt vbiq. ſic appareat neceſſaria, tanquã abeſſe illã nefas fuerit.

## CAP. II.

### De quibus libenter quiſque interrogetur.

ET Auienus: Nouas mihi duas diſciplinas videris inducere interrogandi & reprehendẽdi, vt alacritas vtrimque his, ad quos ſermo eſt, excitetur: cum dolor ſemper reprehenſionem vel iuſtam ſequatur. vnde hæc, quæ leuiter attigiſti, fac quæſo enarrando planiora. Primum, inquit Euſtathius, hoc teneas volo, non de ea me reprehenſione dixiſſe quæ ſpeciem accuſationis habet, ſed quæ vituperationis

inſtar



inſtar eſt. hoc Græci ſcomma vocant non minus quidem amarum quam accuſatio, ſi importune proferatur: ſed a ſapiente proferetur vt dulcedine quoque non careat. Et, vt prius tibi de interrogatione reſpondeam, qui vult amœnus eſſe conſultor ea interrogat quæ ſunt interrogato facilia reſponſu, & quæ ſcit illum ſedula exercitatione didiciſſe. gaudet enim quiſquis prouocatur ad doctrinam ſuam in medium proferendam: quia nemo vult latere quod didicit; maxime ſi ſcientia quam labore quæſiuit cum paucis illi familiaris & plurimis ſit incognita, vt de aſtronomia vel dialectica ceteriſque ſimilibus. tunc enim videntur conſequi fructum laboris, cum adipiſcuntur occaſionem publicandi quæ didicerant ſine oſtentationis nota; qua caret qui non ingerit ſed inuitatur vt proferat. contra magnæ amaritudinis eſt ſi coram multis aliquem interroges, quod non optima ſcientia quæſiuit. cogitur enim aut negare ſe ſcire (quod extremum verecundiæ damnum putant) aut reſpondere temere & fortuito ſe euentui veri falſi ve committere. vnde ſæpe naſcitur inſcitiæ proditio: & omne hoc infortunium pudoris ſui imputat conſulenti. necnon & qui obierunt maria & terras gaudent cum de ignoto multis vel terrarum ſitu vel ſinu maris interrogantur; libenterque reſpondent & deſcribunt modo verbis modo radio loca; glorioſum putantes quæ ipſi viderint aliorum oculis obiicere. quid duces vel milites? quam fortiter a ſe facta ſemper dicturiunt & tamen tacent arrogantiæ metu? nonne hi ſi vt hæc referant inuitentur mercedem ſibi laboris æſtimant perſolutam, remunerationem putantes inter volentes narrare quæ fecerint? Adeo autem id genus narrationum habet quendam gloriæ ſaporem, vt ſi inuidi vel æmuli forte præſentes ſint, tales interrogationes obſtrependo diſcutiant, & alias inſerendo fabulas prohibeant illa narrari quæ ſolent narranti laudem creare. Pericula quoque præterita vel ærumnas penitus

nitus

*nitus abſolutas qui euaſit, vt referat gratiſſime prouocatur. nam qui adhuc in ipſis vel paululũ detinetur, horret admonitionem & formidat relatum. Id adeo Euripides expreſſit,*

Ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

*adiecit enim* σωθέντα *vt oſtenderet poſt finem malorum gratiam relationis incipere. & poëta veſter adiiciendo,* olim, *quid niſi poſt emenſa infortunia futuro tempore iuuare dicit memoriam ſedati laboris?*

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

*Nec negauerim eſſe malorum genera, quæ non vult qui pertulit vel tranſacta meminiſſe: nec minus interrogatus offenditur, quam cum in ipſis malis fuit, vt qui carnifices expertus eſt & tormenta membrorum; aut qui infauſtas pertulit orbitates: vel cui nota quondam afflicta cenſoria eſt. caue interroges, ne videaris obiicere. illum ſæpe ſi potes ad narrandũ prouoca, qui recitando fauorabiliter exceptus eſt, vel qui libere & feliciter legationem peregit, vel qui ab imperatore comiter affabiliterq. ſuſceptus eſt, vel ſi quis tota pæne claſſe a piratis occupata ſeu ingenio ſeu viribus ſolus euaſit. quia vix implet deſiderium loquẽtis rerum talium vel longa narratio. Iuuat, ſi quem dicere iuſſeris amici ſui repentinam felicitatem, quam ſponte non audebat vel dicere vel tacere modo iactantiæ modo malitiæ metu. Qui venatibus gaudet, interrogetur de ſiluæ ambitu, de ambage luſtrorum, de venationis euentu. Religioſus ſi adeſt: da illi referendi copiam quibus obſeruationibus meruerit auxilia deorũ, quantus illi ceremoniarum fructus. quia & hoc genus religionis exiſtimant numinum beneficia non tacere. adde quia volunt & amicos ſe numinibus æſtimari. ſi vero & ſenex præſens eſt: habes occaſionem qua plurimũ illi contuliſſe videaris, ſi eum interroges vel quæ ad illum omnino non pertinent. eſt enim huic ætati loquacitas familiaris. hæc ſciens Homerus quandam congeriem ſimul interrogationum Neſtori fecit offerri:*

Ὦ Νέστορ



Ὦ Νέστορ Νηληϊάδη, σὺ δ' ἀληθὲς ἐνίσπε.
Πῶς ἔθαν' Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων;
Ποῦ Μενέλαος ἔην;
Ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιϊκοῦ.

*Tot loquendi ſemina interrogando congeſſit, vt pruritum ſenectutis expleret. & Vergilianus Æneas gratum ſe ad omnia præbens Euandro varias illi narrandi occaſiones miniſtrat. neque enim de vna re aut altera requirit,*

ſed ſingula lætus
Exquiritque, auditq. virum monumenta priorum.

*& Euander conſultationibus captus ſcitis quam multa narrauerit.*

## Cap. III.

De vario ſcommatum genere: & quam caute his vtendum inter conuiuas.

**H**ÆC *dicentem fauor omnium excepit. ſed mox ſubiecit Auienus: Vos omnes qui doctorum doctiſſimi adeſtis orauerim, vt hortatu veſtro Euſtathius quæ de ſcommate paulo ante dixerit animetur aperire: omnibuſque ad hoc prouocantibus ille contexuit. Præter categoriam quæ* ψόγος *eſt & præter* διαβολὴν *quæ delatio eſt, ſunt alia duo apud Græcos nomina, lædoria & ſcomma; quibus nec vocabula Latina reperio, niſi forte dicas lædoriam exprobrationem eſſe ac directam contumeliam. ſcomma enim pæne dixerim morſum figuratum, quia ſæpe fraude vel vrbanitate tegitur, vt aliud ſonet aliud intelligas. nec tamen ſemper ad amaritudinem pergit, ſed nonnumquam his in quos iacitur & dulce eſt. quod genus maxime vel ſapiens vel alias vrbanus exercet, præcipue inter menſas & pocula, vbi facilis eſt ad iracundiam prouocatio. nam ſicut in præcipiti ſtantem vel leuis tactus impellit; ita vino vel infuſum, vel aſperſum paruus quoq. dolor incitat in furorem. Ergo cautius in*

conuiuio

conuiuio abſtinendum ſcommate, quod tectam intra ſe habet iniuriam. tanto enim preſſius hærent dicta talia quam directæ lædoriæ, vt hami anguloſi quam directi mucrones tenacius infiguntur: maxime quia dicta huiuſmodi riſum præſentibus mouent, quo velut aſſenſus genere confirmatur iniuria. Eſt autem lædoria huiuſmodi: Oblituſne es quia ſalſamenta vendebas? Scomma autem, quod diximus ſæpe contumeliam eſſe celatam, tale eſt: Meminimus quando brachio te emungebas. nam, cum res eadem vtrobique dicta ſit; illud tamen lædoria eſt quod aperte obiectum exprobratumque eſt, hoc ſcomma quod figurate. Octauius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait; Non audio quæ dicis. ille reſpondit; Certe ſolebas bene foratas habere aures. hoc eo dictum eſt, quia Octauius Libys oriundus dicebatur, quibus mos eſt aurem forare. In eumdem Ciceronem Laberius cum ab eo ad conſeſſum non reciperetur dicentem, Reciperem te niſi anguſte ſederem: ait mimus ille mordaciter; Atquin ſolebas duabus ſellis ſedere; obiiciens tanto viro lubricum fidei. Sed & quod Cicero dixit; niſi anguſte ſederem, ſcomma fuit in C. Cæſarem; qui in ſenatum paſſim tam multos admittebat vt eos quatuordecim gradus capere non poſſent. Tali ergo genere, quod ſatum contumeliæ eſt, abſtinendum ſapienti ſemper, ceteris in conuiuiis eſt. Sunt alia ſcommata minus aſpera quaſi edentatæ beluæ morſus. vt Tullius in conſulem qui vno tantum die conſulatũ peregit, Solent, inquit, eſſe flamines diales; modo conſules diales habemus. & in eundem; Vigilantiſſimus eſt conſul noſter, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit. eidemque exprobranti ſibi quod ad eum conſulem non veniſſet, Veniebam, inquit, ſed nox me comprehendit. Hæc & talia ſunt, quæ plus vrbanitatis minus amaritudinis habent: vt ſunt & illa de nonnullis corporeis vitiis aut parum aut nihil





gignentia doloris: vt ſi in caluitium cuiuſquam dicas vel in naſum ſeu curuam erectionem ſeu Socraticam depreſſionem. hæc enim, quanto minoris infortunij ſunt, tanto leuioris doloris. contra oculorum orbitas non ſine excitatione commotionis obiicitur. quippe Antigonus rex Theocritum Chium, de quo iurauerat quod ei parſurus eſſet, occidit propter ſcomma ab eodem de ſe dictum. cum enim quaſi puniendus ad Antigonum raperetur, ſolantibus eum amicis ac ſpem pollicentibus, quod omnimodè clementiam regis experturus eſſet cum ad oculos eius veniſſet: reſpondit; Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis. erat autem Antigonus vno orbatus oculo. & importuna vrbanitas maledicacem luce priuauit. Nec negauerim philoſophos quoque incurriſſe nonnumquam per indignationẽ hoc genus ſcommatis. nam cum regis libertus ad nouas diuitias nuper erectus philoſophos ad conuiuium congregaſſet, & irridendo eorum minutulas quæſtiones ſcire ſe velle dixiſſet, cur ex nigra & ex alba faba pulmentum vnius coloris edatur: Aridices philoſophus indigne ferens, Tu nobis, inquit, abſoluas cur & de albis & nigris loris ſimiles maculæ gignantur. Sunt ſcommata quæ in ſuperficie habent ſpeciem contumeliæ, ſed interdum non tangunt audientes, cum eadem ſi obnoxio dicantur exagitent: vt contra ſunt quæ ſpeciem laudis habent, & perſonam audientis efficiunt contumeliæ plenam. De priore genere prius dicam. L. Quintius prætor de prouincia nuper reuerterat obſeruata, quod mireris Domitiani temporibus, præturæ maxima caſtitate. is cum æger aſſidenti amico diceret frigidas ſe habere manus; renidens ille ait; Atquin eas de prouincia calidas paulo ante reuocaſti. riſit Quintius delectatuſque eſt, quippe alieniſſimus a ſuſpicione furtorum. contra ſi hoc diceretur male ſibi conſcio & ſua furta recolenti, exacerbaſſet auditum. Critobulum famoſæ pulchritudinis adoleſcentem Socrates cum ad compa-

*rationem ſormæ prouocaret; iocabatur, non irridebat. certe ſi dicas conſummatarum diuitiarum viro*, tibi excito creditores tuos, *aut ſi nimis caſto*, gratæ ſunt tibi meretrices, quia continua eas largitate ditaſti: *vterque delectabuntur, ſcientes his dictis ſuam conſcientiam non grauari. ſicut contra ſunt quæ ſub ſpecie laudis exagitant, ſicut paulo ante diuiſi. nam ſi timidiſſimo dixero*, Achilli vel Herculi comparandus es, *aut famoſæ iniquitatis viro*, ego te Ariſtidi in æquitate præpono: *ſine dubio verba laudem ſonantia ad notam vituperationis ſuæ vterque tracturus eſt. Eadem ſcommata eoſdem modo iuuare modo mordere poſſunt, pro diuerſitate præſentium perſonarum. ſunt enim quæ ſi coram amicis obiiciantur nobis libenter audire poſſumus. vxore vero ſeu parentibus vel magiſtris præſentibus dici in nos aliquod ſcomma nolumus; niſi forte tale ſit quod illorum cenſura libenter accipiat. vt ſi quis adoleſcentem coram parentibus vel magiſtris irrideat, quod inſanire poſſit continuis vigiliis lectionibuſque nocturnis; aut vxore præſente, quod ſtulte faciat vxorium ſe præbendo nec vllam elegantiam eligendo formarum. hæc enim & in quos dicuntur & præſentes hilaritate perfundunt. Commendat ſcomma & conditio dicentis ſi in eadem cauſa ſit: vt ſi alium de paupertate pauper irrideat, ſi obſcure natum natus obſcure. nam Tharſius Amphias, cum ex hortulano potens eſſet & in amicum quaſi degenerem nonnulla dixiſſet, mox ſubiecit*; Sed & nos de iiſdem ſeminibus ſumus; *& omnes pariter lætos fecit. Illa vero ſcommata directa lætitia eum in quem dicuntur infundunt; ſi virum fortem vituperes quaſi ſalutis ſuæ prodigum & pro aliis mori volentem, aut ſi obieceris liberali quod res ſuas profundat minus ſibi quam aliis conſulendo. Sic & Diogenes Antiſthenem Cynicum magiſtrum ſuum ſolebat veluti vituperando laudare.* Ipſe me, *aiebat*, mendicum fecit ex diuite, & pro ampla domo



domo in dolio fecit habitare. *Melius autem iſta dicebat quam ſi diceret*; gratus illi ſum, quia ipſe me philoſophum & conſummatæ virtutis virum fecit. *Ergo, cum vnum nomen ſcommatis ſit, diuerſi in eo continentur effectus. ideo apud Lacedæmonios inter cetera exactæ vitæ inſtituta, hoc quoque exercitij genus a Lycurgo eſt inſtitutum vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere & ab aliis in ſe dicta perpeti diſcerent. ac ſi quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, vlterius ei in alterum dicere non licebat. Cum ergo videas, mi Auiene (inſtituenda eſt enim adoleſcentia tua quæ ita docilis eſt vt diſcenda præcipiat) cum videas, inquam, anceps eſſe omne ſcommatum genus; ſuadeo in conuiuiis, in quibus lætitiæ inſidiatur ira, ab eiuſmodi dictis faceſſas, & magis quæſtiones conuiuales vel proponas vel ipſe diſſoluas. quod genus veteres ita ludicrum non putarunt; vt & Ariſtoteles de ipſis aliqua conſcripſerit, & Plutarchus, & veſter Apuleius: nec contemnendũ ſit, quod tot philoſophantium curam meruit.*

## CAP. IIII.

Cibum ſimplicem præferendum eſſe multiplici, vt qui ſit digeſtu facilior.

ET. *Prætextatus: Hoc quæſtionum genus, cum & ſenilem deceat ætatem, cur ſoli iuueni ſuadetur? Quin agite omnes, qui adeſtis hic, apta conuiuio fabulemur; nec de cibatu tantum, ſed & ſiqua de natura corporum, vel alia; præſente maxime Diſario noſtro, cuius plurimum ad hoc genus quæſtionum poterit ars & doctrina conferre: ſortiamurque, ſi videtur, vt per ordinem vnuſquiſq; proponat quam ſoluendam æſtimat quæſtionem. Hic aſſenſi omnes Prætextato anteloquium detulerunt, orantes vt, cum ipſe cœpiſſet, ceteris ex filo conſultationis eius interrogandi conſtitueretur exemplum. tum ille Quæro, inquit, vtrũ ſimplex*

*an multiplex cibus digeſtu ſit facilior: quia multos hunc, nonnullos illum ſectantes videmus. & eſt quidem ſuperba & contumax & veluti ſui oſtentatrix continentia: contra amœnam ſe & comem appetentia vult videri. cum ergo vna cenſoria ſit, delicata altera; ſcire equidem velim quæ ſeruandæ aptior ſit ſanitati. Nec longe petendus aſſertor eſt, cum Diſarius adſit; qui quid conueniat corporibus humanis non minus callet, quam ipſa natura fabricæ huius auctor & nutrix. dicas ergo velim quid de hoc quod quæritur medicinæ ratio perſuadeat. Si me, Diſarius inquit, aliquis ex plebe imperitorum de hac quæſtione conſuluiſſet: quia plebeia ingenia magis exemplis quam ratione capiuntur, admonuiſſe illum contentus forem inſtitutionis pecudũ: quibus cum ſimplex & vniformis cibus ſit, multo ſaniores ſunt corporibus humanis; & inter ipſas illæ morbis implicantur, quibus vt altiles fiant offæ compoſitæ & quibuſdam condimentis variæ farciuntur. nec dubitaret poſt hac; cum aduertiſſet animalibus ſimplici cibo vtentibus familiarem ſanitatem, ægreſcere autem inter illa quæ ſaginam compoſita varietate patiuntur. quia conſtat id genus alimoniæ non magis copia quam varietate crudeſcere. fortaſſe illum attentiorẽ exemplo altero feciſſem, vt conſideraret nullum vnquam fuiſſe medicorum circa curas ægreſcentium tam audacis negligentiæ vt febrienti varium & non ſimplicem cibum daret. adeo conſtat quam facilis digeſtu ſit vniformis alimonia, vt ei vel cum infirma eſt natura ſufficiat. nec tertium defuiſſet exemplum, ita eſſe vitandam ciborum varietatem, vt varia ſolent vina vitari. quis enim ambigat eum qui diuerſo vino vtitur in repentinam ruere ebrietatem, nec dum hoc potus copia poſtulante? tecum autem, Vetti, cui ſoli perfectionem diſciplinarum omnium contigit obtinere, non tam exemplis quam ratione tractandum eſt, quæ & me tacente clam te eſſe non poterat. Cruditates eueniunt aut qualitate ſucci in quem cibus vertitur ſi non ſit aptus humori qui corpus obtinuit, aut ipſius cibi multitudine non ſufficiente natura ad omnia quæ congeſta ſunt concoquenda. ac primum de ſucci qualitate videamus. Qui ſimplicem cibum ſumit, facile quo ſucco corpus eius vel iuuetur vel grauetur vſu docente cognoſcit. nec enim ambigit cuius cibi qualitate poſſeſſus ſit, cum vnum ſumpſerit. & ita fit vt noxa, cuius cauſa deprehenſa ſit, facile vitetur. qui autem multiplici cibo alitur, diuerſas patitur qualitates ex diuerſitate ſuccorũ: nec concordant humores ex materiæ varietate naſcentes, nec efficiunt liquidum purumve ſanguinem in quem iecoris miniſterio vertuntur, & in venas cum tumultu ſuo tranſeunt. hinc morborum ſcaturigo, qui ex repugnantium ſibi humorum diſcordia naſcuntur. Deinde quia non omnium quæ eſui ſunt vna natura eſt, non omnia ſimul coquuntur; ſed alia celerius, tardius alia: & ita fit vt digeſtionum ſequentium ordo turbetur. neque enim cibi quem ſumimus vna digeſtio eſt: ſed vt corpus nutriat quatuor patitur digeſtiones. quarum vnam omnes vel ipſi quoque hebetes ſentiunt; alias occultior ratio deprehendit. quod vt omnibus liqueat, paulo altius mihi cauſa repetenda eſt. Quatuor ſunt in nobis virtutes, quæ adminiſtrandam alimoniam receperunt. quarum vna dicitur καθεκτικὴ, quæ deorſum trahit cibaria confecta mandibulis. quid enim tam craſſam materiam per faucium anguſta ſulciret, niſi eam vis naturæ occultior hauriret. hauſta vero vt non continuo lapſu per omne corpus ſuccedentibus ſibi foraminibus peruium ad imum vſque deſcendant & talia qualia accepta ſunt egerantur, ſed ſalutare officium digeſtionis exſpectent, ſecundæ hoc cura virtutis eſt; quam Græci, quia retentatrix eſt, vocant καταδεκτικὴν. Tertia, quia cibum in aliud ex alio mutat, vocatur ἀλλοιωτική. Huic obſequuntur omnes; quia ipſa digeſtionibus curat. ventris enim duo ſunt orificia. quorum*

rum ſuperius erectum recipit deuorata & in ſollem ventris recondit. hic eſt ſtomachus, qui paterfamilias dici meruit, quaſi omne animal ſolus gubernans. nam, ſi ægreſcat, vita in ancipiti eſt, titubante alimoniæ meatu; cui natura tanquam rationis capaci velle ac nolle contribuit. inferius vero demiſſum inteſtinis adiacentibus inſeritur, & inde via eſt egerendis. Ergo in ventre fit prima digeſtio, virtute ἀλλοιωτικῇ in ſuccum vertente quicquid acceptum eſt. cuius fæx retrimenta ſunt, quæ per inteſtina inferiore orificio tradente labuntur: & officio quartæ virtutis, cui ἀποκριτικὴ nomen eſt, procuratur egeſtio. Ergo, poſtquam in ſuccum cibus reformatur, hic iam iecoris cura ſuccedit. eſt autem iecur concretus ſanguis, & ideo habet natiuum calorem quod confectum ſuccum vertit in ſanguinem. & ſicut cibum in ſuccum verti prima eſt, ita ſuccum tranſire in ſanguinem ſecunda digeſtio eſt. hunc calor iecoris adminiſtratum per venarum fiſtulas in ſua quæque membra diſpergit, parte quæ ex digeſtis frigidiſſima eſt in lienem refuſa. qui, vt iecur caloris, ita ipſe frigoris domicilium eſt. nam ideo omnes dexteræ partes validiores ſunt, & debiliores ſiniſtræ; quia has regit calor visceris ſui, illæ contagione frigoris ſiniſtra obtinentis hebetantur. in venis autem & arteriis quæ ſunt receptacula ſanguinis & ſpiritus tertia fit digeſtio. nam acceptum ſanguinem quodammodo defæcant; & quod in eo aquoſum eſt, venæ in veſicam refundunt: liquidum vero purumque & altilem ſanguinem ſingulis totius corporis membris miniſtrant. & ita fit vt, cum cibum ſolus venter accipiat, alimonia eius diſperſa per vniuerſos membrorum meatus, oſſa quoque & medullas & vngues nutriat & capillos. & hæc eſt quarta digeſtio quæ in ſingulis membris fit, dum quod vnicuiq. membro datum eſt ipſi membro fit nutrimentum. nec tamen huic totiens defæcato retrimenta ſua deſunt; quæ, cum membra omnia in ſua ſunt ſanitate, per occultos

euaneſcunt



euaneſcunt meatus. ſi qua vero pars corporis ægreſcat; in ipſam quaſi infirmiorem vltima illa quæ diximus retrimenta labuntur. & hinc naſcuntur morborum cauſæ quæ νοσήματα medicis vocare mos eſt. ſi enim fuerit vltimi ſucci iuſto vberior multitudo: hanc a ſe repellit pars corporis illa quæ ſanior eſt, & ſine dubio labitur in infirmam, quæ vires non habet repellendi. vnde alieni receptio diſtendit locum in quem ciciderit; & hinc creantur dolores. Hæc eſt ergo triplex cauſa vel podagræ vel cuiuſlibet morbi, multitudo humoris, fortitudo membri a ſe repellentis & recipientis infirmitas. Cum igitur aſſeruerimus quatuor in corpore fieri digeſtiones quarum altera pendet ex altera, & ſi præcedens fuerit impedita nullus fit ſequentis effectus: recurramus animo ad illam primam digeſtionem quæ in ventre conficitur, & inuenietur quid impedimenti ex multiformi naſcatur alimonia. diuerſorum enim ciborum diuerſa natura eſt: & ſunt qui celerius ſunt qui tardius digeruntur. Cum ergo prima digeſtio vertit in ſuccum, quia non ſimul accepta omnia vertuntur, quod prius verſum eſt dum alia tardius vertuntur aceſcit: & hoc ſæpe etiam eructando ſentimus. Alia quoque quibus tarda digeſtio eſt, velut ligna humida quæ vrgente igne fumum de ſe creant: ſic & illa imminente igne naturæ fumant dum tardius concoquuntur. ſiquidem nec hoc ſenſum eructantis euadit. cibus autem ſimplex non habet controuerſam moram, dum ſimul in ſimplicem ſuccum vertitur. nec digeſtio vlla turbatur, dum omnes ſibi ſtata momentorum dimenſione ſuccedunt. Siquis autem (quia nihil impatientius imperitia) rationes has dedignetur audire, æſtimans non impediri digeſtionem, niſi ſola ciborum multitudine, nec velit de qualitate tractare: hic quoque multiformis alimonia deprehenditur cauſa morborum. nam pulmentorum varietas recipit varia condimenta, quibus gula vltra quam natura



neceſſe

*neceſſe eſt laceßitur: & ſit inde congeries, dum pruritus deſiderij amplius vel certe de ſingulis parua libantur: hinc Socrates ſuadere ſolitus erat illos cibos potuſve vitandos, qui vltra ſitim famemve ſedandam producunt appetentiam. denique vel propter hoc edendi varietas repudietur quia plena eſt voluptatis; a qua ſeriis & ſtudioſis cauendum eſt. quid enim tam contrarium quam virtus & voluptas? Sed modum diſputationi facio, ne videar hoc ipſum in quo ſumus, licet ſobrium ſit, tamen quia varium eſt, accuſare conuiuium.*

## CAP. V.

Contra, cibum multiplicem aptiorem eſſe quam ſit ſimplex.

HÆC *cum Prætextato & ceteris prona aſſenſione placuiſſent: Euangelus exclamauit, Nihil tam indignum toleratu, quam quod aures noſtras gratia linguæ captiuas tenet, & verborum rotunditati aſſentire cogimur circumuenti volubilitate ſermonis, qui ad extorquendam fidem agit in audientes tyrannum. & quia his loquendi labyrinthis impares nos fatemur; age, Vetti, hortemur Euſtathium vt, recepta contraria diſputatione, quicquid pro vario cibo dici poteſt velit communicare nobiſcum. vt ſuis telis lingua violenta ſuccumbat, & Græcus Græco eripiat hunc plauſum, tanquam cornix cornici oculos effodiat. & Symmachus: Rem iucundam, Euangele, amarius poſtulaſti. audire enim contra tam copioſe & eleganter inuenta, res eſt quæ habeat vtilem voluptatem, ſed non tanquam ingeniis inſidiantes & glorioſis tractatibus inuidentes hoc debemus expetere. nec abnego potuiſſe me quoque tanquam palinodiam canere. eſt enim rhetorica proluſio cõmunes locos in vtramuis partem inuentorum alternatione tractare. Sed quia facilius Græcorum inuentionibus a Græcis forte aliis relata*

*reſpon-*



*reſpondent; te, Euſtathi, oramus omnes vt ſenſa & inuenta Diſarij contrariis repellendo in integrum reſtituas exauctoratum conuiuiorum leporem. Ille diu hoc a ſe officium deprecatus, vbi tot impellentium procerum quibus obuiandum non erat, hortatui ſuccubuit, Bellum, inquit, duobus mihi amiciſsimis cogor indicere, Diſario & continentiæ. ſed ab auctoritate veſtra tanquam ab edicto prætoris impetrata venia gulæ patronum, quia neceſſe eſt, profitebor. In primo ſpecioſis magis quam veris, vt docebitur, exemplis pæne nos Diſarij noſtri cepit ingenium. ait enim pecudes vti ſimplici cibo & ideo expugnari diffiſilius earum quam hominum ſanitatem, ſed vtrumque falſum probabo. nam neque ſimplex eſt animalibus mutis alimonia; nec ab illis quam a nobis morbi remotiores. teſtatur vnam varietas pratorum quæ depaſcuntur, quibus herbæ ſunt amaræ pariter & dulces, aliæ ſuccum calidum aliæ frigidum nutrientes: vt nulla culina poßit tam diuerſa condire quam in herbis natura variauit. Notus eſt omnibus Eupolis inter elegantes habendus veteris comœdiæ poëtas. is in fabula, quæ inſcribitur Æges, inducit capras de cibi ſui copia in hæc ſe verba iactantes:*

Βοσκόμεθ' ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης,
Ποίνου κομάρου τε, πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι.
Καὶ πρὸς τούτοισιν ἔτ' ἄλλ' οἷον κύτισόν τ' ἠδὲ
Φάσκον εὐώδη, καὶ σμίλακα τὴν πολύφυλλον.
Κότινον, σχῖνον, μελίαν, πεύκην, ἁλίαν, δρῦν, κιττὸν, ἐρείκην,
Πρόμαλον, ῥάμνον, φλόμον, ἀνθέρικον, κισσὸν,
Φηγὸν, θύμα, θύμβραν.

*Videtur ne vobis ciborum iſta ſimplicitas, vbi tot enumerantur vel arbuſta vel frutices, non minus ſucco diuerſa quam nomine? Quod autem non facilius morbis homines quam pecudes occupentur Homero teſte contentus ſum, qui peſtilentiam refert a pecudibus inchoatam: quando morbus, antequam in homines poſſet irrepere, facilius captis pecoribus*

 *incubuit.*

*incubuit. Sed & quanta ſit multis animalibus infirmitas vitæ breuitas indicio eſt. quod enim eorum quibus notitia nobis in vſu eſt poteſt annos hominis æquare? niſi recurras forte ad ea quæ de coruis atq; cornicibus fabuloſa dicuntur. quos tamen videmus omnibus inhiare cadaueribus vniuerſiſq; ſeminibus inſidiari, fructus arborum perſequi. nam non minus edacitatis habent, quam de longæuitate eorum opinio fabulatur. Secundum ſi bene recordor exemplum eſt ſolere medicos ægris ſimplicem cibum offerre non varium: cum hunc offeratis, vt opinor, non quaſi digeſtu faciliorem ſed quaſi minus appetendum; vt horrore vniformis alimoniæ edendi deſiderium langueſceret, quaſi multis concoquendis per infirmitatem non ſufficiente natura. ideo, ſiquis ægreſcentium vel de ipſo ſimplici amplius appetat, ſubducitur adhuc deſideranti. ideo vobis commento tali non qualitas ſed modus quæritur. Quod autem in edendo ſicut in potando ſuades varia vitari; habet latentis captionis inſidias: quia nomine ſimilitudinis coloratur. ceterum longe alia potus alia ciborum ratio eſt. quis enim vnquam edendo plurimum mente ſauciatus eſt; quod in bibendo contingit? fartus cibo ſtomachum vel ventrem grauatur: infuſus vino fit ſimilis inſano. opinor, quia craſſitudo cibi vno in loco permanens exſpectat adminiſtrationem digeſtionis, & tunc demum membris ſenſim confectus illabitur; potus vt natura leuior mox altum petit, & cerebrum, quod in vertice locatum eſt ferit fumi calentis aſpergine. & ideo varia vina vitantur, ne res quæ ad peſſidendum caput repentina eſt, calore tam diuerſo quam ſubito conſilij ſedem ſauciet. quod æque in cibi varietate metuendum nulla ſimilitudo, ratio nulla perſuadet. In illa vero diſputatione, qua digeſtionum ordinem ſermone luculento & vario digeſſiſti, illa omnia quæ de natura humani corporis dicta ſunt, & nihil nocent propoſitæ quæſtioni & eloquenter dicta non abnego. illi ſoli*

*non*



*non aſſentior, quod ſuccos varios de ciborum varietate confectos dicis contrarios eſſe corporibus; cum corpora ipſa de contrariis qualitatibus fabricata ſint. ex calido enim & frigido, de ſicco & humido conſtamus. cibus vero ſimplex ſuccum de ſe vnius qualitatis emittit. ſcimus autem ſimilibus ſimilia nutriri. dic quæſo vnde tres aliæ qualitates corporis nutriantur? ſingula autem ad ſe ſimilitudinem ſui rapere, teſtis eſt Empedocles, qui ait:*

Ὡς γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσεν,
Ὀξὺ δ' ἐπ' ὀξὺ ἔβη, θερμὸν δ' ἐποχεῖτο θερμῷ.

*te autem ſæpe audio Hippocratis tui verba cum admiratione referentem:* εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐκ ἂν ἤλγεεν· ἀλγεῖ δέ, οὐκ ἄρα ἕν ἐστι. *Ergo ſi homo non vnum, nutriendus eſt non ex vno. nam & deus omnium fabricator aërem quo circumfundimur & cuius ſpiramus hauſtu non ſimplicem habere voluit qualitatem vt aut frigidus ſit ſemper aut caleat, ſed nec continuæ ſiccitati nec perpetuo eum addixit humori; quia vna nos non poterat qualitate nutrire de permixtis quatuor fabricatos. ver ergo calidum fecit & humectum. ſicca eſt æſtas & calida; autumnus ſiccus & frigidus. hyems humida pariter & frigida eſt. Sic & elementa quæ ſunt noſtra principia ex diuerſitatibus & ipſa conſtant & nos nutriunt. eſt enim ignis calidus & ſiccus; aër humectus & calidus; aqua ſimiliter humecta ſed frigida; at terra frigida pariter & ſicca. cur ergo nos ad vniformem cibum redigis, cum nihil nec in nobis nec circa nos nec in his de quibus ſumus vniforme ſit? Quod autem aceſcere vel nonnumquam fumare in ſtomacho cibum, vis aſſignare varietati: vt credamus, pronuncies oportet, aut ſemper eum qui vario cibo vtitur hæc pati, aut numquam illum pati qui ſimplicem ſumit. ſi vero & qui menſa fruitur copioſa hoc vitium ſæpe non ſentit, & qui ſe vno cibo afficit ſæpe ſuſtinet quod accuſas: cur hoc varietati & non modo edacitatis aſſignas?*

aſsignas? nam & de ſimplici auidus noxam patitur cruditatis; & in vario moderatus digeſtionis commodo fruitur. At, inquies, ipſa immoderatio ex ciborum varietate naſcitur, titillante gula & ad ſumenda plura quam neceſſe eſt prouocante. Rurſus ad ea, quæ iam dixi, reuoluor; cruditates de modo non de qualitate prouenire. modum vero ſeruat, qui ſui potens eſt & in menſa Sicula vel Aſiana excedit impatiens, etſi ſolis oliuis aut holere veſcatur. & tam ille copioſus, ſi moderationem tenuit, ſanitatis compos eſt; quam inſanus ſit ille, cui merus ſal cibus eſt, ſi hoc ipſum voraciter inuaſerit. Poſtremo, ſi in his quæ ſumimus varietatem noxiam putas, cur potionum remedia quæ per os humanis viſceribus infunditis ex tam contrariis ac ſibi repugnantibus mixta componitis? ſucco papaueris admiſcetis euforbium; mandragoram aliaſque herbas conclamati frigoris pipere temperatis: ſed nec monſtroſis carnibus abſtinetis inſerentes poculis teſticulos Caſtorum & venenata corpora viperarum; quibus admiſcetis quicquid nutrit India, quicquid deuehitur herbarum quibus Creta generoſa eſt. Cum ergo ad cuſtodiam vitæ hoc faciant remedia quod cibus (ſi quidem illa eam reuocent, iſte contineat) cur illis prouidere varietatem laboras, iſtum ſqualori vniformitatis addicis? Poſt omnia in voluptatem cenſura cothurnati ſermonis inuectus es: tanquam voluptas virtuti ſemper inimica ſit, & non cum in luxum ſpreta mediocritate prolapſa eſt. quid enim agit ipſe ſeruus non edendo niſi cogente fame nec potando præter ſitim, niſi vt de vtroque capiat voluptatem? ergo voluptas non mox nomine ipſo infamis eſt; ſed fit modo vtendi vel honeſta vel arguenda. Parum eſt ſi excuſata ſit & non etiam laudetur voluptas. nam cibus qui cum voluptate ſumitur deſiderio tractus in ventrem reconditur patula exſpectatione rapientem; &, dum animoſe fruitur, mox eum concoquit. quod non ex æquo cibis euenit, quos

nulla



nulla ſui dulcedo commendat. quid ergo accuſas varietatem quaſi gulæ irritamentum, cum ſalus ſit hominis vigere appetentia? qua deficiente langueſcit & periculo fit propior. nam ſicut in mari gubernatores vento ſuo, etiam ſi nimius ſit, contrahendo in minorem modum vela præteruolant, & flatum cum maior eſt coërcent, ſopitum vero excitare non poſſunt: ita & appetentia cum titillatur & creſcit rationis gubernaculo temperatur; ſi ſemel ceciderit, animal exſtinguitur. Si ergo cibo viuimus, & cibum appetentia ſola commendat: elaborandum nobis eſt commento varietatis vt hæc ſemper prouocetur; cum præſto ſit ratio qua intra moderationis ſuæ terminos temperetur. Memineritis tamen lepido me conuiuio adeſſe non anxio. nec ſic admitto varietatem, vt luxum probem; vbi quæruntur æſtiuæ niues & hibernæ roſæ; & dum magis oſtentui quam vſui ſeruitur, ſiluarum ſecretum omne luſtratur, & peregrina maria ſolicitantur. ita enim fit vt, etiam ſi ſanitatem ſumentium mediocritas obſeruata non ſauciet, ipſe tamen luxus morum ſit ægritudo. His fauorabiliter exceptis Diſarius, Obſecutus es, inquit, Euſtathi dialecticæ, ego medicinæ. qui volet eligere ſequenda, vſum conſulat: & quid ſit vtilius ſanitati experientia docebit.

* * *

## CAPVT VI.

Vinum natura frigidum potius videri quam calidum: & cur raro fœminæ, ſenes cito inebrientur.

POST hæc Flauianus: Et alios quidem medicos idem dicentes ſemper audiui vinum inter calida cenſendum. ſed & nunc Euſtathius cum cauſas ebrietatis attingeret prædicabat vini calorem. Mihi autem hoc ſæpe mecum reputanti viſa eſt vini natura frigori propior quam calori: & in medium profero, quibus ad hoc æſtimandum trahor, vt

veſtrum

veſtrum ſit de mea æſtimatione iudicium. Vinum, quantum mea fert opinio, ſicut natura frigidum eſt ita capax vel etiam appetens eſt caloris cum calidis fuerit admotum. nam & ferrum cum tactu ſit frigidum, ψυχρὸν δ' ἕλε χαλκὸν ὀδοῦσιν, ſi tamen ſolem pertulerit concaleſcit; & calor aduena natiuum frigus expellit. hoc verum ita eſſe ratio perſuadeat requiramus. Vinum aut potu interioribus conciliatur, aut fotu vt ſuperficiem curet adhibetur. cum infunditur cuti quin frigidum ſit nec medici inficias eunt: calidum tamen in interioribus prædicant, cum non tale deſcendat ſed admixtum calidis concaleſcat. certe reſpondeant volo cur ſtomacho in laßitudinem degeneranti ad inſtaurandas conſtrictione vires offerant ægreſcenti vinum, niſi frigore ſuo laſſata cogeret & colligeret diſſoluta? & cum laſſo, vt dixi, ſtomacho nihil adhibeant calidum, ne creſcat vlterius laßitudo, a vini potu non prohibent, defectum in robur hac curatione mutantes. Dabo aliud indiciū accidentis vino quam ingeniti caloris. nam, ſi quis aconitum neſciens hauſerit, non nego hauſtu eum meri plurimi ſolere curari. infuſum enim viſceribus trahit ad ſe calorem, & veneno frigido quaſi calidum iam repugnat. ſi vero aconitum ipſum cum vino tritum potui datum ſit: haurientem nulla curatio a morte defendit. Tunc enim vinum natura frigidum admixtione ſui frigus auxit veneni, nec in interioribus iam caleſcit; quia non liberum ſed admixtum alij imo in aliud verſum deſcendit in viſcera. ſed & ſudore nimio vel laxato ventre defeßis vinum ingerunt, vt in vtroque morbo conſtringat meatus. Inſomnem medici frigidis oblinunt modo papaueris ſucco modo mandragora vel ſimilibus; in quibus eſt & vinum. nam vino ſomnus reduci ſolet. quod non niſi ingeniti frigoris teſtimonium eſt. deinde omnia calida Venerem prouocant & ſemen excitant & generationi fauent. hauſto autem mero plurimo fiunt viri ad coitum pigriores: ſed nec

idoneum



idoneum conceptioni ferunt; quia vini nimietas vt frigidi facit ſemen exile vel debile. Hoc vero vel manifeſtißimam æſtimationis meæ habet aſſertionem; quod quæcunq. nimium algentibus, eadem contingunt ebriis. fiunt enim tremuli, graues, pallidi, & ſaltu tumultuantes ſpiritus artus ſuos & membra quatiuntur. idem corporis torpor ambobus; eadem linguæ titubatio. multis autem & morbus ille quem παράλυσιν Græci vocant ſic nimio vino vt multo algore contingit. Reſpicite etiā quæ genera curationis adhibeantur ebriis. nonne cubare ſub multis operimentis iubentur, vt exſtinctus calor refoueatur? non & ad calida lauacra ducuntur? non illis vnctionum tepore calor corporis excitatur? Poſtremo qui fiunt crebro ebrij cito ſeneſcunt. alij ante tempus competentis ætatis vel caluitio vel canicie inſigniuntur. quæ non niſi inopia caloris eueniunt. quid aceto frigidius, quod culpatum vinum eſt? ſolum enim hoc ex omnibus humoribus creſcentem flammam violenter exſtinguit; dum per frigus ſuum calorem vincit elementi. nec hoc prætereo quod ex fructibus arborum illi ſunt frigidiores, quorum ſuccus imitatur vini ſaporem: vt mala ſeu ſimplicia ſeu granata vel cytonia, quæ cotonia vocat Cato. Hæc ideo dixerim, quod me ſæpe mouit & exercuit mecum diſputantem: quia in medium proferre volui quid de vino æſtimauerim ſentiendum. Ceterum conſultationem mihi debitam non omitto. te enim Diſari conuenio vt quod quærendum mihi occurrit abſoluas. Legiſſe apud philoſophū Græcum memini (ni fallor, ille Ariſtoteles fuit) in libro quem de ebrietate compoſuit, mulieres raro in ebrietatem cadere, crebro ſenes. nec cauſam vel huius frequentiæ vel illius raritatis adiecit. Et quia ad naturam corporū tota hæc quæſtio pertinet, quam noſſe & induſtriæ tuæ & profeßionis officium eſt, volo te cauſas rei, quam ille ſententiæ loco dixit, ſi tamen philoſopho aſſentiris, aperire. tum ille: Recte & hoc Ariſtoteles; vt cetera. nec

poſſum

*poſſum non aſſentiri viro, cuius iuuentus nec ipſa natura diſſentit. Mulieres, inquit, raro ebriantur, crebro ſenes. rationis plena gemina iſta ſententia: & altera pendet ex altera. nam, cum didicerimus quid mulieres ab ebrietate defendat, iam tenemus quid ſenes ad hoc frequenter impellat. contrariam enim ſortita naturam ſunt muliebre corpus & corpus ſenile. mulier humectiſſimo eſt corpore. docet hoc & leuitas cutis & ſplendor. docent præcipue aſſiduæ purgationes ſuperfluo exonerantes corpus humore. cum ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem: vim ſuam perdit & fit dilutius, nec facile cerebri ſedem ferit fortitudine eius exſtincta. ſed & hæc ratio iuuat ſententiæ veritatem, quod muliebre corpus crebris purgationibus deputatum pluribus conſertum eſt foraminibus, vt pateat in meatus & vias præbeat humori in egeſtionis exitum confluenti. per hæc foramina vapor vini celeriter euaneſcit. contra ſenibus ſiccum corpus eſt. quod probat aſperitas & ſqualor cutis. vnde & hæc ætas ad fletum fit difficilior. quod eſt indicium ſiccitatis. intra hos vinum nec patitur contrarietatem repugnantis humoris, & integra vi ſua adhæret corpori arido, & mox loca tenet, quæ ſapere homini miniſtrant. aridum quoque eſſe ſenũ corpora nulla dubitatio eſt. & ideo etiam ipſi naturales meatus in membris durioribus obſerantur: & hauſto vino exhalatio nulla contingit; ſed totum ad ipſam ſedem mentis aſcendit. hinc fit vt & ſani ſenes malis ebriorum laborent, tremore membrorũ, linguæ titubantia, abundantia loquendi, iracundiæ concitatione: quibus tam ſubiacent iuuenes ebrij quam ſenes ſobrij. Si ergo leuem pertulerint impulſum vini: non accipiunt hæc mala ſed [illegible]; quibus ætatis ratione iam capti ſunt.*

CAP.



## CAP. VII.

Fœminis frigidiorne ſit natura quam viris, an calidior. Et cur muſtum non inebriet.

PROBATA *omnibus Diſarij diſputatione, ſubiecit Symmachus: Vt ſpectata eſt tota ratio, quam de muliebris ebrietatis raritate Diſarius inuenit; ita vnum ab eo prætermiſſum eſt; nimio frigore, quod in earum corpore eſt, frigeſcere hauſtum vinum, & ita debilitari, vt vis eius quæ elanguit nullum calorem poſſit de quo naſcitur ebrietas excitare. ad hæc Horus: Tu vero Symmache fruſtra opinaris frigidam eſſe mulierum naturam; quam ego calidiorem virili, ſi tibi volenti erit, facile probabo. Humor naturalis in corpore, quando ætas tranſit pueritiam, fit durior, & acuitur in pilos. ideo tunc & pubes & genæ & aliæ partes corporis veſtiuntur. ſed in muliebri corpore hunc humorem calore ſiccante fit inopia pilorum. & ideo in corpore ſexus huius manet continuus ſplendor & leuitas. Eſt & hoc in illis indicium caloris; abundãtia ſanguinis, cuius natura feruor eſt, qui, ne vrat corpus ſi inſidat, crebra purgatione ſubtrahitur. quis ergo dicat frigidas, quas nemo poteſt negare plenas caloris; quia ſanguinis plenæ ſunt? deinde, licet vrendi corpora defunctorum vſus noſtro ſæculo nullus ſit, lectio tamen docet eo tempore quo igni dari honor mortuis habebatur, ſiquando vſu veniſſet vt plura corpora ſimul incenderentur, ſolitos fuiſſe funerum miniſtros denis virorum corporibus adiicere ſingula muliebria. & vnius adiutu, quaſi natura flammei & ideo celeriter ardentis, cetera flagrabant. Ita nec veteribus calor mulierum habebatur incognitus. Nec hoc tacebo; quod, cum calor ſemper generationis cauſa ſit; feminæ ideo celerius quam pueri ſiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. nam & ſecundum iura publica duodecimus annus in femina & quartuſdecimus in puero*

 definit

definit pubertatis ætatem. quid plura? nonne videmus mulieres, quando nimium frigus eſt, mediocri veſte contentas nec ita operimentis plurimis inuolutas vt viri ſolent, ſcilicet naturali calore contra frigus quod aër ingerit repugnante? Ad hæc renidens Symmachus Bene, inquit, Horus noſter tentat videri orator ex cynico qui in contrarium vertit ſenſus quibus poteſt muliebris corporis frigus probari. nã quod pilis, vt viri, non obſidentur, inopia caloris eſt. calor eſt enim qui pilos creat. vnde & eunuchis deſunt; quorum naturam nullus negauerit frigidiorem viris. ſed & in corpore humano illæ partes maxime veſtiuntur, quibus amplius ineſt caloris. leue autem eſt mulierum corpus, quaſi naturali frigore denſetum. comitatur enim algorem denſitas, leuitas denſitatem. quod vero ſæpe purgantur non multi ſed vitioſi humoris indicium eſt. indigeſtum eſt enim & crudum quod egeritur, & quaſi infirmum effluit; nec habet ſedem; ſed natura quaſi noxium & magis frigidum pellitur. quod maxime probatur quia mulieribus, cum purgantur, etiam algere contingit. vnde intelligitur frigidum eſſe quod effluit, & ideo in viuo corpore non manere quaſi inopia caloris exſtinctum. quod muliebre corpus iuuabat ardentes viros, non caloris erat ſed pinguis carnis & oleo ſimilis. quod non in illis contingeret ex calore. quod cito admonentur generationis; non nimij caloris ſed naturæ infirmioris eſt: vt exilia poma celerius matureſcunt, robuſta ſerius. ſed ſi vis intelligere in generatione veram rationem caloris: conſidera viros longe diutius perſeuerare in generando quam mulieres in pariendo: & hæc tibi ſit indubitata probatio in vtroque ſexu vel frigoris vel caloris. nam vis eadem in frigidiore corpore celerius exſtinguitur, in calidiore diutius perſeuerat. quod frigus aëris tolerabilius viris ferunt; facit hoc ſuum frigus. ſimilibus enim ſimilia gaudent. ideo ne corpus earum frigus horreat facit conſuetudo naturæ

quam



quam ſortitæ ſunt frigidiorem. Sed de his ſinguli, vt volunt, iudicent. Ego vero ad ſortem venio conſulendi; & quod ſcitu dignum æſtimo ab eodem Diſario quæro, & mihi vſque ad affectum nimio amico & cum in ceteris tum in his optime docto. Nuper in Tuſculano meo fui cum vindemiales fructus pro annua ſollennitate legerentur. erat videre permixtos ruſticis ſeruos haurire vel de expreſſo vel de ſponte fluente muſtum, nec tamen ebrietate capi. quod in illis præcipue admirabar, quos impelli ad inſaniam paruo vino noueram. quæro quæ ratio de muſto ebrietatem aut tardam fieri faciat aut nullam. Ad hæc Diſarius: Omne quod dulce eſt cito ſatiat nec diuturnam deſiderij ſui fidem tenet. ſed in locum ſatietatis ſuccedit horror. in muſto autem ſola dulcedo eſt; ſuauitas nulla. nam vinum cum in infantia eſt, dulce; cum pubeſcit, magis ſuaue quam dulce eſt. eſſe autem harum duarum rerum diſtantiam certe Homerus teſtis eſt; qui ait;

μέλιτι γλυκερῷ, καὶ ἡδέϊ οἴνῳ.

vocauit enim mel dulce, & vinum ſuaue. muſtum igitur, cum nec dum ſuaue eſt ſed tantummodo dulce, horrore quodam tantum ſumi de ſe non patitur quantum ſufficiat ebrietati. Addo aliud: naturali ratione ebrietati dulcedinem repugnare; adeo vt medici eos qui vſque ad periculum diſtenduntur vino plurimo, cogant vomere: & poſt vomitum contra fumum vini qui remanſit in venis panem offerunt melle illitum. & ita hominem ab ebrietatis malo dulcedo defendit. ideo ergo non inebriat muſtum, in quo eſt ſola dulcedo. Sed & hoc de idonea ratione deſcendit; quod muſtum graue eſt & flatus & aquæ permixtione, & pondere ſuo in inteſtina delabitur ac profluit, nec manet in locis obnoxiis ebrietati: delapſum vero relinquit ſine dubio in homine ambas qualitates naturæ ſuæ: quarum altera in flatu altera in aquæ ſubſtantia eſt. ſed flatus quidem quaſi



aquæ

*æque ponderoſus in ima delabitur: aquæ vero qualitas non ſolum ipſa non impellit in inſaniam; ſed &, ſiqua vinalis fortitudo in homine reſedit, hanc diluit & exſtinguit. ineſſe autem aquam muſto vel hinc docetur; quod cum in vetuſtatem procedit fit menſura minus ſed acrius fortitudine: quia, exhalata aqua qua molliebatur, remanet vini ſola natura cum fortitudine ſua libera, nulla diluti humoris permixtione mollita.*

## CAP. VIII.

De facilitate vel difficultate digeſtionis quorundam ciborum: deque aliis quibuſdam quæſtiunculis oppido quam argutis.

POST *hæc Furius Albinus: Ego quoque pro virili portione Diſarium noſtrum inexercitum non relinquo. dicas, quæſo, quæ cauſa difficile digeſtu facit inſicium: quod ab inſectione inſiciam dictum (amiſſione enim litteræ poſtea quod nunc habet nomen obtinuit) cum multum in eo digeſtionem futuram iuuerit tritura tam diligens & quicquid graue erat carnis aſſumpſerit conſummationemq. eius multa ex parte confecerit. & Diſarius: Inde hoc genus cibi difficile digeritur, vnde putas ei digeſtionem ante prouiſam. leuitas enim, quam tritura præſtitit, facit vt innatet vdo cibo, quem in medio ventris inuenerit; nec adhæreat cuti ventris, de cuius calore digeſtio promouetur: ſic & mox tritum atque formatum cum in aquam coniicitur natat. ex quo intelligitur quod idem faciens in ventris humore ſubducit ſe digeſtionis neceſſitati; & tam ſero illic coquitur quam tardius conficiuntur, quæ vapore aquæ quam quæ igne ſoluuntur. deinde, dum inſtantius teritur, multus ei flatus inuoluitur, qui prius in ventre conſumendus eſt: vt tum demum conficiatur quod remanſit de carne iam liberum. Hoc quoque ſcire haueo, Furius inquit, quæ faciat cauſa*



*nonnullos carnes validiores facilius digerere quam tenues. nam, cum cito coquant offas bubulas, in aſperis piſcibus concoquendis laborant. In his, Diſarius ait, huius rei auctor eſt nimia in homine vis caloris: quæ, ſi idoneam materiem ſuſcipit, libere ſuſcipitur, libere congreditur, & cito eam in concertatione conſumit. leuem, modo præterit vt latentem, modo in cinerem potius quam in ſuccum vertit: vt ingentia robora in carbonum fruſta lucentia igne vertuntur: paleæ ſi in ignem ceciderint; mox ſolum de eis cinerem reſtat videri. Habes & hoc exemplum non diſſonum quod potentior mola ampliora grana confringit, integra illa quæ ſunt minutiora tranſmittit. vento nimio abies aut quercus auellitur; cannam nulla facile frangit procella. cumque Furius delectatus enarrantis ingenio plura vellet interrogare: Cæcina ſe Albinus obiecit; Mihi quoque deſiderium eſt habendi pauliſper negotij cum tam facunda Diſarij doctrina. Dic, oro te, quæ facit cauſa vt ſinapi & piper, ſi appoſita cuti fuerint, vulnus excitent & loca perforent; deuorata vero nullam ventris corpori inferant læſionem. & Diſarius Species inquit, & acres & calidæ ſuperficiem cui opponuntur exulcerant: quia integra virtute ſua ſine alterius rei admixtione vtuntur ad noxam. ſed ſi in ventrem recepta ſint: ſoluitur vis earum ventralis humoris alluuione, qua fiunt dilutiores. deinde prius vertuntur in ſuccum ventris calore; quam vt integra poſſint nocere. Cæcina ſubiecit: Dum de calore loquimur, admoneor rei quã ſemper quæſitu dignam putaui. Cur in Ægypto, quæ regionum aliarum calidiſſima eſt, vinum non calida, ſed pæne dixerim, frigida virtute naſcatur. Ad hoc Diſarius: Vſu tibi, Albine, compertum eſt aquas, quæ vel de altis puteis vel de fontibus hauriuntur, fumare hieme, æſtate frigeſcere. quod fit non alia de cauſa niſi quod aëre, qui nobis circumfuſus eſt, propter temporis rationem calente, frigus in terrarum ima demergitur &*



*aquas*

*aquas inficit, quarum in imo eſt ſcaturigo. & contra, cum aër hiemem præfert, calor in interiora demergens aquis in imo naſcentibus dat vaporem. quod ergo vbique alternatur varietate temporis, hoc in Ægypto ſemper eſt, cuius aër ſemper eſt in calore. frigus enim ima petens vitium radicibus inuoluitur; & talem dat qualitatem ſucco inde naſcenti. ideo regionis calidæ vina calore caruerunt. Tractatus noſter, Albinus inquit, ſemel ingreſſus calorem non facile alio digreditur. Dicas ergo volo cur qui in aquam deſcendit calidam ſi ſe non mouerit minus vritur; ſed, ſi agitatu ſuo aquam mouerit, maiorem ſentit calorem; & toties aqua vrit amplius, quotiens nouus ei motus acceſſerit. & Diſarius Calida, inquit, quæ adhæſerit noſtro corpori mox præbet tactum ſui manſuetiorem; vel quia cuti aſſueuit, vel quia frigus accepit a nobis. motus vero aquam nouam ſemper ac nouam corpori applicat: & ceſſante aſſuetudine, de qua paulo ante diximus, ſemper nouitas auget ſenſum caloris. Cur ergo, Albinus ait, æſtate cum aër calidus flabro mouetur, non calorem ſed frigus acquirit? eadem enim ratione & in hoc feruorem deberet motus augere. non eadem ratio eſt, Diſarius inquit, in aquæ & aëris calore. illa enim corporis ſolidioris eſt; & craſſa materies cum mouetur, integra vi ſua ſuperficiem cui admouetur inuadit: aër motu in ventum ſoluitur, & liquidior ſe factus agitatu flatus efficitur. porro vt flatus illud remouet quod circumfuſum nobis erat (erat autē circa nos calor) remoto igitur per flatum calore, reſtat vt aduenam ſenſum frigoris præſtet agitatus*

[illegible]





CAPVT IX.

Cur ſe in orbem rotantes patiantur vertiginem capitis. Et quomodo cerebrum ipſum ſenſus expers, ſenſus tamen in cæteris membris gubernet. Ibique obiter, quæ partes humani corporis ſenſu careant.

INTERPELLAT *Euangelus pergentem conſultationem: &, Exercebo, inquit, Diſarium noſtrum, ſi tamen minutis illis ſuis & rorantibus reſponſionibus ſatisfaciet conſulenti. Dic, Diſari, cur qui ita ſe vertunt, vt ſæpe in orbem rotentur, & vertiginem capitis & obſcuritatem patiuntur oculorum; poſtremo, ſi perſeuerauerint, ruunt, cum nullus alius motus corporis hanc ingerat neceſſitatem? Ad hæc Diſarius Septem, inquit, corporei motus ſunt. aut enim accedit prorſum, aut retrorſum recedit, aut in dexteram læuamve diuertitur, aut ſurſum promouetur aut deorſum, aut orbiculatim rotatur. ex his ſeptem motibus vnus tantum in diuinis corporibus inuenitur: ſphæralem dico quo mouetur celum, quo ſidera, quo cetera mouentur elementa. terrenis animalibus illi ſex præcipue familiares ſunt. ſed non numquam adhibetur & ſeptimus. ſed ſex illi vt directi, ita & innoxij. ſeptimus, id eſt, qui gyros efficit, crebro conuerſu turbat & humoribus capitis inuoluit ſpiramentum, quod animam cerebro quaſi omnes ſenſus corporis gubernanti miniſtrat. hoc eſt autem ſpiramentum quod ambiens cerebrum ſingulis ſenſibus vim ſuam præſtat; hoc eſt, quod neruis & muſculis corporis fortitudinem præbet. Ergo vertigine turbatum & ſimul agitatis humoribus oppreſſum langueſcit & miniſterium ſuum deſerit. inde fit his qui raptantur in gyros hebetior auditus, viſus obſcurior. poſtremo neruis & muſculis nullam ab eo virtutem, quaſi deficiente, ſumentibus totum corpus, quod iis ſuſtinetur & in robur erigitur, deſertum iam fulcimentis ſuis, labitur in ruinam. ſed contra hæc omnia conſuetudo, quam ſecundam naturam pronuntiauit vſus, illos iuuat qui in tali motu*

ſæpe verſantur. ſpiramentum enim cerebri, quod paulo ante diximus, aſſuetum rei iam non ſibi nouæ, non paueſcit hunc motum, nec miniſteria ſua deſerit. ideo conſuetis etiam iſte agitatus innoxius eſt. & Euangelus: Irretitum te iam, Diſari, teneo: &, ſi vere opinor, nuſquam hodie effugies. & alios enim in arte tibi ſocios & ipſum te audiui ſæpe dicentem cerebro non ineſſe ſenſum; ſed vt oſſa, vt dentes, vt capillos, ita & cerebrum eſſe ſine ſenſu. Verumne eſt hæc vos dicere ſolitos? an vt falſum refelles? Verum, ait ille. Ecce iam clauſus es. vt enim concedam tibi præter capillos in homine aliquid eſſe ſine ſenſu, quod non facile perſuaſu eſt; tamen cur ſenſus omnes paulo ante dixiſti a cerebro miniſtrari, cum cerebro non ineſſe ſenſum ipſe fatearis? poteſtne excuſare huius contrarietatis auſum vel veſtri oris nota volubilitas? & Diſarius renidens: Retia quibus me inuolutum tenes, nimis rara ſunt, nimis patula. ecce me, Euangele, ſine niſu inde exemptum videbis. Opus naturæ eſt vt ſenſum vel nimium ſicca vel nimium humecta non capiant. oſſa, dentes cum vnguibus & capillis, nimia ſiccitate ita denſeta ſunt, vt penetrabilia non ſint affectui animæ qui ſenſum miniſtrat. adeps medulla & cerebrum ita in humore atq. mollicie ſunt, vt eundem affectum animæ, quem ſiccitas illa non recipit, mollicies iſta non teneat. ideo tam dentibus, vnguibus, oßibus & capillis, quam adipi, medullis & cerebro ſenſus ineſſe non potuit. & ſicut ſectio capillorum nihil doloris ingerit: ita ſi ſecetur vel dens, vel os ſeu adeps ſeu cerebrum, ſeu medulla; aberit omnis ſenſus doloris. Sed videmus, inquies, tormentis affici, quibus ſecantur oſſa, torqueri homines & dolore dentium. hoc verum eſſe quis abneget? ſed, vt os ſecetur, omentum quod impoſitum eſt oßi cruciatum, dum ſectionem patitur, importat. quod cum medici manus tranſit, os iam cum medulla quam continet habent indolentiam ſectionis ſimilem capillorum: & cum dentium dolor eſt, non





eſt, non os dentis in ſenſu eſt, ſed caro quæ continet dentem. nam & vnguis, quantus extra carnem creſcendo pergit, ſine ſenſu ſecatur: qui carni adhæret, iam facit ſi ſecetur dolorem non ſuo ſed ſedis ſuæ corpore. ſicut capillus dum ſuperior ſecatur neſcit dolorem; ſi auellatur ſenſum accipit a carne quam deſerit. & cerebrum, quod tactu ſui hominem vel torquet vel frequenter interimit, non ſuo ſenſu ſed veſtitus ſui, id eſt, omenti hunc importat dolorem. ergo diximus quæ in homine ſine ſenſu ſint & quæ hoc cauſa faciat indicatum eſt. reliqua pars debiti mei de eo eſt, cur cerebrum, cum ſenſum non habeat, ſenſus gubernet. ſed de hoc quoque tentabo ſi potero eſſe ſoluendo. Senſus, de quibus loquimur, quinque ſunt; viſus, auditus, odoratus, guſtus & tactus. hi aut corporei ſunt aut circa corpus; ſoliſque ſunt caducis corporibus familiares. nulli enim diuino corpori ſenſus ineſt; anima vero omni corpore, vel ſi diuinum eſt, ipſa diuinior eſt. ergo ſi dignitas diuinorum corporum ſenſum dedignatur, quaſi aptum caducis: multo magis anima maioris eſt maieſtatis quam vt ſenſu egeat. vt autem homo conſtet & viuum animal ſit anima præſtat, quæ corpus illuminat. porro illuminat inhabitando; & habitatio eius in cerebro eſt. ſphæralis enim natura & ad nos veniens de alto partem in homine & altam & ſphæralem tenuit, & quæ ſenſu careat qui non eſt animæ neceſſarius. ſed quia neceſſarius animali eſt, locat in cauernis cerebri ſpiramentum de effectibus ſuis. cuius ſpiramenti natura hæc eſt, vt ſenſus ingerat & gubernet. de his ergo cauernis, quas ventres cerebri noſtra vocauit antiquitas, naſcuntur neruorum ſeptem συζυγίαι: cui rei nomen quod ipſe voles Latinum facito. nos enim συζυγίαν neruorum vocamus, cum bini nerui pariter emergunt & in locum certum deſinunt. ſeptem igitur neruorum συζυγίαι de cerebri ventre naſcentes vicem implent fiſtularum ſpiramentum ſenſificum ad ſua quæque loca naturali

turali lege ducentes; vt ſenſum vicinis & longe poſitis membris animalis infundant. Prima igitur συζυγία neruorum talium petit oculos, & dat illis agnitionem ſpecierum & diſcretionem colorum. ſecunda in aures diffunditur; per quam eis innaſcitur notitia ſonorum. tertia naribus inſeritur vim miniſtrans odorandi. quarta palatum tenet; quo de guſtatibus iudicatur. quinta vi ſua omne corpus implet. omnis enim pars corporis mollia & aſpera, frigida & calida diſcernit. ſexta de cerebro means ſtomachum petit; cui maxime ſenſus eſt neceſſarius, vt quæ deſunt appetat, ſuperflua reſpuat, & in homine ſobrio ſe ipſe moderetur. ſeptima συζυγία neruorum, infundit ſenſum ſpinali medullæ; quæ hoc eſt animali quod eſt naui carina. & adeo vſu aut dignitate præcipua eſt, vt longum cerebrum a medicis ſit vocata. ex hac denique vt ex cerebro diuerſi naſcuntur meatus virtutem tribus animæ propoſitis miniſtrantes. tria ſunt enim quæ ex animæ prouidentia accipit corpus animalis; vt viuat, vt decore viuat, & vt immortalitas illi ſucceſſione quæratur. his tribus propoſitis, vt dixi, animæ per ſpinalem medullam præbetur effectus. nam cordi & iecori & ſpirandi miniſteriis, quæ omnia ad viuendum pertinent, vires de ſpinalibus, quos dixi, meatibus miniſtrantur. neruis etiam manuum, pedum aliarumve partium per quas decore viuitur, virtus inde præſtatur. & vt ex his ſucceſſio procuretur, nerui ex eadem ſpinali medulla pudendis & matrici, vt ſuum opus impleant, miniſtrantur. ita nulla eſt in homine pars corporis ſine ſpiramento, quod in ventre cerebri locatum eſt, & ſine ſpinalis medullæ beneficio conſtat. Sic ergo fit vt, cum ipſum cerebrum ſenſu careat, ſenſus tamen a cerebro in omne corpus proficiſcatur. Euge Græculus noſter, Euangelus ait, tam plane nobis oſtendit res opertas naturæ tectas, vt quicquid ſermo deſcripſit oculis videre videamur. ſed Euſtathio iam cedo, cui præripui conſulendi locum. Euſtathius:



ſtathius: Modo vel vir omnium diſertiſſimus Euſebius vel quicumque volent alij ad exercitium conſultationis accedant. nos poſtea liberiore otio congrediemur.

## Cap. x.

Qui fiat vt caluitium pariter atque canities anteriores capitis partes primum inuadant. Deinde, cur fœminis atque eunuchis vox ſit quam viris exilior.

Ergo, ait Euſebius, habendus mihi ſermo, Diſari, tecum de ætate, cuius ianuam iam pæne ambo pulſamus. Homerus, cum ſenes πολιοκροτάφους vocat, quæro virum ex parte poëtico more totum caput ſignificare velit, an ex aliqua ratione canos huic præcipue parti capitis aſſignet? & Diſarius: Et hoc diuinus ille vates prudenter vt cetera. nam pars anterior capitis humidior occipitio eſt; & inde crebro ſolet incipere canicies. Et ſi pars anterior, ait ille, humidior eſt, cur caluicium patitur? quod non niſi ex ſiccitate contingit. Opportuna, inquit Diſarius, obiectio. ſed ratio non obſcura eſt. Partes enim priores capitis fecit natura rariores, vt quicquid ſuperflui aut fumei flatus circa cerebrum fuerit euaneſcat per plures meatus. vnde videmus in ſiccis defunctorum capitibus velut quaſdam ſuturas, quibus hemiſphæria, vt ita dixerim, capitis illigantur. quibus igitur illi meatus fuerint ampliores, humorem ſiccitate mutant; & ideo tardius caneſcunt, ſed non caluicio carent. Si ergo ſiccitas caluos efficit, & poſteriora capitis ſicciora eſſe dixiſti; cur caluum occipitium numquam videmus? ille reſpondit: Siccitas occipitij non ex vitio ſed ex natura eſt. ideo omnibus ſicca ſunt occipitia. ex illa autem ſiccitate caluicium naſcitur, quæ per malam temperiem, quam Græci δυσκρασίαν ſolent vocare, contingit. vnde quibus capilli ſunt criſpi, quia ita temperati ſunt vt capite ſicciores ſint, tarde caneſcunt, cito in caluicium tranſeunt. contra qui capillo

ſunt

ſunt rariore, non eo facile nudantur, nutriente humore quod φλέγμα vocitatur; ſed fit illis cita canicies. nam ideo albi ſunt cani; quia colorem humoris quo nutriuntur imitantur. Si ergo ſenibus abundantia humoris capillos in caniciem tingit: cur ſenecta opinionem exactæ ſiccitatis accepit? Quia ſenecta, inquit ille, exſtincto per vetuſtatem naturali calore, fit frigida: & ex illo frigore gelidi & ſuperflui naſcuntur humores. ceterum liquor vitalis longæuitate ſiccatus eſt. inde ſenecta ſicca eſt inopia naturalis humoris; humecta eſt abundantia vitioſi ex frigore procreati. hinc eſt quod ex vigiliis ætas grauior afficitur: quia ſomnus qui maxime ex humore contingit de non naturali humore naſcitur. ſicut eſt multus in infantia, quæ humida eſt, abundantia non ſuperflui ſed naturalis humoris. Eadem ratio eſt, quæ pueritiam caneſcere non patitur, cum ſit humectiſſima. quia non ex frigore nato phlegmate humida eſt; ſed illo naturali & vitali humore nutritur. ille enim humor, qui aut de ætatis frigore naſcitur aut cuiuſlibet vitioſitatis occaſione contrahitur, vt ſuperfluus ita & noxius eſt. hunc videmus in feminis niſi crebro egeratur extrema minitantem; hunc in eunuchis debilitatem tibiis ingerentem: quarum oſſa quaſi ſemper in ſuperfluo humore natantia naturali vigore caruerunt; & ideo facile intorquentur, dum pondus ſuperpoſiti corporis ferre non poſſunt: ſicut canna pondere ſibi impoſito curuatur. Et Euſebius: Quoniam nos a ſenectute vſque ad eunuchos traxit ſuperflui humoris diſputatio, dicas volo cur ita acutæ vocis ſint vt ſæpe mulier an eunuchus loquatur niſi videas ignores? Id quoque facere ſuperflui humoris abundantiam ille reſpondit. Ipſe enim ἀρτηρίαν, per quam ſonus vocis aſcendit, efficiens craſſiorem anguſtat vocis meatum: & ideo vel feminis vel eunuchis vox acuta eſt; viris grauis; quibus vocis tranſitus habet liberum & ex integro patentem meatum. naſci autem in

eunuchis



eunuchis & in feminis ex pari frigore parem pæne importuni humoris abundantiam etiam hinc liquet; quod vtrumque corpus ſæpe pingueſcit. certe vbera prope ſimiliter vtrique grandeſcunt.

## CAP. XI.

Cur ij quos pudet, aut qui gaudent, rubeſcant: at metuentes pallor inuadat.

His dictis, cum ad interrogandum ordo Seruium iam vocaret: naturali preſſus ille verecundia vſque ad proditionem coloris erubuit. & Diſarius: Age, Serui, non ſolum adoleſcentium qui tibi æquæui ſunt ſed ſenum omnium doctiſſime, commaſcula frontem; & ſequeſtrata verecundia, quam in te facies rubore indicat, confer nobiſcum libere quod occurrerit; interrogationibus tuis non minus doctrinæ collaturus quam ſi aliis conſulentibus ipſe reſpondeas. cumq. diutule tacentē crebris ille exhortationibus excitaret, Hoc, inquit Seruius, ex te quæro, quod mihi contigiſſe dixiſti; quæ faciat cauſa vt rubor corpori ex animi pudore naſcatur? & ille, Natura, inquit, cum quid ei occurrit honeſto pudore dignum, imum petendo penetrat ſanguinem: quo commoto atque diffuſo cutis tinguitur; & inde naſcitur rubor. dicunt etiam phyſici quod natura pudore tacta ita ſanguinem ante ſe pro velamento tendat, vt videmus quemque erubeſcentem manum ſibi ante faciem frequenter opponere. nec dubitare de his poteris, cum nihil aliud ſit rubor niſi color ſanguinis. addit Seruius: Et qui gaudent cur rubeſcunt? & Diſarius, Gaudium, inquit, extrinſecus contingit. ad hoc animoſo occurſu natura feſtinat; quam ſanguis comitando quaſi alacritate integritatis ſuæ compotem tinguit cutem. & inde ſimilis color naſcitur. idem refert: Contra qui metuunt qua ratione palleſcunt? Nec hoc, Diſarius ait, in occulto eſt. natura enim cum quid de extrinſecus contingen-

gentibus

*gentibus metuit in altum tota demergitur: ſicut nos quoque cum timemus latebras & loca nos occulentia quærimus ergo tota deſcendens vt lateat trahit ſecum ſanguinem, quo velut curru ſemper vehitur. hoc demerſo humor dilutior cuti remanet; & inde palleſcit. ideo timentes & tremunt: quia virtus animæ introrſum fugiens neruos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum, & inde ſaltu timoris agitantur. hinc & laxamentum ventris comitatur timorem: quia muſculi, quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrſum animæ virtute deſerti laxant vincula, quibus retrimenta vſque ad digeſtionis oportunitatem continebantur. Seruius his dictis venerabiliter aſſenſu obticuit.*

## CAP. XII.

### De quæſtionibus quindecim Diſario ab Auieno propoſitis.

TVNC *Auienus Quia me ordo, ait, ad ſimilitudinem conſultationis applicat, reducendus mihi eſt ad conuiuium ſermo, qui longius a menſa iam fuerat euagatus & ad alias tranſierat quæſtiones. Sæpe appoſita ſalita carne, quam* laridum *vocamus, vt opinor,* quaſi large aridum; *quærere mecum ipſe conſtitui qua ratione carnem ad diuturnitatem vſus admixtio ſalis ſeruet. hoc licet æſtimare mecum poſſim; malo tamen ab eo qui corporibus curat certior fieri. &* Diſarius: *Omne corpus ſuapte natura diſſolubile & marcidum eſt, &, niſi quodam vinculo contineatur, facile defluit. continetur autem quamdiu ineſt anima reciprocatione aëris qua vegetantur conceptacula ſpiritus, dum ſemper nouo ſpirandi nutriuntur alimento. hoc ceſſante per animæ diſceſſum membra marceſcunt; & omne pondere ſuo conflictũ corpus obteritur. tum ſanguis etiam, qui quamdiu fuit compos caloris dabat membris vigorem, calore diſcedente verſus in ſaniem non manet intra venas,*

*ſed*



*ſed foras exprimitur: atque ita laxatis ſpiramentis effluit tabes fæculenta. id fieri ſal admixtus corpori prohibet. eſt enim natura ſiccus & calidus: & fluxum quidem corporis calore contrahit; humorem vero ſiccitate vel coërcet vel exſorbet. certe humorem ſale differri ſiue conſumi fit hinc cognitu facile. quod ſi duos panes pari magnitudine feceris, vnum ſale aſperſum, ſine ſale alterum; inuenies indigentem ſalis pondere propenſiorem; ſcilicet humore in eo per ſalis penuriam permanente. Et hoc a Diſario meo quæſitum volo, cur defæcatum vinum validius ſit viribus ſed infirmius ad permanendum; & tam bibentem cito permouet, quam ipſum ſi manſerit facile mutatur; Quod cito, inquit Diſarius, permouet hæc ratio eſt: quia tanto penetrabilius in venas efficitur bibentis, quanto fit liquidius fæce purgata. ideo autem facile mutatur; quod nullo firmamento nixum vndique ſui ad noxam patet. fæx enim vino ſuſtinendo & alendo & viribus ſufficiendis quaſi radix eius eſt. Et hoc quæro, Auienus ait, cur fæx in imo ſubſidit omnium niſi mellis: mel ſolum eſt quod in ſummum fæcem exſpuat? ad hæc Diſarius; Fæcis materia vt ſpiſſa atque terrena ceteris laticibus pondere præſtat, melle vincitur. ideo in illis grauitate deuergens ad fundum decidit; in melle vero, vt leuior, de loco victa ſurſum pellitur. Quoniam ex his quæ dicta ſunt ingerunt ſe ſimiles quæſtiones; cur, Diſari, ita mel & vinum diuerſis ætatibus habentur optima: mel quod recentiſſimum, vinum quod vetuſtiſſimum; vnde eſt & illud prouerbium, quo vtuntur gulones:* Mulſum quod probe temperes miſcendum eſſe nouo Hymetio & vetulo Falerno. *Propterea, inquit ille, quia inter ſe ingenio diuerſa ſunt. vini enim natura humida eſt, mellis arida. ſi dicto meo addubitaueris; medicinæ cõtemplator effectum. nam, quæ vdanda ſunt corporis, vino fouentur; quæ ſiccanda ſunt, melle detergentur. igitur longinquitate temporis de*

*vtroque*

vtroque aliquid exſorbente vinum fit meracius, mel aridius: & ita mel ſucco priuatur, vt vinum aqua liberatur. Nec hoc, quod ſequitur, diſſimile quæſitis eſt: cur, ſi vaſa vini atque olei diutule ſemiplena cuſtodias, vinum ferme in acorem corrumpitur, oleo contra ſapor ſuauior conciliatur. Vtrumque, Diſarius ait, verum eſt. in illud enim vacuum, quod ſuperne liquido caret, aër aduena incidit; qui tenuiſſimum quemque humorem elicit & exſorbet. eo ſiccato vinum quaſi ſpoliatum viribus prout ingenio imbecillum aut validum fuit vel acore exaſperatur vel auſteritate reſtringitur. oleum autem, ſuperfluo humore ſiccato velut mucore qui in eo latuit abſterſo, acquirit nouam ſuauitatem ſaporis. Rurſus, ait Auienus, Heſiodus cum ad medium dolij peruentum eſt, compercendum, & ceteris eius partibus ad ſatietatem dicit abutendum; optimum vinum ſine dubio ſignificans quod in dolij medietate conſiſteret. ſed & hoc vſu probatum eſt in oleo optimum eſſe quod ſupernatat, in melle quod in imo eſt. quæro igitur cur oleum quod in ſummo eſt, vinum quod in medio, mel quod in fundo, optima eſſe credantur? nec cunctatus Diſarius ait: Mel quod optimum eſt reliquo ponderoſius eſt. in vaſa igitur mellis pars, quæ in imo eſt, vtique præſtat pondere; & ideo ſupernante precioſior eſt. contra in vaſe vini pars inferior admixtione fæcis non modo turbulenta ſed & ſapore deterior eſt: pars vero ſumma aëris vicinia corrumpitur, cuius admixtione fit dilutior. vnde agricolæ dolia non contenti ſub tecto repoſuiſſe defodiunt, & operimentis extrinſecus illitis muniunt, remouentes in quantum fieri poteſt a vino aëris contagionem; a quo tam manifeſte læditur, vt vix ſe tueatur in vaſe pleno & ideo aëri minus peruio. ceterum ſi inde hauſeris, & locum aëris admixtioni patefeceris: reliquum quod remanſit omne corrumpitur. media igitur pars quantum a confinio ſummi vtriuſque tantum a noxa remota eſt

quaſi



quaſi nec turbulenta nec diluta. adiecit Auienus: Cur eadem potio meracior videtur ieiuno, quam ei qui cibum ſumpſit? & ille: Venas inedia vacuefacit, ſaturitas obſtruit. igitur cum potio per inanitatem penitus influit, quia non obtuſas cibo venas inuenit, neque fit admixtione dilutior & per vacuum means guſtatu fortiore ſentitur. Hoc quoque ſciendum mihi eſt, Auienus ait; cur qui eſuriens biberit aliquantulum famem ſubleuat; qui vero ſitiens cibum ſumpſerit, non ſolum non domat ſitim ſed magis magiſque cupidinem potus accendit? Nota eſt, inquit Diſarius cauſa. nam liquori quidem nihil officit, quin ſumptus ad omnes corporis partes quoquo verſus permanet, & venas compleat. & ideo inedia quæ inanitatem fecerat accepto potus remedio quaſi iam non in totum vacua recreatur. cibatus vero vtpote concretior & grandior in venas non niſi paulatim confectus admittitur. ideo ſitim quam reperit nullo ſubſidio ſubleuat, immo quicquid foris humoris nactus eſt exſorbet: & inde penuria eius quæ ſitis vocatur augetur. Nec hoc mihi, Auienus ait, ignoratum relinquo: cur maior voluptas eſt cum ſitis potū extinguitur, quam cum fames ſedatur, cibo? & Diſarius: Ex prædictis hoc quoque liquet. nam potionis totus hauſtus in omne corpus ſimul penetrat & omnium partium ſenſus facit vnam maximam & ſenſibilem voluptatem. cibus autem exiguo ſubminiſtratu paulatim penuriam conſolatur. ideo voluptas eius multifariam comminuitur. Hoc quoque, ſi videtur, addo quæſitis: cur qui auidius vorant facilius ſatias capit quam qui eadem quietius ederint. Breuis eſt, inquit illa reſponſio. nam, vbi auide deuoratur, tunc multus aër cum edulibus infertur propter hiantium rictus & crebritatem reſpirandi. igitur vbi aër venas compleuit ad obiiciendum faſtidium pro cibo penſatur. Ni moleſtus tibi ſum, Diſari, patere plus nimio ex diſcendi cupidine garrientem, & dicas, quæſo, cur

 edulia

edulia ſatis calida facilius comprimimus ore quam manu ſu-
ſtinemus; & ſi quid eorum plus feruet quam vt diutius poſſit
mandi, ilico deuoramus, & tamen aluus non pernicioſe vri-
tur? & ille: Inteſtinus calor qui in aluo eſt quaſi multo
maior vehementiorque quicquid calidum accipit magnitu-
dine ſua circumuenit ac debilitat. ideo præſtat ſi quid ori
feruidum admoueris, non, vt quidam faciunt, hiare (ne nouo
ſpiritu feruori vires miniſtres) ſed pauliſper labra compri-
mere; vt maior calor qui de ventre etiam ori opitulatur
comprimat minorem calorem. manus autem vt rem feruri-
dam ferre poſſit nullo proprio iuuatur calore. Iamdudum,
inquit Auienus, noſſe haueo cur aqua quæ obſita globis nu-
bium perducitur ad niualem rigorem minus in potu noxia
eſt, quam ex ipſa niue aqua reſoluta. ſcimus enim quot
quantæq. noxæ epoto niuis humore naſcantur. & Diſarius:
Addo aliquid a te quæſitis. aqua enim ex niue reſoluta etiam
ſi igne calefiat & calida bibatur, æque noxia eſt, ac ſi epota
ſit frigida. ergo non ſolo rigore niualis aqua pernicioſa eſt,
ſed ob aliam cauſam; quā non pigebit aperire auctore Ari-
ſtotele; qui in phyſicis quæſtionibus ſuis hanc poſuit, & in
hunc ſenſum, ni fallor, abſoluit: Omnis aqua, inquit, habet
in ſe aëris tenuiſſimi portionem, quo ſalutaris eſt; habet &
terream fæcem, quæ eſt corpulenta poſt terram. cum ergo
aëris frigore & gelu coacta coaleſcit; neceſſe eſt per euapo-
rationē velut exprimi ex ea auram illam tenuiſſimam: qua
diſcedente conueniat in coagulū ſola terrea in ſe remanente
natura. quod hinc apparet. quia, cum fuerit eadē aqua ſolis
calore reſoluta, minor modus eius reperitur quam fuit ante-
quam congelaſceret. deeſt autem quod euaporatio ſolum in
aqua ſalubre conſumpſit. nix ergo, quæ nihil aliud eſt quam
aqua in aëre denſata, tenuitatem ſui cum denſaretur amiſit:
& ideo ex eius reſolutæ potu diuerſa morborum genera viſ-
ceribus inſeminantur. Nominatum gelu veteris, quæ me ſo-
lebat



lebat agitare, admonuit quæſtionis, cur vina aut numquam
aut rarenter congelaſcant, ceteris ex magna parte humori-
bus nimietate frigoris cogi ſolitis? num quia vinum ſemina
quædam in ſe caloris habet, & ob eam rem Homerus dixit
αἴθοπα οἶνον, non, vt quidā putant, propter colorem? an alia
quæpiam cauſa eſt? quam quia ignoro ſcire cupio. ad hæc
Diſarius: Eſto, vina naturali muniantur calore, num oleum
minus ignitum eſt, aut minorem vim in corporibus calefa-
ctandis habet? & tamē gelu ſtringitur. certe, ſi putas ea quæ
calidiora ſunt difficilius congelaſcere, congruens erat nec
oleum concreſcere, & ea quæ frigidiora ſunt facile gelu cogi.
acetum autem omnium maxime frigorificum eſt; atq. id ta-
men numquā gelu ſtringitur. num igitur magis oleo cauſa
eſt coaguli celerioris quod & leuigatius, & ſpiſſius eſt; faci-
liora enim ad coëundum videntur, quæ leuatiora denſioraq.
ſunt. vino autem non contingit tanta mollicies; & eſt quam
oleum multo liquidius. acetum vero & liquidiſſimum eſt
inter ceteros humores; & tanto eſt acerbius, vt ſit acore tri-
ſtificum; & exēplo marinæ aquæ quæ ipſa quoq. amaritudine
ſui aſpera eſt, numquam gelu contrahitur. nam quod Hero-
dotus hiſtoriarum ſcriptor, contra omnium ferme qui hæc
quæſiuerunt opinionē, ſcripſit mare Boſphoricum, quod &
Cimmerium appellat, earumque partium mare omne quod
Scythicum dicitur id gelu conſtringi & conſiſtere; aliter eſt
quam putatur. nam nō marina aqua contrahitur: ſed quia
plurimū in illis regionibus fluuiorum eſt & paludum in ipſa
maria influentium, ſuperficies maris cui dulces aquæ inna-
tant congelaſcit: & incolumi aqua marina videtur in mari
gelu ſed de aduenis vndis coactum. hoc & in Ponto fieri vi-
demus, in quo fruſta quædā, & vt ita dixerim, proſiciæ geli-
dæ ferantur contracta de fluuialiū vel paluſtrium vndarum
multitudine: in quas licet frigori quaſi leuatiores marinis.
plurimum autem aquarum talium influere Ponto & totam

ſuper-

*ſuperficiem eius infectam eſſe dulci liquore, præter quod ait Salluſtius,* mare Ponticum dulcius quam cetera. *eſt hoc quoque teſtimonio: quod ſi in Pontum vel paleas vel ligna ſeu quæcumque alia natantia proieceris, foras extra Pontum feruntur in Propontidem, atq. ita in mare quod alluit Aſiæ oram; cum conſtet in Pontum influere maris aquam, non effluere de Ponto. meatus enim qui ſolus de oceano receptas aquas in maria noſtra tranſmittit in freto eſt Gaditano, quod Hiſpaniam Africamque interiacet, & ſine dubio inundatio ipſa per Hiſpanienſe & Gallicanum litora in Tyrrhenum prodit: inde Hadriaticum mare facit. ex quo dextra in Parthenium, læua in Ionium, & directim in Ægeum pergit; atque ita ingreditur in Pontum. Quæ igitur ratio facit vt riuatim aquæ de Ponto fluant, cum foris influentes aquas Pontus accipiat? ſed conſtat vtraque ratio. nam ſuperficies Ponti propter nimias aquas quæ de terra dulces influunt foras effluit: deorſum vero intro pergit influxio. vnde probatum eſt natantia, quæ, vt ſupra dixi, iaciuntur in Pontum, foras pelli; ſi vero columna deciderit, introrſum minari. & hoc ſæpe vſu probatum eſt, vt grauiora quæque in fundo Propontidis ad Ponti interiora pellantur. Adiecta hac vna conſultatione reticebo. Cur omne dulcium magis dulce videtur cum frigidum eſt quam ſi caleat? reſpondit Diſarius: Calor ſenſum occupat, & guſtatum lingua feruor interpedit. ideo ex aſperatione oris prauenta ſuauitas excluditur. quod ſi caloris abſit iniuria: tum demum poteſt lingua incolumi blandimento dulcedinem pro merito eius excipere. præterea ſuccus dulcis per calorem non impune penetrat venarum receptacula: & ideo noxa minuit voluptatem.*

CAP.



## CAP. XIII.

De quæſtionibus tribus quas Horus Diſario propoſuit.

SVCCESSIT *Horus, &, Cum multa, inquit, de potu & cibatu quæſiſſet Auienus, vnũ maxime neceſſarium, ſponte an oblitus ignoro, prætermiſit; cur ieiuni magis ſitiant quam eſuriant. hoc in commune nobis, Diſari, ſi videtur, abſolue. & ille Rem tractatu dignam, inquit, Hore quæſiſti; ſed cuius ratio in aperto ſit. cum enim animal ex diuerſis conſtet elementis: vnum eſt de his quæ corpus efficiunt, quod & ſolum aut maxime vltra cetera aptum ſibi quærat alimentum: calorem dico, qui liquorem ſibi exigit miniſtrari. certe de ipſis quatuor elementis extrinſecus videmus nec aquam, nec aërem, neque terram aliquod quo alatur aut quod conſumat exigere, nullamque noxam vicinis vel appoſitis ſibi rebus inferre. ſolus ignis alimenti perpetui deſiderio quicquid offendit abſumit. inſpice & primæ ætatis infantiam, quantum cibum nimio calore conficiat: & contra ſenes cogita facile tolerare ieiunium, quaſi exſtincto in ipſis calore, qui nutrimentis recreari ſolet. ſed & media ætas, ſi multo exercitio excitauerit ſibi naturalem calorem, animoſius cibum appetit. conſideremus & animalia ſanguine carentia, quæ nullum cibum quærant penuria caloris. Ergo ſi calor ſemper eſt in appetentia; liquor autem proprium caloris alimentum eſt; bene in nobis, cum ex ieiunio corpori nutrimenta quæruntur, præcipue calor ſuum poſtulat: quo accepto corpus omne recreatur, & patientius expectat cibum ſolidiorem. His dictis anulum Auienus de menſa retulit, qui illi de breuiſſimo dextera manus digito repente deciderat. cumq. a præſentibus quæreretur cur eum alienæ manui & digito & non huic geſtamini deputatis potius inſereret: oſtendit manum læuam ex vulnere tumidiorem. hinc Horo nata quæſtionis occaſio. & dic, inquit, Diſari, (omnis*



enim

*enim ſitus corporis pertinet ad medici notionem. tu vero doctrinam & vltra quam medicina poſtulat conſecutus es) dic, inquam, cur ſibi communis aſſenſus anulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem etiam medicinalem vocant, & manu præcipue ſiniſtra geſtandum eſſe perſuaſit? & Diſarius: De hac ipſa quæſtione ſermo quidam ad nos ab Ægypto venerat, de quo dubitabam fabulamne an veram rationem vocarem. ſed libris anatomicorum poſtea conſultis verum reperi, neruum quendam de corde natum priorſum pergere vſque ad digitum manus ſiniſtræ minimo proximum, & illic deſinere implicatum ceteris eiuſdem digiti neruis: & ideo viſum veteribus, vt ille digitus anulo tamquam corona circundaretur. & Horus Adeo, inquit, Diſari, verum eſt ita vt dicis Ægyptios opinari, vt ego ſacerdotes eorum, quos prophetas vocāt, cum in templo vidiſſem circa deorum ſimulachra hunc in ſingulis digitum confectis odoribus illinire, & eius rei cauſas requiſiſſem: & de neruo quod iam dictum eſt principe eorum narrante didicerim, & inſuper de numero qui per ipſum ſignificatur. complicatus enim ſenarium numerum digitus iſte demonſtrat, qui omnifariam plenus, perfectus, atque diuinus eſt. cauſaſque cur plenus ſit hic numerus ille multis aſſeruit. ego nunc vt præſentibus fabulis minus aptas relinquo. Hæc ſunt quæ in Ægypto diuinarum omnium diſciplinarum compote cur anulus huic digito magis inſeratur agnoui. Inter hæc Cæcina Albinus Si volentibus vobis erit, inquit, in medium profero quæ de hac eadem cauſa apud Ateium Capitonem pontificij iuris inter primos peritum legiſſe memini: qui, cum nefas eſſe ſanciret deorum formas inſculpi anulis eo vſque proceßit, vt & cur in hoc digito vel in hac manu geſtaretur anulus non taceret. veteres, inquit,* non ornatus, ſed ſignandi cauſa anulum ſecum circumferebant. vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquam niſi liberò: quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur. ideo ius anulorum famuli non habebant. imprimebatur autem ſculptura materiæ anuli ſiue ex ferro ſiue ex auro foret: & geſtabatur vt quiſq. vellet, quacunque manu, quolibet digito. poſtea, *inquit*, vſus luxuriantis ætatis ſignaturas precioſis gemmis cœpit inſculpere: & certatim hæc omnis imitatio laceſſiuit, vt de augmento precij quo ſculpendos lapides paraſſent gloriarentur. hinc factum eſt vt vſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otioſior eſt: ne crebro motu & officio manus dextræ precioſi lapides frangerentur. Electus autem, *inquit*, in ipſa læua manu digito minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui commendaretur anuli pretioſitas. nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt. vnde apud Græcos ἀντίχειρ, *inquit*, vocatur, quaſi manus altera. pollici vero vicinus nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur. nam pollex ita inferior eſt vt vix radicem eius excedat. medium & minimum vitauerunt, *inquit*, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum: & electus eſt qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit, & ideo ſeruando anulo magis accommodatus eſt. *Hæc ſunt quæ lectio pontificalis habet. vnuſquiſque vt volet vel Etruſcam vel Ægyptiacam opinionem ſequatur. Inter hæc Horus ad conſulendum reuerſus Scis, inquit, Diſari, præter hunc veſtitum qui me tegit, nihil me in omni cenſu aliud habere. vnde nec ſeruus mihi eſt, nec vt ſit opto: ſed omnem vſum, qui viuo miniſtrandus eſt, ego mihimet ſubminiſtro. Nuper ergo, cum in Hoſtienſi oppido morarer, ſordidatum pallium meum in mari diutule laui: & ſuper litus ſole ſiccaui:*





*nihiloque*

*nihiloque minus eædem in ipſo poſt ablutionem maculæ ſordium viſebantur. cumque me res iſta ſtupefaceret: aßiſtens forte nauta, Quin potius, ait, in fluuio ablue pallium tuum, ſi vis emaculatum? parui vt verum probarem; & aqua dulci ablutum atque ſiccatum vidi ſplendori ſuo redditum: & ex illo cauſam requiro, cur magis dulcis quam ſalſa aqua idonea ſit ſordibus abluendis. Iamdudum, Diſarius inquit, hæc quæſtio ab Ariſtotele & propoſita eſt & ſoluta. ait enim aquam marinam multo ſpißiorem eſſe quam eſt dulcis: immo illam eſſe fæculentam, dulcem vero puram atque ſubtilem. hinc facilius, ait, vel imperitos nandi mare ſuſtinet: cum fluuialis aqua quaſi infirma & nullo adiumento fulta mox cedat, & in imum pondera accepta tranſmittat. ergo aquam dulcem dixit quaſi natura leuem celerius immergere in ea quæ abluenda ſunt; & dum ſiccatur, ſecum ſordium maculas abſtrahere: marinam vero quaſi craßiorem nec facile penetrare purgando propter denſitatem ſui, & dum vix ſiccatur non multum ſordium ſecum trahere. cumque Horus his aſſentiri videretur: Euſtathius ait; Ne decipias, quæſo, credulum, qui ſe quæſtionemq. ſuam commiſit fidei tuæ. Ariſtoteles enim, vt nonnulla alia, magis acute quam vere iſta differuit. adeo autem aquæ denſitas non nocet abluendis; vt ſæpe qui aliquas ſpecies purgatas volunt, ne ſola aqua vel dulci tardius hoc efficiant, admiſceant illi cinerem, vel ſi defuerit, terrenum puluerem; vt craßior facta celerius poßit abluere. nihil ergo impedit marinæ aquæ denſitas: ſed nec ideo quia ſalſa eſt minus abluit. ſalſitas enim findere & velut aperire ſolet meatus: ideo magis elicere debuit abluenda. ſed hæc vna cauſa eſt cur aqua marina non ſit ablutioni apta, quia pinguis eſt; ſicut & ipſe Ariſtoteles ſæpe teſtatus eſt; & ſales docent, quibus ineſſe quiddam pingue nullus ignorat. eſt & hoc indicium pinguis aquæ marinæ, quod, cum inſpergitur flammæ, non tam extinguit*

*quam*



*quam pariter accenditur aqua pinguedine alimoniam igni ſubminiſtrante. poſtremo, Homerum ſequamur, qui ſolus fuit naturæ conſcius. facit enim Nauſicaam Alcinoi filiam abluentem veſtes, cum ſuper mare eſſet, non in mari ſed in fluuio. idem locus Homeri docet nos marinæ aquæ quiddam ineſſe pingue permiſtum. Vlyſſes enim cum iamdudum mare euaſiſſet, & ſtaret ſiccato corpore, ait ad Nauſicaæ famulas:*

Ἀμφίπολοι ϛῆθ' οὕτω ἀπόπροθεν, ὄφρ' ἐγὼ αὐτὸς
Ἅλμην ὤμοιιν ἀπολούσομαι.

*poſt hoc cum deſcendiſſet in fluuium,*

Ἐκ κεφαλῆς ἔσμηχεν ἁλὸς χνόον.

*diuinus enim vates, qui in omni re naturam ſecutus eſt, expreßit quod fieri ſolet; vt, qui aſcendunt de mari ſi in ſole ſteterint, aqua quidem celeriter ſole ſiccetur, maneat autem in corporis ſuperficie veluti flos quidam, qui & in detergendo ſentitur. & hæc eſt aquæ marinæ pinguedo, quæ ſola impedit ablutionem.*

## CAP. XIIII.

Simulacra cur ſub aquis maiora eſſe videantur quam reuera ſint. Tum in vniuerſum quomodo viſio fiat: an ſuſceptione ſimulacrorum quæ a rebus in oculos promanant, an potius emiſſione radiorum ex ipſis oculis.

*ET, quia a ceteris expeditus mihi te paulisper indulges, modo autem nobis de aqua ſermo fuit: quæro cur in aqua ſimulachra maiora veris videntur? quod genus apud popinatores pleraque ſcitamentorum cernimus propoſita, ampliora ſpecie quam corpore. quippe videmus in doliolis vitreis aquæ plenis & oua globis maioribus & iecuſcula fibris tumidioribus & bulbas ſpiris ingentibus: & omnino ipſum videre, qua nobis ratione conſtat? quia ſolent de hoc nonnulli nec vera nec veriſimilia ſentire. Et Diſarius Aqua, inquit, denſior eſt aëris tenuitate: & ideo eam cunctatior*



*viſus*

*viſus penetrat. cuius offenſa repercuſſa videndi acies ſcinditur, & in ſe recurrit. ſciſſa dum redit; iam non directo ictu ſed vndique verſum incurrit liniamenta ſimulachri: & ſic fit vt videatur imago archetypo ſuo grandior. nam & ſolis orbis matutinus ſolito nobis maior apparet: quia interiacet inter nos & ipſum, aër adhuc de nocte roſcidus: & grandeſcit imago eius tamquam in aqua ſpeculo viſatur. ipſam vero videndi naturam non inſubide introſpexit Epicurus: cuius in hoc non eſt vt æſtimo improbanda ſententia, adſtipulante præcipue Democrito. quia ſicut in ceteris ita & in hoc paria ſenſerunt. Ergo cenſet Epicurus ab omnibus corporibus iugi fluere quæpiam ſimulachra manare; nec vnquam tantulam moram interuenire, quin vltro ferantur inani figura cohærentes corporum exuuiæ, quarum receptacula in noſtris oculis ſunt: & ideo ad deputatam ſibi a natura ſedem proprij ſenſus recurrunt. hæc ſunt quæ vir ille commemorat. quibus ſi occurris obuius, exſpecto quid reſeras. ad hæc renidens Euſtathius, In propatulo eſt, inquit, quod decepit Epicurum. a vero enim lapſus eſt aliorum quatuor ſenſuum ſecutus exemplum: quia in audiendo guſtando & odorando atq. tangendo nihil e nobis emittimus, ſed extrinſecus accipimus quod ſenſum ſui moueat. quippe & vox ad aures vltro venit, & auræ in nares influunt; & palato ingeritur quod gignat ſaporem; & corpori noſtro applicantur tactu ſentienda. hinc putauit & ex oculis noſtris nihil foras proficiſci; ſed imagines rerum in oculos vltro meare. cuius opinioni repugnat, quod in ſpeculis imago aduerſa contemplatorem ſuum reſpicit: cum debeat, ſi quidem a nobis orta recto meatu proficiſcitur, poſteram ſui partem cum diſcedit oſtendere, vt læua læuam dextera dexteram reſpiciat. nam & hiſtrio perſonam ſibi detractam ex ea parte videt, qua induit; ſcilicet non faciem ſed poſteriorem cauernam. deinde interrogare hunc virum vellem, an tunc*

*imagines*



*imagines e rebus auolant, cum, eſt qui velit videre: an & cum nullus aſpicit emicant vndiq. ſimulachra. nam ſi quod primum dixi teneat, quæro cuius imperio ſimulachra præſto ſint intuenti, & quotiens quis voluerit ora conuertere, totiens ſe & illa conuertant? ſin ſecundo inhæreat, vt dicat perpetuo fluore rerum omnium manare ſimulachra: quæro quamdiu cohærentia permanent nullo coagulo iuncta ad permanendum? aut ſi manere dederimus, quemadmodum aliquem retinebunt colorem: cuius natura cum ſit incorporea tamen numquam poteſt eſſe ſine corpore? dein quis poteſt in animum inducere ſimulatque oculos verteris incurrere imagines cæli, maris, litoris, prati, nauium, pecudum, & innumerabilium præterea rerum quas vno oculorum iactu videmus; cum ſit pupula quæ viſu pollet oppido parua? & quo nam modo totus exercitus viſitur? an de ſingulis militibus profecta ſimulachra ſe congerunt, atque ita collecta tot milia penetrant oculos intuentis? Sed quid laboramus opinionem ſic inanem verbis verberare, cum ipſa rei vanitas ſe refellat? conſtat autem viſum nobis hac prouenire ratione. Geminum lumen e pupula, quacunque eam verteris, directa linea emicat. id oculorum domeſticum profluuium, ſi repererit in circunfuſo nobis aëre lucem, per eam directim pergit, quandiu corpus offendat: & ſi faciem verteris vt circunſpicias, vtrobique acies videndi directa procedit. ipſe autem iactus, quem diximus de noſtris oculis emicare, incipiens a tenui radice in ſumma fit latior: ſicut radij a pictore finguntur. ideo per minutiſſimum foramen contemplans oculus videt cæli profunditatem. Ergo tria iſta nobis neceſſaria ſunt ad effectum videndi; lumen quod de nobis emittimus, & vt aër qui interiacet lucidus ſit, & corpus quo offenſo deſinat intentio. quæ, ſi diutius pergat, rectam intentionem laſſata non obtinet; ſed ſciſſa in dexteram læuamque diffunditur. hinc eſt quod vbicunque terrarum ſteteris*

*videris*

*videris tibi quandam cæli concluſionem videre; & hoc eſt quod* horizontem *veteres vocauerunt. quorum indago fideliter deprehendit directam ab oculis aciem per planum contra aſpicientibus non pergere vltra centumoctoginta ſtadia, & inde iam recuruari.* per planum, *ideo adieci, quia altitudines longiſsime aſpicimus. quippe qui & cælum videmus. ergo in omni horizontis orbe ipſe qui intuetur centrum eſt. & quia diximus quantum a centro acies vſque ad partem orbis extenditur: ſine dubio in horizonte* διάμετρος *orbis trecentorum ſexaginta ſtadiorum eſt: &, ſi vlterius qui intuetur acceſſerit ſeu retrorſum receſſerit, ſimilem circa ſe orbem videbit. Sicut igitur diximus cum lumen quod pergit e nobis per aëris lucem in corpus inciderit, impletur officium videndi: ſed vt poſsit res viſa cognoſci, renuntiat viſam ſpeciem rationi ſenſus oculorum; & illam aduocata memoria recognoſcit. Ergo videre oculorum eſt, iudicare rationis, memoriæ meminiſſe. quia trinum eſt officium, quod viſum complet ad dignoſcendam figuram, ſenſus, ratio, memoria. ſenſus rem viſam rationi refundit. illa quid viſum ſit recordatur. adeo autem in tuendo neceſſarium eſt rationis officium, vt ſæpe in vno videndi ſenſu etiam alium ſenſum memoria ſuggerente ratio deprehendat. nam, ſi ignis appareat, ſcit eum & ante tactum ratio calere. ſi nix ſit illa quæ viſa eſt; intelligit in ipſa ratio etiam tactus rigorem. hac ceſſante viſus inefficax eſt: adeo vt quod remus in aqua fractus videtur, vel quod turris eminus viſa cum ſit anguloſa rotunda exiſtimatur, faciat rationis negligentia: quæ, ſi ſe intenderit, agnoſcit in turre angulos & in remo integritatem; & omnia illa diſcernit, quæ Academicis damnandorum ſenſuum occaſionem dederunt: cum ſenſus vnus inter certiſsimas res habendus ſit, comitante ratione; cui nonnumquam ad diſcernendam ſpeciem non ſufficit ſenſus vnus. nam ſi eminus pomi, quod malum dicitur,*

*figura*



*figura viſatur; non omnimodo id malum eſt. potuit enim ex aliqua materia fingi mali ſimilitudo. aduocandus eſt igitur ſenſus alter, vt odor iudicet. ſed potuit inter congeriem malorum poſitum auram odoris ipſius concepiſſe. hic tactus conſulendus eſt, qui poteſt de pondere iudicare. ſed metus eſt ne & ipſe fallatur, ſi fallax opifex materiam quæ pomi pondus imitaretur elegit. confugiendum eſt igitur ad ſaporem. qui ſi formæ conſentiat; malum eſſe nulla dubitatio eſt. Sic probatur efficaciam ſenſuum de ratione pendere. ideo deus opifex omnes ſenſus in capite, id eſt, circa ſedem rationis, locauit.*

## CAP. XV.

Satin' recte ſcriptum ſit a Platone, cibum per ſtomachum trahi: potum vero per arteriam quæ τραχεῖα dicitur, fibris pulmonis illabi.

HIS *dictis; fauor ab omnibus exortus eſt admirantibus dictorum ſoliditatem, adeo vt atteſtari vel ipſum Euangelum non pigeret. Diſarius deinde ſubiecit: Iſti plauſus ſunt, qui prouocant philoſophiam ad vindicandos ſibi de aliena arte tractatus, vnde ſæpe manifeſtos occurrit errores. vt Plato veſter, dum nec anatomica quæ medicinæ propria eſt abſtinet, riſum de ſe poſteris tradidit. dixit enim diuiſas eſſe vias deuorandis cibatui & potui; & cibum quidem per ſtomachum trahi; potum vero per arteriam quæ trachia dicitur fibris pulmonis allabi. quod tantum virum vel æſtimaſſe vel in libros retuliſſe mirandum eſt vel potius dolendum. vnde Eraſiſtratus medicorum veterum nobiliſsimus in eum iure inuectus eſt, dicens retuliſſe illum longe diuerſa quam ratio deprehendit. duas enim eſſe fiſtulas inſtar canalium, eaſque ab oris faucibus proficiſci deorſum; & per earum alteram induci delabique in ſtomachum eſculenta omnia & poculenta, ex eoque ferri in ventriculum, quod*

*Græce*

Græce appellatur ἡ κάτω κοιλία; atque illic ſubigi digerique; ac deinde aridiora ex his retrimenta in aluum conuenire, quod Græce κῶλον dicitur; humidiora autem per renes in veſicam trahi, & per alteram de duabus ſuperioribus fiſtulam, quæ Græce appellatur τραχεῖα ἀρτηρία, ſpiritum a ſummo ore in pulmonem, atque inde rurſum in os & in nares, commeare; perque eandem vocis fieri meatum: ac ne potus cibuſve aridior, quem oporteret in ſtomachum ire, procideret ex ore labereturque in eam fiſtulam per quam ſpiritus reciprocatur, ex eaque offenſione intercluderetur animæ via, impoſitam eſſe arte quadam & ope naturæ ἐπιγλωττίδα, quaſi clauſtrum mutuum vtriuſque fiſtulæ, quæ ſibi ſunt cohærentes: eamque ἐπιγλωττίδα inter edendum bibendumque operire ac protegere τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ne quid ex eſca potuve incideret in illud quaſi æſtuantis animæ iter; ac propterea nihil humoris influere in pulmonem ore ipſo arteriæ communito. hæc Eraſiſtratus. cui, vt æſtimo, vera ratio conſentit. cum enim cibus non ſqualidus ſiccitate ſed humoris temperie mollis ventri inferendus ſit: neceſſe eſt eandem viam ambobus patere; vt cibus potu temperatus per ſtomachum in ventrem condatur: nec aliter natura componeret niſi quod ſalutare eſſet animali. Deinde, cum pulmo & ſolidus & leuigatus ſit, ſi quid ſpiſſum in ipſum deciderit, quemadmodum penetrari aut tranſmitti poteſt ad locum digeſtionis; cum conſtet ſi quando caſu aliquid paulo denſius in pulmonem violentia ſpiritus trahente deciderit, mox naſci tuſſim nimis aſperam, & alias quaſſationes vſque ad vexationem ſalutis? ſi autem naturalis via potum in pulmonem traheret: cum polenta bibuntur, vel cum hauritur potus admixtis granis ſeu ex re aliqua denſiore, quid his ſumptis pulmo pateretur? vnde ἐπιγλωττὶς a natura prouiſa eſt; quæ, cum cibus ſumitur, operimento ſit arteriæ, ne quid per ipſam in pulmonem ſpiritu paſſim trahente



labatur. ſicut, & cum ſermo emittendus eſt, inclinatur ad operiendam ſtomachi viam, vt ἀρτηρίαν voci patere permittat. Eſt & hoc de experientia notum quod qui ſenſim trahunt potum ventres habent humectiores, humore qui paulatim ſumptus eſt diutius permanente. ſi quis vero auidius hauſerit: humor eodem impetu quo trahitur præterit in veſicam; & ſicciori cibo prouenit tarda digeſtio. hæc autem differentia non naſceretur, ſi a principio cibi & potus diuiſi eſſent meatus. Quod autem Alcæus poëta dixit & vulgo canitur;

Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε
Τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,

ideo dictum eſt, quia pulmo reuera gaudet humore, ſed trahit quantum ſibi æſtimat neceſſarium. Vides ſatius fuiſſe philoſophorum omnium principi alienis abſtinere, quam minus nota proferre. ad hæc Euſtathius paulo commotior Non minus te, inquit, Diſari, philoſophis quam medicis inſerebam. ſed modo videris mihi rem conſenſu generis humani decantatam & creditam obliuioni dare; philoſophiam artem eſſe artium & diſciplinam diſciplinarum. & nunc in ipſam inuehitur paricidali auſu medicina; cum philoſophia illic ſe habeatur auguſtior, vbi de rationali parte, id eſt de incorporeis diſputat; & illic inclinetur, vbi de phyſica, quod eſt de diuinis corporibus vel cæli vel ſiderum, tractat. medicina autem phyſicæ partis extrema fæx eſt, cui ratio eſt cum teſteis terreniſque corporibus. ſed quid rationem nominaui, cum magis apud ipſam regnet coniectura quam ratio? quæ ergo coniicit de carne lutulenta, audet inequitare philoſophiæ de incorporeis & vere diuinis certa ratione tractanti. Sed ne videatur communis iſta defenſio tractatum vitare pulmonis: accipe cauſas quas Platonica maieſtas ſecuta eſt. ἐπιγλωττὶς quam memoras inuentum naturæ eſt ad tegendas detegendaſq. certa alternatione vias

cibatus

*cibatus & potus; vt illum ſtomacho tranſmittat, hunc pulmo ſuſcipiat. propterea tot meatibus diſtinctus eſt & interpatet rimis, non vt ſpiritus egreſſiones habeat, cui exhalatio occulta ſufficeret; ſed vt per eos, ſi quid cibatus in pulmonem deciderit, ſuccus eius mox migret in ſedem digeſtionis. deinde* ἀρτηρία *ſi quo caſu ſciſſa fuerit, potus non deuoratur, ſed quaſi fiſſo meatu ſuo reiectatur foras incolumi ſtomacho. quod non contingeret niſi* ἀρτηρία *via eſſet humoris. Sed & hoc in propatulo eſt; quia quibus æger eſt pulmo accenduntur in maximam ſitim. quod non eueniret niſi eſſet pulmo receptaculum potus. Hoc quoque intuere; quod animalia quibus pulmo non eſt, potum neſciunt. natura enim nihil ſuperfluum, ſed membra ſingula ad aliquod viuendi miniſterium fecit: quod cum deeſt; vſus eius non deſideratur. Vel hoc cogita: quia ſi ſtomachus cibum potumq. ſuſciperet, ſuperfluus foret veſicæ vſus. poterat enim vtriuſque rei ſtomachus retrimenta inteſtino tradere, cui nunc ſolius cibi tradit: nec opus eſſet diuerſis meatibus quibus ſingula traderentur, ſed vnus vtrique ſufficeret ab eadem ſtatione tranſmiſſo. modo autem ſeorſum veſica, & inteſtinum ſeorſum ſaluti ſeruit: quia illi ſtomachus tradit, pulmo veſicæ. Nec hoc prætereundum eſt, quod in vrina, quæ eſt retrimentum potus, nullum cibi veſtigium reperitur; ſed nec aliqua qualitate illorum retrimentorum vel coloris vel odoris inficitur. quod ſi in ventre ſimul fuiſſent; aliqua illarum ſordium qualitas inficeretur. nam poſtremo lapides, qui de potu in veſica naſcuntur, cur numquam in ventre coaleſcunt, cum non niſi ex potu fiant & naſci in ventre quoque debuerint, ſi venter eſſet receptaculum potus? In pulmonem defluere potum nec poëtæ nobiles ignorant. ait enim Eupolis in fabula, quæ inſcribitur Colaces.:* Πίνειν γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευεν, ἵνα πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκλυρον φορῇ. *& Eratoſthenes teſtatur idem.*

Καὶ



Καὶ βαθὺν ἀκρήτῳ πνεύμονα τεγγόμενος.

*Euripides vero huius rei manifeſtiſſimus aſtipulator eſt:*

Οἶνος περάσας πλευμόνων διαῤῥοάς.

*Cum igitur & ratio corporeæ fabricæ, & teſtium nobilis auctoritas aſtipuletur Platoni: nonne quiſquis contra ſentit inſanit?*

## CAP. XVI.

### Ouumne prius fuerit an gallina.

INTER *hæc Euangelus gloriæ Græcorum inuidens & illudens: Faceſſant, ait, hæc quæ inter vos in oſtentationem loquacitatis agitantur. quin potius, ſi quid callet veſtra ſapientia, ſcire ex vobis volo ouumne prius exſtiterit an gallina? Irridere te putas, Diſarius ait; & tamen quæſtio quam mouiſti, & inquiſitu & ſcitu digna eſt. cur enim tibi de rei vtilitate comparans conſuluiſti, vtrum prius gallina ex ouo an ouum ex gallina cœperit.*** ſed hoc ita ſeriis inſerendum eſt, vt de eo debeat vel anxie diſputari. & proferam quæ in vtranque partem mihi dicenda ſubuenient, relicturus tibi vtrum eorum verius malis videri. Si concedimus omnia quæ ſunt aliquãdo cœpiſſe: ouum prius a natura factum iure æſtimabitur. ſemper enim quod incipit imperfectum adhuc & informe eſt, & ad perfectionem ſui per procedentis artis & temporis additamenta formatur. ergo natura fabricans auem ab informi rudimento cœpit, & ouum, in quo necdum eſt ſpecies animalis, effecit. ex hoc perfectæ auis ſpecies exſtitit procedente paulatim maturitatis effectu. deinde, quicquid a natura variis ornatibus comptum eſt, ſine dubio cœpit a ſimplici; & ita contextionis acceſſione variatum eſt. ergo ouum viſu ſimplex & vndique verſum pari ſpecie creatum eſt: & ex illo varietas ornatuum quibus conſtat auis ſpecies abſoluta eſt: nam ſicut elementa prius exſtiterunt; ita & reliqua corpora*

 de com-

*de commixtione eorum creata ſunt: ita rationes ſeminales quæ in ouo ſunt, ſi venialis erit iſta tranſlatio, velut quadam gallinæ elementa credenda ſunt. nec importune elementis de quibus ſunt omnia ouum comparauerim. in omni enim genere animantium, quæ ex coitione naſcuntur, inuenies ouum aliquorum eſſe principium inſtar elementi. aut enim gradiuntur animantia, aut ſerpunt, aut nando volandove viuunt. in gradiētibus lacertæ & ſimilia ex ouis creantur. quæ ſerpunt oui naſcuntur exordio. volantia vniuerſa de ouis prodeunt; excepto vno quod incertæ naturæ eſt. nam veſpertilio volat quidem pellitis alis, ſed inter volantia non habendus eſt; quia quatuor pedibus graditur formatoſque pullos parit & nutrit lacte quos generat. nantia pæne omnia de ouis oriuntur generis ſui; crocodilus vero etiam de teſteis, qualia ſunt volantium. &, ne videar plus nimio extuliſſe ouum elementi vocabulo, conſule initiatos ſacris Liberi patris; in quibus hac veneratione ouum colitur, vt ex forma tereti ac pene ſphærali atque vndique verſum clauſa & includente intra ſe vitam, mundi ſimulachrum vocetur. mundum autem conſenſu omnium conſtat vniuerſitatis eſſe principium. Prodeat qui priorem vult eſſe gallinam; & in hæc verba tentet quod defendit aſſerere. Ouum rei cuius eſt nec initium nec finis eſt. nam initium eſt ſemen, finis auis ipſa formata. ouum vero digeſtio eſt ſeminis. Cum ergo ſemen animalis ſit, & ouum ſeminis: ouum ante animal eſſe non potuit; ſicut non poteſt digeſtio cibi fieri antequam ſit qui edit. & tale eſt dicere ouum ante gallinam factum; ac ſi quis dicat matricem ante mulierem factam. &, qui interrogat quemadmodum gallina ſine ouo eſſe potuit, ſimilis eſt interroganti quonam pacto homines facti ſint ante pudenda; de quibus homines procreātur. vnde ſic vt nemo recte dicet hominem ſeminis eſſe ſed ſemen hominis; ita nec oui gallinam ſed ouum eſſe gallinæ. deinde ſi concedamus, vt ab*

*aduerſa*



*aduerſa parte dictum eſt, hæc quæ ſunt ex tempore aliquod ſumpſiſſe principium: natura primum ſingula animalia perfecta formauit; deinde perpetuam legem dedit vt continuaretur procreatione ſucceſsio. perfecta autem in exordio fieri potuiſſe teſtimonio ſunt nunc quoq. non pauca animantia, quæ de terra & imbre perfecta naſcuntur: vt in Ægypto mures, & aliis in locis ranæ, ſerpenteſque, & ſimilia. oua autem nunquā de terra ſunt procreata; quia in illis nulla perfectio eſt. natura vero perfecta format; & de perfectis iſta procedunt, vt de integritate partes. nam, vt concedam oua auium eſſe ſeminaria; videamus quod de ſemine ipſa philoſophorum definitio teſtatur. quæ ita ſancit; Semen generatio eſt ad eius ex quo eſt ſimilitudinem pergens. non poteſt autem ad ſimilitudinem pergi rei quæ necdum eſt: ſicut nec ſemen ex eo quod adhuc non ſubſiſtit emanat. ergo in primo rerum ortu intelligamus cum ceteris animantibus quæ ſolo ſemine naſcuntur, de quibus non ambigitur quin prius fuerint quam ſemen ſuum, aues quoque opifice natura exſtitiſſe perfectas. &, quia vis generandi inſerta ſit ſingulis, ab his iam procedere naſcendi modū, quos pro diuerſitate animantium natura variauit. Habes Euangele vtrubique quod teneas: & diſsimulata pauliſper irriſione tecum delibera quid ſequaris. & Euangelus: Quia & ex iocis ſeria facit violentia loquendi: hoc mihi abſoluatis volo, cuius diu me exercuit vera deliberatio. Nuper enim mihi de Tiburti agro meo exhibiti ſunt apri, quos obtulit ſilua venantibus. &, quia diutule continuata venatio eſt, perlati ſunt alij interdiu noctu alij. quos perduxit dies; integra carnis incolumitate durarunt: qui vero per noctem lunari plenitudine lucente portati ſunt; putruerunt. quod vbi ſcitum eſt: qui ſequenti nocte deferebant infixo cuicumque parti corporis acuto æneo apros carne integra pertulerunt. quæro igitur, cur noxam quam pecudibus occiſis ſolis radij non*

 *dederunt*

dederunt lunare lumen effecit? Facilis eſt, Diſarius inquit, & ſimplex iſta reſponſio. nullius enim rei fit aliquando putredo niſi calor humorque conuenerint. pecudum autem putredo nihil aliud eſt niſi cum defluxio quadam latens ſoliditatem carnis in humorem reſoluit. calor autem, ſi temperatus ſit & modicus, nutrit humores: ſi nimius; exſiccat & habitudinem carnis extenuat. Ergo de corporibus enectu ſol vt maioris caloris haurit humorem: lunare lumen, in quo eſt non manifeſtus calor ſed occultus tepor, magis diffundit humecta & inde prouenit iniecto tepore & aucto humore putredo. His dictis Euangelus Euſtathium intuens, Si rationi dictæ aſſentiris, ait, annuas oportet; aut ſi eſt quod moueat, proferre non pigeat: quia vis veſtri ſermonis obtinuit ne inuita aure vos audiam. Omnia, inquit Euſtathius, a Diſario & luculente & ex vero dicta ſunt. ſed illud preſſius intuendum eſt vtrum menſura caloris ſit cauſa putredinis, vt ex maiore calore non fieri & ex minore ac temperato prouenire dicatur. Solis enim calor, qui nimium feruet quando annus in æſtate eſt, & hieme tepeſcit, putrefacit carnes æſtate non hieme. ergo nec luna propter ſummiſſiorem calorem diffundit humores. ſed neſcio qua proprietas, quam Græci ἰδίωμα vocant, & quædam natura ineſt lumini, quod de ea defluit; quæ humectet corpora & velut occulto rore madefaciat: cui admiſtus calor ipſe lunaris putrefacit carnem, cui diutule fuerit infuſus. neq. enim omnis calor vnius eſt qualitatis, vt hoc ſolo a ſe differat ſi maior minorve ſit. ſed eſſe in igne diuerſiſſimas qualitates nullam ſecum habentes ſocietatem rebus manifeſtis probatur. Aurifices ad formandum aurum nullo niſi de paleis vtuntur igne: quia ceteri ad producendam hanc materiam inhabiles habentur. medici in remediis concoquendis magis de ſarmentis quam ex alio ligno ignem requirunt. qui vitro ſoluendo firmandoque curant, de arbore cui myri-

ca nomen



ca nomen eſt igni ſuo eſcam miniſtrant. calor de lignis oleæ, cum ſit corporibus ſalutaris, pernicioſus eſt balneis, & ad diſſoluendas iuncturas marmorum efficaciter noxius. non eſt ergo mirum ſi ratione proprietatis quæ ſingulis ineſt, calor ſolis arefacit, lunaris humectat. hinc & nutrices pueros alentes operimentis obtegunt cum ſub luna prætereunt; ne plenos per ætatem naturalis humoris amplius lunare lumen humectet; & ſicut ligna adhuc virore humida accepto calore curuantur, ita & illorum membra contorqueat humoris adiectio. Hoc quoque notum eſt; quia ſi quis diu ſub luna ſomno ſe dederit ægre excitatur & proximus fit inſano, pondere preſſus humoris, qui in omne eius corpus diffuſus atque diſperſus eſt proprietate lunari: quæ vt corpus infundat omnes eius aperit & laxat meatus. hinc eſt quod Diana, quæ luna eſt, ἄρτεμις dicitur, quaſi ἀερότεμις hoc eſt aërem ſecans. Lucina a parturientibus inuocatur; quia proprium eius munus eſt diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare; quod eſt ad celerandos partus ſalutare. & hoc eſt, quod eleganter poëta Timotheus expreſſit;

Διὰ λαμπρὸν πόλον ἄστρων
Διά τ᾽ ὠκυτόκοιο σελάνας.

Nec minus circa inanima lunæ proprietas oſtenditur. nam ligna quæ luna vel iam plena vel adhuc creſcente deiecta ſunt, inepta fabricis ſunt quaſi emollita per humoris conceptionem. & agricolis cura eſt frumenta de areis non niſi luna deficiente colligere, vt ſicca permaneant. contra quæ humecta deſideras luna creſcente conficies. tunc & arbores aptius ſeres, maxime cum illa eſt ſuper terram: quia ad incrementa ſtirpium neceſſarium eſt humoris alimentum. aër ipſe proprietatem lunaris humoris & patitur & prodit. nam cum luna plena eſt vel cum naſcitur, (& tunc enim a parte qua ſurſum ſuſpicit plena eſt,) aër aut in pluuiam ſoluitur, aut ſi ſudus ſit multum de ſe roris emittit. vnde

*& Alcman Lyricus dixit, rorem Aëris & Lunæ filium. ita vndique verſum probatur ad humectandas diſſoluendaſque carnes ineſſe lunari lumini proprietatem; quam magis vſus quam ratio deprehendit. Quod autem dixiſti Euangele de acuto æneo, ni fallor, coniectura mea a vero non deuiat. eſt enim in ære vis acrior, quam medici ſtipticam vocant. vnde ſquamas eius adiciunt remediis quæ contra perniciem putredinis aduocantur. deinde qui in metallo æris morantur ſemper oculorum ſanitate pollent; & quibus ante palpebræ nudatæ fuerant, illic conueſtiuntur. aura enim quæ ex ære procedit in oculos incidens haurit & exſiccat quod male influit. vnde & Homerus modo αἴθοπα, modo νώροπα χαλκόν has cauſas ſecutus appellat. Ariſtoteles vero auctor eſt vulnera quæ ex æreo mucrone fiunt minus eſſe noxia, quam ferro, faciliuſque curari. quia ineſt, inquit, æri vis quædam remedialis & ſiccifica, quam demittit in vulnere. Pari ergo ratione infixum corpori pecudis, lunari repugnat humori.*

AM-



AMBROSII

# MACROBII THEODOSII

DE

# DIFFERENTIIS

ET SOCIETATIBVS

GRÆCI LATINIQ. VERBI,

LIBELLVS.

*Nunc primum iunctim editus.*

# *Ex Libro*

# AMBROSII MACROBII THEODOSII

## De differentiis & ſocietatibus Græci Latinique verbi.

G*RÆCÆ Latinæque linguæ coniunctiſſimam cognationem natura dedit. Nam & iiſdem orationis partibus abſque articulo, quem Græcia ſola ſortita eſt, iiſdem pene obſeruationibus, figuris, conſtructionibuſque vterque ſermo diſtinguitur; vt propemodum qui vtramuis artem didicerit, ambas nouerit: in multis tamen differunt, & quaſdam proprietates habent, quæ Græce idiomata vocantur.*

## De verborum vtriuſque differentiis vel ſocietatibus.

A*CCIDVNT verbis vtriuſque linguæ perſona, numeri, figura, coniugatio, tempus, modus quem Græci enclisin vocant. Latini cum formis qualitatem poſuerunt. genus, quod apud Græcos diatheſis nuncupatur. eandem pene cum caſibus conſtructionem ſeruant, vt* miſereor illius, pareo illi, veneror illum: *φροντίζω τοῦδε, πείθομαι τῷδε, φιλῶ τόνδε. Ablatiuum Græcia non recipit. Eadem illis perſonarum ſimilitudo : prima* voco, *ſecunda* vocas, *tertia* vocat: *καλῶ, καλεῖς, καλεῖ. In numeris vna diſſenſio eſt, quod δυϊκὸν, id eſt dualem, nulla Latinitas admiſit, Græci vero in verbis nominibuſque δυϊκὰ videntur habere.*

De



## De figuris.

F*IGVRÆ ambobus non ſine diſcretione pares. Nos dicimus* curro, percurro: *illi τρέχω, διατρέχω. Quatuor quoque modis & hæc & illa componuntur : ex duobus integris,* produco; *ex integro & corrupto,* perficio; *ex corrupto & integro,* accedo; *ex duobus corruptis,* occipio: *Similiter ἐκ δύο τελείων, συντρέχω· ἐκ τελείου καὶ ἀπολείποντος, προσκυνῶ. ἐξ ἀπολείποντος καὶ τελείου, συμβάλλω· ἐκ δύο ἀπολειπόντων, κωμῳδῶ. Sunt quædam compoſita quæ non poſſunt reſolui, vt* ſuſpicio, complector; *ita apud illos τὸ μὴ συντρέχω. Sunt apud Græcos admiſſa poſt compoſitionem, cum eſſent ſimplicia non recepta: νομῶ nihil ſignificat, tamen οἰκονομῶ dicitur; ſimiliter δομῶ & δομέω, οἰκοδομῶ & βυσσοδομεύω componuntur. Ita* facior & grego *non dicunt;* conficior *vero,* & afficior, & congrego, *probe dicunt. Vtrique verbo binæ præpoſitiones iunguntur. Homerus, περιπροκυλινδόμενος. Vergilius,* pede proſubigit terram. *Latinitas compoſiti verbi ſæpe primam ſyllabam mutat,* teneo, contineo; *ſæpe non mutat,* lego, neglego. *In Græco verbo nunquam prima ſyllaba adiecta præpoſitione violatur, βάλλω, ἀμφιβάλλω, διαβάλλω, καταβάλλω· ἄγω, συνάγω, προάγω, διάγω· φέρω, προφέρω, διαφέρω, ἀναφέρω· δέρω, ἐκδέρω· φιλῶ, καταφιλῶ. Vltro equidem intemerato verbo præpoſitio ſæpe corrumpitur, λέγω, συλλέγω, βάλλω, συμβάλλω, τρέχω, ἐκτρέχω. Hoc item in Latinis;* fero, ecfero: aufugio & aufero *a præpoſitione* ab *componuntur, & in his ſolis* ab *mouetur in auctore Cicerone, ſenſumque habent retrorſum trahendi. Nigidius tamen putat verbum* autumo *eadem præpoſitione componi, quaſi* ab & æſtimo, *ſicut* abnumero *idem eſt &* numero. autumo *vero* & dico & cenſeo *ſignificat. Græca verba quando componuntur cum præpoſitione, eundem accentum ſine dubio*

Ll 5 *ſeruant,*

*ſeruant*, καταγράφω, περιφέρω, ἀναγλύφω, ὑπομένω, διατρέχω, καταλαλῶ, περιορῶ. *Cum vero eis alia pars orationis adiungitur, modo mutant priorem, modo tuentur accentum. Seruant in his*, τίω, ἀτίω· ὄσσω, κακόσσω, *vnde* κακοσσόμενος· νίπτω, χερνίπτω, *vnde eſt*, χερνίψαντο δ' ἔπειτα· κιθαρίζω, χοροκιθαρίζω. *In aliis mutant*, γλύφω, κοιλογλυφῶ· γράφω, χειρογραφῶ· σθένω, ἀσθενῶ· σέβω, ἀσεβῶ. *Latini ſimiliter ſeruant*, præpono, præcurro: *mutant*, colligo, affero. *Apud Latinos nulla præpoſitio adiuncta mutat coniugationem*, clamo clamas, declamo declamas: *Græci nonnunquam in compoſitione mutant coniugationem*, συλῶ συλᾷς, ἱεροσυλῶ ἱεροσυλεῖς· τιμῶ τιμᾷς, ἀτιμῶ ἀτιμοῖς· πειρῶ πειρᾷς, ἐμπειρῶ ἐμπειρεῖς· *licet ſint qui dicant hæc non* σύνθετα, *ſed* παρασύνθετα, *id eſt non ipſa compoſita, ſed ex compoſitis facta nominibus; vt* ἱεροσυλῶ *non ſit* ἀπὸ τοῦ συλῶ, *ſed* ἀπὸ τοῦ ἱερόσυλος: *&* ἀτιμῶ, *non* ἀπὸ τοῦ τιμῶ, *ſed* ἀπὸ τοῦ ἄτιμος: *&* ἐμπειρῶ, *non* ἀπὸ τοῦ πειρῶ, *ſed* ἀπὸ τοῦ ἔμπειρος. *& hæc vocant* παρασύνθετα, *quæ ex* συνθέτοις, *id eſt ex compoſitis veniunt. nam* ἀβλεπτῶ *non* ἀπὸ τοῦ βλέπω *deriuatum eſt (cæterum* τ *non haberet) ſed* ἀπὸ τοῦ ἄβλεπτος. *Contra* χειροκοπῶ *non* ἀπὸ τοῦ κόπτω *(cæterum* τ *haberet) ſed* ἀπὸ τοῦ χειροκόπος. *Vnde hæc nomina* σύνθετα *vocant, & verba ex ipſis facta* παρασύνθετα. *Sunt alia compoſita quæ foris declinantur*; κιθαρῳδῶ ἐκιθαρῴδουν, δημηγορῶ ἐδημηγόρουν, παιδαγωγῶ ἐπαιδαγώγουν, δυσφορῶ ἐδυσφόρουν. *Intus vero declinantur*, καταγράφω κατέγραφον, περιτρέχω περιέτρεχον, διαβάλλω διέβαλλον: *quæ imperatiuo faciunt* κατάγραφε, περίτρεχε, διάβαλλε. *Accentus autem de verbo non tolleretur, niſi ei præcedẽtem partem orationis compoſitio agglutinaſſet: quod euenit & in aliis verbis, in quibus modo longi temporis pondus priorem retinet accentum, modo correpti leuitas ſurſum repellit*: ἐνῆσαν, ἔνεσαν, πολλοὶ δ' ἔνεσαν στονόεντες ὀϊστοί· ἀνῆσαν, ἄνεσαν, ἄλλοτε δ' ἤειν ἀνῆσαν· κατεῖχε, κάτεχε, νὺξ δὲ μάλα δνοφερὴ κάτεχ' οὐρανόν: *item* συνήψας



συνήψας σύναψον, συνῆξας σύναξον, συνεῖλον σύνελε, συνῆλθον σύνελθε· οὕτως καὶ προεῖπον, πρόειπε. *Memineris nullam fere inueniri apud Latinos præpoſitionem, quæ nihil addat ſenſui, ſicut apud Græcos ſæpe præpoſitio nullã ſenſus facit permutationem: hoc eſt enim* εὕδω *quod* καθεύδω, *hoc* ἕζομαι *quod* καθέζομαι, *hoc* μύω *quod* καμμύω: *ſicut* ſurgo & cõſurgo.

## De coniugationibus.

APVD *Græcos eorum verborum in quorum prima poſitione circumflexus accẽtus vltimam ſyllabam tenet, tres ſunt coniugationes, quibus diſcretionẽ facit ſecunda perſona, quia prima coniugatio habet in* εῖς *diphthongum deſinentem, vt* λαλεῖς: *ſecunda in* ᾷς, *cui aſcribitur quidem* ι, *ſed nihil ſono cõfert, vt* τιμᾷς: *tertia in* οῖς *diphthongum, vt* στεφανοῖς. *Eorum vero verborũ in quorum prima poſitione grauis accentus pænultimam ſyllabam ſignat. ſex ſunt coniugationes, ſed in his non ſecunda perſona diſcretionẽ facit, quippe cum in omnibus ſecũda perſona in* εις *diphthongum finiatur: ſed harum coniugationum in prima perſona differentiæ deprehenduntur. quæritur enim in prima poſitione verbi cuiuſq., quæ litteræ præcedant* ω *finalem litteram verbi, & ſi inueneris ante* ω, β, φ, π, πτ, λείβω, γράφω, τέρπω, κόπτω, *primæ coniugationis pronuntiabis. ſi autem repereris* γ, κ, χ, λέγω, πλέκω, τρέχω, *ſecundam vocabis. quod ſi* δ, θ, τ, ᾄδω, πλήθω, ἀνύτω, *tertiam dices. quarta erit, ſi habuerit* ζ, *aut duo* σσ, φράζω, ὀρύσσω. *ſi vero fuerint liquidæ* λ, μ, ν, ρ, ψάλλω, νέμω, κείνω, σπείρω, *quintam notabũt. Sexta profertur* διὰ καθαροῦ τοῦ ω, ῥέω, θεραπεύω. *Nonnulli & ſeptimam eſſe voluerunt præcedentibus* ξ, ψ, ἀλέξω, ἕψω. *Apud Latinos quorum nullum verbum in finalem ſyllabam admittit accentum, ceſſant differentiæ quas apud Græcos circumflexus grauiſve fecerunt, quorum alterum in verbis vltimæ, alterum penultimæ Græciam diximus deputaſſe. Reſtat igitur* in his

*in his Latinitati vnus accentus, grauem dico, qui ſolus Romana verba ſortitus eſt; ſed hoc proprium in verbis Latinis habet, quod non ſemper, vt apud Græcos, vbi fuerit in penultimam ſyllabam cadit, ſed ſæpe & a fine tertiam tenet; vt* aggero, refero. *quod apud Græcos non poteſt euenire, apud quos in communi lingua fieri non poteſt. vt cum finalis ſyllaba longa eſt, tertius a fine habeatur accentus. ω autem naturaliter longa eſt. ergo nunquam accentus in huiuſmodi verbis apud illos in tertium gradum ſyllabarum recedit. Singula tempora Græcorum verborum non ſimpliciter ſicut Latinitas compendio vtitur, proferuntur; & vt exempli cauſa vnius verbi declinatio notetur,* τύπτω *perfectum facit* τέτυφα, *& ſequitur altera eiuſdem temporis declinatio, quod medium perfectum vocant,* τέτυπα: *item plusquam perfectum* ἐτετύφειν, *medium plusquam perfectum* ἐτετύπειν: ἀόριστος ἔτυψα, μέσος ἀόριστος ἔτυπον: *futurum primum facit* τύψω, *futurum ſecundum* τυπῶ. *ſimiliter in paſſiuo variantur tempora.*

## De tempore præſenti.

GRÆCORVM *verba omnia quæ in* ω *exeunt, ſeu periſpomena ſeu barytona ſint, in quacumque coniugatione eundem tam in prima quam in ſecunda perſona ſeruant numerum ſyllabarum: omnia vero in* μαι *terminata, varia ſyllabarum viciſſitudine penſantur. Porro præſens omne tempus quod in* μαι *terminatur, omnimodo in ſecunda perſona vnam ſyllabam minuit,* φιλοῦμαι φιλῇ, τιμῶμαι τιμᾷ, στεφανοῦμαι στεφανοῖ, λέγομαι λέγῃ, γράφομαι γράφῃ: *cum in actiuo pares ſyllabas vtraque perſona ſeruauerit. Item præſens tempus apud Græcos primæ poſitionis quod in* ω *exit, alios modos de ſe generat. Nam tertia perſona eius adhibito ſibi* ν, *facit ex ſe infinitum modum,* ποιεῖ ποιεῖν, τιμᾷ τιμᾶν, χρυσοῖ χρυσοῦν. *Tertia enim coniugatio* περισπωμένων οι *diphthongum in prima poſitione tantum tenet, in reliquis autem verbi declinationibus mutat eam in* ου. *Sed & in barytonis eadem infiniti modi creandi obſeruatio reperitur:* τύπτει τύπτειν, λέγει λέγειν, *&c.* Necnon *& imperatiuum modum eadem tertia perſona de ſe creat: in periſpomenis quidem accentu ad ſuperiorem ſyllabam tranſlato,* ποιεῖ ποίει, τιμᾷ τίμα, χρυσοῖ χρύσοι: *in barytonis autem ſubtracto* ι, λέγει λέγε, γράφει γράφε, ἄρχει ἄρχε. *In coniunctiuo modo nihil omnino mutatur, ſed prima perſona præſentis temporis modi indicatiui, eadem in coniunctiuo modo prima perſona præſentis,* ποιῶ, ἐὰν ποιῶ, βοῶ, ἐὰν βοῶ, θέλω, ἐὰν θέλω, γράφω, ἐὰν γράφω. *Verum differentiam facit ſecunda perſona,* ποιῶ, ποιεῖς, ἐὰν ποιῶ, ἐὰν ποιῇς. *Item apud Græcos prima perſona præſentis adiecto ſibi* ν, *facit participiũ,* λαλῶ λαλῶν, γράφω γράφων. *Præſens tempus Græcorum verborum quod in* μαι *ſyllabam terminatur, in* περισπωμένοις *quidem ſi abiiciat* μαι *ſyllabam, facit imperatiuum,* φιλοῦμαι φιλοῦ, τιμῶμαι τιμῶ, χρυσοῦμαι χρυσοῦ: *in barytonis vero, ſi abiecta* μαι *ſyllaba, accipiat* υ *litterã,* λέγομαι λέγου, γράφομαι γράφου.

## De præterito imperfecto.

GRÆCA *verba omnia, ſeu barytona, ſiue periſpomena, in tempore imperfecto eandem habent primam perſonam numeri ſingularis, quæ tertia pluralis,* ἐποίουν ἐγώ, ἐποίουν ἐκεῖνοι. *Item in Græcis verbis omnibus, quorum poſitio prima in* ω *deſinit, imperfectum tempus vltimam ſyllabam ſuam ab his incipere litteris facit, a quibus vltima ſyllaba præſentis cœpit,* τιμῶ ἐτίμων, γράφω ἔγραφον, τρέχω ἔτρεχον: *aut ſi vocalis ſola illic fuit, & hic in capite vltimæ ſyllabæ vocalis erit,* ποιῶ ἐποίουν, θρεπτιάω ἐθρέπτιαον. *Omne Græcorum imperfectum actiuum vel actiuo ſimile in* ν *litteram deſinit: ſed barytona in breuem ſyllabam finiuntur, id eſt in* ον *ſemper,* ἔτρεχον, ἔγραφον: *periſpomena vero*

vel

*vel a verbis in μι exeuntibus, longa terminantur, ἐκάλουν, ἐτίμων, ἐδίδουν, ἐτίθην. Deniq. ῥιπτῶ, quia modo acuto, modo circumflexo accentu pronūtiatur, & ἔρριπτον & ἐρρίπτουν facit. Κιῶ propter eandem cauſam & ἔκιον & ἐκίουν Et hoc etiam obſeruandum, vt aut imperfectum retineat numerum ſyllabarum quem præſens habet, aut creſcat vna. Manet æqualitas in illis quorum præſens a vocali cœpit: incrementum patiuntur quorū præſens a conſonante inchoat: ἄγω ἦγον, λέγω ἔλεγον. Nec ſine ratione. Nam quæ ſyllaba non creſcunt, adiectione temporis creſcunt, dum incipientem vocalem de breui longam faciunt, vt ἄγω, α breuis mutata eſt in η longum, ἦγον. Sæpe tamen licentia poëtica incremēto carent. Nonnunquam prima ipſa vocalis, ſi breuis eſt, immobilis manet, ſed vocalem alterā recipit, vt iunctæ longam faciant ſyllabam: ἔχω εἶχον, ἕλκω, εἷλκον, ἕρπω εἷρπον. Aliquotiens nec mutata, nec altera recepta, quæ fuit ipſa producitur, ἱδρύω ἵδρυον, ὑδρεύω ὕδρευον. hic enim ι & υ in præſenti correpta, in imperfecto vero longa pronuntiantur. ὑοθετῶ autem manet vt fuit, ὑοθέτουν, quia non potuit habere quo creſceret. in præſenti enim lōga fuit diphthōgi priuilegio. Licet in diphthongis maxime cōmunibus permutatio ſit recepta in diphthongos longiores. Vt αι & οι quia communes ſunt, & nonnunquam pro breuibus habeantur, in η aut in ω mutantur. αἰνῶ ᾔνουν, οἰκῶ ᾤκουν. Nec me præterit etiam αυ diphthongū, quæ nunquam pro cōmuni habita eſt, ſolere mutari, αὐδῶ ηὔδουν, αὐχῶ ηὔχουν: licet ου & ει immutabiles maneāt, οὐρῶ οὔρουν οὐτάζω οὔταζον, εἰκονίζω εἰκόνιζον, εἰκάζω εἴκαζον. τὸ γὰρ ἤκαζον ἀττικόν ἐστι. Multo conſtantius manent, quod incrementū perfectio tanta nō recipit, ὠνοῦμαι ὠνούμην, ἠχῶ ἤχουν. excipiūtur ἑορτάζω & ὀψείω. Cū enim apud Græcos omnia imperfecta nunquā medias, ſed tantū vltimam vel primam moueant, illorū alterum ſolam mediā mouit, ἑώρταζον, cum ἡόρταζον facere debuiſſet: alterū & primam & mediam, ὀψείω ὤψιον.*

ὁρῶ



*ὁρῶ enim & ἑώρων non ſunt contra regulam; quia ὁρῶ cum ὥρων facere debuit, ex abundanti principio ε addita eſt, & fecit pro ὥρων ἑώρων: vt οἰνοχόω ᾠνοχόουν, & tamen dicitur ἐῳνοχόουν: & pro ἦν ἔην dicunt. Non ſolum in verbis hæc ſuperuacua adiectio, ſed etiam in nominibus vſurpata eſt, ἕδνα ἔεδνα, & ſimilia. ἀναβαίνω & ἐπέχω non primam ſed ſecundam ſyllabam mutauerunt, quia prima non verbi ſed præpoſitionis eſt. Verba enim ſunt βαίνω, ἔχω, & faciunt ἔβαινον, εἶχον: inde ἀνέβαινον, ἐπεῖχον. ἀναισχυντῶ mutat primā, ἠναισχύντουν, quia ex nomine cōpoſitū eſt, id eſt ῥῆμα ὀνοματικόν: ἀναίσχυντος, ἀναισχυντῶ. Verba autem ex compoſitis nominibus paraſyntheta vocantur, & a prima ſyllaba declinātur, vt φίλιππος, φιλιππίζω, ἐφιλίππιζον Licet non ignorem, quod σύμμαχος & συνήγορος compoſita ſint nomina, & ex ſe faciant verba paraſyntheta, συμμαχῶ, συνηγορῶ: quæ tamen non foris, ſed intus declinantur, συμμαχῶ συνεμάχουν, συνηγορῶ συνηγόρουν. Sed hoc ideo, quia præpoſitio hic habet ſignificationem ſuam. Cæterum vbi nullus ex præpoſitione ſenſus accedit, foris declinatur imperfectum, id eſt, adiicitur illi vocalis, tanquam præſens tempus incipiat a conſonanti, καθίζω ἐκάθιζον, καθεύδω ἐκάθευδον. hoc eſt ἵζω quod καθίζω, hoc εὕδω quod καθεύδω, quia præpoſitio nihil ſignificat. vbi vero additur ex præpoſitione ſenſus, tunc in declinatione imperfecti quærimus, vnde incipiat verbum ipſum ſine præpoſitione: & ſi verbū a vocali incipit, quamuis præpoſitio habeat conſonantē verbi, tamē vocalem ex breui mutamus in longā: vt συνάγω συνῆγον, quia aliud eſt ἄγω, aliud συνάγω. Item ſi præpoſitio quæ ſenſum confert, incipiat a vocali, incipiente verbo a conſonante, imperfectum manente eadem nec mutata præpoſitionis vocali aliam addit conſonanti verbi vocalem, vt eſt ἐπιχαίρω, ἐπέχαιρον, quia aliud eſt ἐπιχαίρω, aliud χαίρω. Sane hoc obſeruatur, vt vocalis quæ additur conſonanti, breuis ſit, quia non poteſt*

vltra

vltra vnum tempus excreſcere: λέγω ἔλεγον, λέγομαι ἐλεγόμην. vnde βούλομαι & δύναμαι ſecundum communem regulam ex ſe faciunt ἐβουλόμην, ἐδυνάμην. ſed quod ſæpe legimus ἠβουλόμην, ἠδυνάμην, Attica licentia eſt. Vltima quoque ſyllaba imperfecti nonnihil diuerſitatis habet, vt in periſpomenis prima & tertia in ουν mittunt, ἐποίουν, ἐχρύσουν: ſecunda in ων, ἐβόων: quæ fiunt in paſſiuo vel paſſiuis ſimilibus, ἐποιούμην, ἐχρυσούμην, ἐβοώμην. Apud Græcos ſolus diffinitiuus modus præſens ab imperfecto diſiungit, cæteri omnes modi iungunt, vt φιλῶ, ἐφίλουν. At in imperatiuo φίλει, præſens & imperfectum confunditur: ſimiliter in coniunctiuo ἐὰν φιλῶ, & in optatiuo εἰ φιλοῖμι, & in, infinitiuo φιλεῖν, vtrumque ſimul tempus appellant.

## De tempore perfecto.

PERFECTVM tempus apud Græcos non a præſenti, ſed a futuro figuratur: nec ſine ratione. omne enim quod factum eſt, prius faciendum fuit. In Græcis omne perfectum aut ſyllaba aut vno tempore maius prima poſitione ſui profertur, vt λέλυκα, ὤπληκα. Nec moueat quod πεποίηκα vel πεφίληκα, & ſimilia, non vna, ſed duabus ſyllabis primam verbi vincunt poſitionem. Diximus enim primam perfecti poſitionem non eſſe præſens, ſed futurum, quod vna, non duabus ſyllabis, ſuperant: vt ποιήσω πεποίηκα, φιλήσω πεφίληκα. Hoc etiam argumento probatur. nam cum nunquam perfectum tempus a prima poſitione ſui & ſyllaba creſcat & tempore, ſed tantum altero; reſtat vt ὤπληκα, ἠγάπηκα, ſi a præſentibus facta ſunt ὁπλῶ, ἀγαπῶ, & ſyllaba maiora inueniantur & tempore: quod fieri per regulam non poteſt. a futuro igitur veniunt, ὁπλήσω, ὤπληκα, & ἀγαπήσω, ἠγάπηκα, prima vocalis correptæ productione facta. Item cum nunquam perfectum a conſonanti incipiens par origini ſuæ ſit numero ſyllabarum, aduerſabitur regulæ omne



omne perfectum τῶν εἰς μι, quia parem præſentis ſyllabarum numerum tenet, δίδωμι δέδωκα, τίθημι τέθεικα. Sed non ita eſt. δώσω enim δέδωκα fecit, & θήσω τέθεικα, & creuit ſyllaba. Nunquam apud Græcos perfectum minus præſenti vel futuro inuenitur. Item cum præſens a vocali incipit, omnimodo in præterito mouetur in longam. Nunquam apud Græcos præteritum perfectum in duabus ſyllabis inuenitur, ſed eſt interdum ſex ſyllabarum, vt πεπολεμάρχηκα, eſt quinque πεπολέμηκα, eſt quatuor πεποίηκα, eſt trium λέλυκα. Nec vnquam inuenies triſyllabo minus. Neceſſe eſt enim vt prima ſyllaba declinationis ſit, vt λε: ſecunda originis, vt λυ: tertia finalis, vt κα. Quidquid igitur plus fuerit, ad mediam ſyllabam, quæ quidem originis eſt, refertur: declinatio vero & finis ſingulas poſſident, vt eſt πεφίληκα, πε declinationis, φιλη originis, κα finis. Ergo παρακείμενος, id eſt perfectum minus triſyllabo non inuenitur, excepto οἶδα, quod biſſyllabum eſt & παρακείμενος. Nec mirum, cum hoc verbum in multis regulæ reſiſtat. Nullum namque perfectum, hoc excepto, ab οι diphthongo inchoare reperies. Item cum prima verbi poſitio ει diphthongo inchoat, in nullo tempore mutatur. Huius verbi origo, id eſt εἴδω, mutauit ει in οι. Quotiens perfectum a longa oritur, neceſſe eſt pluſquam perfectum ab eadem ſemper incipere: quod hoc verbum neglegit. nam pluſquam perfectum εἴδειν eſt, cum perfectum οἶδα ſit. Deinde omne participium in ως deſinens ſolam vltimam ſyllabam in α mutando idem tempus efficit, γεγραφηκὼς γεγράφηκα, λελυκὼς λέλυκα· εἰδὼς autem non facit εἶδα, ſed οἶδα. Solus igitur iſte παρακείμενος vitiis obſeſſus non nocebit. Omne verbum Græcum ſi in præſenti a ſimplici (excepto γ) incipit conſonante, primam in tempore perfecto ſyllabam geminat, γράφω γέγραφα, λέγω λέλεχα. Nec talis geminatio præpoſitionis adiectu impeditur, προκομίζω προκεκόμικα, συγγράφω συγγέγραφα. Omne perfectum


ctum

*ctum tempus in periſpomenis, vel ſolum primum in barytonis, deſinit aut in* κα, *aut in* φα, *aut in* χα, τετήρηκα, γέγραφα, πέπληχα. *adeo vt omne pene verbum ſimilium declinationem ſequatur:* τηρῶ τηρεῖς, χωρῶ χωρεῖς, τετήρηκα, κεχώρηκα· γράφω γράφεις, τρέφω τρέφεις, γέγραφα, τέτραφα· πλήττω πλήττεις, τάττω τάττεις, πέπληχα, τέταχα. *Nec te moueat, quod ſi Græcum verbum incipiat ab vna de his litteris quas* δασέα σύμφωνα *vocant, cum ad geminationem venitur, non* δασὺ *iteratur, ſed* ἀντίστοιχον *eius,* θαῤῥῶ τεθάῤῥηκα, φονδύω πεφόνδυκα, χείω κέχεικα. *In Latinis vero eadem littera geminatur,* fallo, fefelli. *f enim apud Latinos* δασὺ *non eſt, quia nec habent conſonantes* δασείας, *& f digammon eſt* Αἰολέων: *quod illi ſolent magis contra vim aſpirationis adhibere, tantum abeſt vt pro* φ *habendum ſit. Ipſum autem* φ *adeo Latinitas non recipit, vt pro ea etiam in Græcis nominibus* p *&* h *vtatur, vt* Philippus, Phædon. Frigeo, frixit *facit a ſecunda coniugatione:* frigo *vero,* frixi, *a tertia: vnde* frixum, frixorium, *id eſt calefactorium. Similiter* aceo, aces, acui, *vnde inchoatiuum* aceſco; *&* acuo, acuis, acuit. fero, tuli, *&* tollo, tuli; ſuſtulo ſuſtuli; adtulo, adtuli. *Accius vero in Andromeda etiam ex eo quod eſt* tulo, *quaſi a themate,* tuli *declinat:* niſi quod tua facultas nobis tulat operam. Vertor *&* verror, verſus ſum. Patior *&* pandor, paſſus ſum, *non* panſus. *Vergilius,* paſſis crinibus. Explico, explicui, *quia* plico, plicui: *ſed Cicero pro Tullio* explicauit *ait.*

## De pluſquam perfecto.

IN *Græcis verbis quæ in* ω *exeunt, omne perfectum tempus mutat in fine* α *in* ειν, *& facit pluſquam perfectum, quod illi* ὑπερσυντελικὸν *vocant. In capite vero ſi perfectum a vocali incipit, ab eadem vocali & pluſquam perfectum incipiat neceſſe eſt,* ἔφθαρκα ἐφθάρκειν, εἴρηκα εἰρήκειν: *ſi vero initium perfecti conſonans fuerit, tunc* ὑπερσυντελικὸς *ab adiecta ſibi vocali incipit,* πεποίηκα ἐπεποιήκειν, γέγραφα ἐγεγράφειν. *nec immerito. Bina enim tempora, vt & ſupra diximus, naturalis quædam cognatio copulauit: cum præſenti imperfectum, cum perfecto pluſquam perfectum, cum aoriſto Græcorum futurum. Ideo apud illos ſicut incipiente præſente a vocali, imperfectum ſimiliter a vocali incipit; ſi vero præſens a conſonante cœpit, additur imperfecto vocalis,* φθείρω, ἔφθειρα: *ita & pluſquam perfectum ſimili obſeruatione de initio perfecti cognati ſibi leges aſſumit, excepto eo quod breuem quam in principio perfecti reperit, non mutat in longam, ſicut mutat imperfectum de capite præſentis acceptam,* ἄγω ἦγον. *Poſt pluſquam perfectũ conſequens erat vt de infinito tempore, id eſt* περὶ ἀορίστου, *tractaremus, ſed ideo prætermittimus, quia eo Latinitas caret.*



## De futuro.

TRES *ſunt omnino ſyllabæ quæ in Græcis verbis futuro tempori terminum faciunt. Aut enim in* σω *exit, aut in* ξω, *aut in* ψω, λαλήσω, πράξω, γράψω, *niſi quod quinta barytonωn ante* ω *liquidam ſuam retinet. Item Græca verba, ſi periſpomena ſint, cuiuſcumque coniugationis, vltra numerum ſyllabarum præſentis augent vna ſyllaba futurum,* ποιῶ ποιήσω, τιμῶ τιμήσω, δηλῶ δηλώσω. *Barytona in quacunque coniugatione eundem numerum ſeruant,* λέγω λέξω, ἄγω ἄξω, ἐγείρω ἐγερῶ, λωτοχοΐω λωτοχοΐσω *In Græcis Latiniſque verbis penultima præſentis manet in futuro,* ἀγαπῶ, ἀγαπήσω, γα *manſit;* θεραπεύω, θεραπεύσω, πε *manſit;* cogito, cogitabo, gi *manſit. Si verbum barytonon ſit habens in præſenti* μετάβολον *ante* ω, *id eſt liquidam conſonantem, tunc penultima quæ in præſenti longa fuit, fit breuis in futuro,* πλύνω πλυνῶ, κραίνω κρανῶ, ἐγείρω ἐγερῶ.

 *Diximus*

*Diximus periſpomena augere vna ſyllaba futurum, quia creſcit vltima, φιλῶ φιλήσω, νικῶ νικήσω, στεφανῶ στεφανώσω, ſed non ſemper ſub eadem præcedentis litteræ obſeruatione ſuccedit adiectio. Nam in prima coniugatione aut η, aut ε, ante ω reperitur, πωλῶ πωλήσω, φορῶ φορέσω. Et apud illos quotiens in futuro ε ante ω ponitur, breuem eſſe præſentis penultimam obſeruatum eſt. Nec tamen reciproca eſt neceſſitas, vt quotiens breuis eſt penultima præſentis, ε ante ω ſit in futuro: ecce enim νοῶ νοήσω, φιλῶ φιλήσω. Secunda coniugatio aut η ante ω in futuro habet, vt ὀπτῶ ὀπτήσω: aut α productum, vt περάσω: aut α correptum, vt γελάσω. Depreheňſumque eſt eorum futurorum α in penultima produci, quorum præſens aut nullam conſonantem ante ω, aut ρ habet, ἐῶ ἐάσω, περῶ περάσω, contrarium non redeunte neceſſitate: ſiquidem χρῶ χρήσω facit, ἐγγυῶ ἐγγυήσω. Illic vero corripi, vbi in præſenti ante ω, λ inuenitur. γελῶ γελάσω: ſed nec in hoc hæc in ſe neceſſitas redit, κολλῶ κολλήσω. πνάσω autem & διψάσω Dorica ſunt per ſolã litteram, non etiam per accentum. Illi enim in omni futuro in ω deſinente vltimam circumflectunt. Tertia aut ω in pænultima futuri habet, aut ο: ſed hic certa diſtinctio eſt. Nam verba quæ deriuatiua ſunt, ω habent; quæ vero principalia, nec ex alio tracta, ο: τέκνον, τεκνῶ, τεκνώσω· στέφανος, στεφανῶ, στεφανώσω· ὀμῶ autem, ὀμοῖς, quia non deriuatum eſt, ὀμόσω facit, & ἀρῶ ἀροῖς, ἀρόσω. Apud Græcos non facile prima ſyllaba præſentis mutatur in futuro, quod præmiſſis patebit regulis. Futurum apud illos altero e duobus locis mouetur, aut vltimo, aut pænultimo. Vltimus duobus modis mouetur, aut litteris, aut accentu: litteris, vt γράφω γράψω, νύσσω νύξω: accentu, vt νέμω νεμῶ, δέρω δερῶ. Et cum mouetur vltimus, non omnimodo mouet pænultimum: motus autem pænultimæ omnimodo vltimam mouet, ἀγείρω ἀγερῶ, μιαίνω μιανῶ. his enim & de pænultima ſubtracta eſt littera, & in vltimam cecidit*



*cecidit accentus. necnon & πνίγω πνίξω, ἐρύκω ἐρύξω, mutata eſt & finalis in littera, & quæ antecedit in tempore. ſiquidem ι & υ verborum ſupra dictorum in præſenti quidem producuntur, corripiuntur autem in futuro. Si ergo neceſſe eſt vt in barytonis verbis quæ habent in præſenti ante ω liquidam conſonantem, in futuro pænultima ex longa breuis fiat, vt ἀγείρω ἀγερῶ, μιαίνω μιανῶ: ſequitur vt cum huiuſmodi verba biſſyllaba reperiuntur, in quibus ſyllaba quæ incipit ipſa eſt vtiq. in pænultima, tunc mutetur non quaſi prima, ſed quaſi pænultima, κείρω κερῶ, σπείρω σπερῶ. Ita fit vt apud Græcos mutari nonnunquam futuri ſyllaba prima dicatur. Item τρέφω primam litteram permutantes θρέψω faciunt, & ἔχω ψιλὸν, ἕξω δασὺ pronuntiant: ſed θρέψω quidem vt diceretur, Ἴωνες obtinuerunt, quibus libido eſt aſpirationem modo addere, modo demere: addere, vt τρέφω, θρέψω, & τρέχω, θρέξω: demere, cum θρὶξ τριχὸς faciunt. Eχω autem & ἕξω circa aſpirationem certa ratione diſſentiunt, quia cum fas eſſet vtrique aſpirationem dari, vt ἕλκω ἕλξω, hanc τῷ ἔχω aſsignari neceſſitas illa non paſſa eſt; quia fieri non poteſt vt vlla vocalis præpoſita χ litteræ aſpirationem habeat. Denique υ quia nunquam ſine aſpiratione incipit, nunquam χ litteræ præponitur, ne alterius natura violetur, aut τοῦ υ, ſi incipiat ſine aſpiratione; aut τοῦ χ, ſi qua vocalem cum aſpiratione ſuſtineat. Futurum ergo ἕξω, ſubducta aſpiratione neceſſitate χ litteræ, ſpiritum vehementiorem aut recipit aut tenuit. In nonnullis vero verbis in μι exeuntibus fit primæ ſyllabæ non permutatio, ſed amiſſio, vt τίθημι θήσω, δίδωμι δώσω, κίχρημι χρήσω.*

## De præſenti tempore paſſiuo.

O*MNE præſens tempus apud Græcos in ω deſinens modi indicatiui, generis actiui, verbi periſpomeni, ſi ſecundæ coniugationis ſit, adhibet fini ſuo μαι ſyllabam, & facit*

facit de ſe paſſiuum; βοῶ βοῶμαι, τιμῶ τιμῶμαι. Si vero ſit prima vel tertia, ω in ου mutato & accepta ſimiliter μαι paſſiuum creat; φιλῶ φιλοῦμαι, χρυσῶ χρυσοῦμαι. Permutationem autem ω in ου de circumflexo accentu naſci, indicium eſt futurum linguæ Doricæ, quod hanc permutationem cum in alterum genus tranſit, ſibi vindicat; ποιήσω ποιησοῦμαι, λεξῶ λεξοῦμαι. At in barytonis omnibus ω in ο mutato & adiecta μαι paſſiuum figuratur, λέγω λέγομαι, τύπτω τύπτομαι, ἡνιοχεύω ἡνιοχεύομαι. Ita ergo breuiter diffiniteque dicendum eſt: Omne præſens paſſiuum habet in penultima aut ω, aut ου, aut ο: τιμῶμαι, φιλοῦμαι, γράφομαι. Quæ aliter habuerint, ex illis verbis ſunt, quorum prima poſitio in μι exit, quæ ſemper paſſiui penultimam breuem faciunt, vt τίθεμαι, ἵσαμαι, δίδομαι. Item ex ſecunda vel tertia coniugatione eadem eſt ſecunda perſona paſſiui quæ actiui tertia, νικᾷ ἐκεῖνος, νικᾷ σύ· στεφανοῖ ἐκεῖνος, στεφανοῖ σύ. Item præſens quod in μαι deſinit, ſeu periſpomenon, ſeu barytonon, & cuiuſcunque coniugationis ſit, præter illa quorum prima poſitio in μι exit, ſecundam perſonam vna ſyllaba minorem profert, λαλοῦμαι λαλῇ, τιμῶμαι τιμᾷ, στεφανοῦμαι στεφανοῖ, λέγομαι λέγῃ, θεραπεύομαι θεραπεύῃ.

## De tempore minus quam perfecto paſſiuo.

MINVS quam perfectum paſſiuum apud Græcos duobus naſcitur modis. Aut enim omne præſens tempus paſſiuum mutata in fine αι diphthongo in ην, cum adiectione temporis creſcentis in capite, facit ex ſe minus quam perfectum, ἄγομαι ἠγόμην, γράφομαι ἐγραφόμην: aut minus quam perfectum actiuum ante vltimam litteram ſuam inſerit μη, & facit ex ſe paſſiuum, ἐποίειν ἐποιούμην, ἔγραφον ἐγραφόμην. Apud Græcos minus perfecto paſſiuum minorem ſyllabam in verbis omnibus profert ſecundam perſonam



ſonans, præter illa quæ in μι exeunt: ἐποιούμην ἐποιοῦ, ἐτιμώμην ἐτιμῶ, ἐδηλούμην ἐδηλοῦ, ἐλεγόμην ἐλέγου.

## De perfecto pluſquamperfecto paſſiuis.

PERFECTVM actiuum quod in κα deſinit, ſi habuerit penultimam natura longam, transfert finalem ſyllabam in μαι, & facit de ſe paſſiuum: νενόηκα νενόημαι, τετίμηκα τετίμημαι, κεχρύσωκα κεχρύσωμαι. Si vero penultima breuis ſit, σῖγμα ſuper addit vltimæ. Oportet enim penultimam in hoc tēpore aut natura aut poſitione longam fieri, τετέλεκα τετέλεσμαι, γεγέλακα γεγέλασμαι, ἤροκα ἤροσμαι. Denique & in ſexta verbi barytoni, quia interdum in illa παρακείμενος habet penultimam longam, interdum breuem: vbi longa eſt, tantum mutat κα in μαι: vbi vero breuis eſt, addit & σῖγμα: θεραπεύω, τεθεράπευκα, τεθεράπευμαι· σβεννύω, ἔσβεκα, ἔσβεσμαι· ξύω, ἔξυκα, ἔξυσμαι. λέλυκα autem λέλυμαι, & τέθυκα τέθυμαι, non carent vitio: quia cum breuis υ, σ non recipit. Sane in barytonis tertia coniugatio & cum penultimam longam habeat, tamen adhibet σῖγμα, πέπεικα πέπεισμαι. Quæ in φα deſinunt, vel quæ ante α habent γ, κ, hæc διὰ δύο μῦ in paſſiuo pronuntiantur; τέτυφα, τέτυμμαι. Quæ vero in χα, tranſeunt in γμαι; νένυχα νένυγμαι, πέπληχα πέπληγμαι. Cum ante vltimam ſyllabam aut ρ, aut λ reperitur, κα tranſit in μαι, ἔψαλκα ἔψαλμαι, κέκαρκα κέκαρμαι. Idem ſeruant & verba quæ in prima poſitione ν habent in vltima ſyllaba, κρίνω, κέκρικα, κέκριμαι πλύνω, πέπλυκα, πέπλυμαι. Ὑπερσυντελικὸς paſſiui generis de paracimeno ſuo naſcitur. ille enim incipiens a vocali in ην terminum mutat, & hunc efficit, ἔφθαρμαι ἐφθάρμην, ἤλημαι ἠλήμην: aut ſi ille cœpit a conſonanti, hic præter finis mutationem quam diximus, etiam vocalem principio ſuo adhibet, πεποίημαι ἐπεποιήμην, λέλεγμαι ἐλελέγμην.

## De futuro paſſiuo.

PÆNVLTIMA *ſyllaba apud Græcos futuri actiui, quarta fit a fine paſſiui, νοήσω νοηθήσομαι, θρεπτεύσω θρεπτευθήσομαι, ἐλάσω ἐλαθήσομαι. Secunda perſona minor ſyllaba fit quam prima, λαληθήσομαι λαληθήσῃ, τιμηθήσομαι τιμηθήσῃ. Illa vero ſpecies propria Græcorum eſt, quod habet in genere paſſiuo futurum quod rem ſignificat non multo poſt ſed mox futuram, vt πεποιήσομαι, γεγράψομαι. Hoc autem tempus ex perfecto eiuſdem generis naſcitur. Inſertis enim ſecundæ perſonæ perfecti duabus litteris ο καὶ μ, futurum paulo poſt, quod Atticum vocatur, efficitur; πεποίησαι πεποιήσομαι, γέγραψαι γεγράψομαι. Nec ab re erat paulo poſt futurum ex paulo ante tranſacto tempore procreari. Inueniuntur huiuſmodi tempore figurata & ex verbis in ω exeuntibus, vt eſt δεδοικήσω, quod proprium Syracuſanorum eſt, & δεδώσω, vt apud Dracontem, ἀτὰρ καὶ δῶρα δεδώσομεν, quaſi* paulo poſt dabimus.

## De indicatiuo, qui & diffinitiuus.

INDICATIVVS *habet ſolutam de re quæ agitur pronuntiationem. Nam qui dicit ποιῶ, oſtendit fieri; qui autem dicit ποίει, vt fiat imperat; qui dicit εἰ ποιοῖμι, optat vt fiat; qui dicit ἐὰν ποιῶ, nec dum fieri demonſtrat; cum dicit ποιεῖν, nulla diffinitio eſt. Solus igitur diffinitus perfecta rei diffinitione continetur. Vnde Græci ὁριστικὴν ἔγκλισιν, Latini modum diffinitiuum vocitauerunt. Deniq. omnia tempora in hoc ſolo modo diſiuncta & libera proferuntur. Dicunt enim ἐνεστῶτος ποιῶ, παρατατικοῦ ἐποίουν. At in imperatiuo iunguntur hæc tempora, ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, ποίει. item in coniunctiuo ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, ἐὰν ποιῶ. & in optatiuo ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, εἰ ποιοῖμι. in infinito ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, ποιεῖν. Similiter indicatiuus* 



*catiuus παρῳχημένου facit πεποίηκα, & ὑπερσυντελικοῦ ἐπεποιήκειν. Imperatiuus vero παρῳχημένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ facit πεποίηκε, πεποιηκέτω. Et coniunctiuus παρῳχημένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ, ἐὰν πεποιήκω. Optatiuus παρῳχημένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ, εἰ πεποιήκοιμι. Infinitus πεποιηκέναι. Rurſus indicatiuus vtitur temporibus ſeparatis, cum dicit ἀορίστου ἐποίησα, μέλλοντος ποιήσω: ſed imperatiuus facit ἀορίστου καὶ μέλλοντος, ποίησον. Coniunctiuus ἀορίστου καὶ μέλλοντος, ἐὰν ποιήσω. Optatiuus vero & infinitus hæc ſola tempora proferunt ſeparata, ποιήσαιμι καὶ ποιήσοιμι, & ille ποιῆσαι καὶ ποιήσειν. Optatiuus Græcorum nec minus quam perfectum nec perfectum tempus admiſit. Vtrique ergo modum integritate temporum liberum contractis & coartatis iure præponunt. Deriuatiua verba, id eſt quæ ex verbis aliis deriuantur, non niſi ex diffinitiuo originem ſortiuntur, vt eſt θρῶ principale, & ex eo deriuatiuum θραύω. Sic apud Latinos meditatiua, & inchoatiua, & frequentatiua verba ſunt ex diffinitiuo modo verborum principalium deriuata. Speciatim vero verba apud Græcos quæ in μι exeunt, ex diffiniτiuo tracta ſunt verbi in ω exeuntis, vt τιθῶ τίθημι, διδῶ δίδωμι, ἱστῶ ἵστημι. Item nomina ex verbis naſcentia, quæ illi ὀνόματα ῥηματικὰ vocant, de hoc ſolo modo ſub varia vel perſonarum vel temporum declinatione procedunt. Nam nomen γράμμα ex prima perſona, id eſt γέγραμμαι, natum, & nomen ψάλτης ex tertia perſona, quæ eſt ἔψαλται, profectum, litterarum quæ in vtroque ſunt ſimilitudo docet. Item τύμμα ἀπὸ παρῳχημένου τοῦ τέτυμμαι: ποίησις autem ἀπὸ μέλλοντος τοῦ ποιήσω compoſita ſunt. Omnia tamen hæc nomina ab indicatiuo veniunt. Denique Stoici hunc ſolum modum rectum veluti nominatiuum, & reliquos obliquos ſicut caſus nominum vocauerunt. Rationabiliter autem declinatio ſic ab actiuo inchoat, quod actus paſſionẽ præcedit. Bene etiam a prima, non alia perſona; quod prima de tertia ad ſecundam*

*dam loquitur. Apte quoque a ſingulari numero.* εἰ γὰρ πᾶς ἀριθμὸς ἐκ μονάδων σύγκειται, ἐκ μονάδος κατάρχεται. *Et ſi omnis multitudo conſtat ex ſingulis, recte eſt præmiſſa vnitas & ſecuta populoſitas. Iuſte etiam a præſenti. ex inſtanti enim tempore poſſunt reliqua cognoſci, non inſtans apparebit ex reliquis. Siquidem* ἀπὸ τοῦ λείβω, λείβεις, ποιεῖ ἀόριστον ἔλειψα, μέλλοντα λείψω: *item* ἀπὸ τοῦ λείπω *fit* ἀόριστος ἔλειψα, καὶ μέλλων λείψω. *Cum ergo dico vel* ἔλειψα *vel* λείψω, *quod eſſe velim huius præſens verbi tempus incertum eſt: cum autem dico* λείπω *aut* λείβω, *de reliquis eius temporibus nemo dubitat.* ἠρχόμην *imperfectum tempus eſt a præſenti* ἔρχομαι, *ſimiliter a præſenti* ἄρχομαι. *Cum ergo dico* ἠρχόμην, *incertum relinquo vtrum* veniebam *an* incipiebam *intelligi velim, & ideo* ἐνεστώς *eius in dubio eſt* ἔρχομαι *ſit an* ἄρχομαι: *cum vero dico* ἄρχομαι *aut* ἔρχομαι, *nihil de imperfecto dubitabitur. Coniugationum quoque diuerſitates in Græco Latinoque verbo præſens facit.* ποιεῖς, τιμᾷς, στεφανοῖς, *nõ niſi inſtantis ſecunda perſona diſcernit. Cæterum in* πεποίηκα *&* τετίμηκα, *in* ποιήσω *&* τιμήσω, *item in* ἐποίουν *&* ἐχρύσουν, *nulla diſcretio. Sed & in barytonis* τύπτω *primæ eſſe coniugationis faciunt* π καὶ τ, *quæ in præſentis prima perſona* ω *litteram antecedunt: quæ ſigna deſunt & in* τέτυφα, *& in* ἔτυψα, *& in* τύψω. λέγω *propter* γ *ſecunda eſt; quod ſignum habere deſinit in* λέλεχα, ἔλεξα, λέξω. *ſic in reliquis coniugationibus. Præſens tempus oſtendit & genera verborum. Nam actiuum aut neutrum Græcus intelligit, ſi in* ω *præſens deſinat: paſſiuum vel commune & his ſimilia, ſi in* μαι. *Declinandi autem verbi ſeries non niſi cum de modis tractatur, apparet. hinc modus apud Græcos* ἔγκλισις *nuncupatur, id eſt,* ἐν ᾧ ἡ κλίσις.

De



## De declinatione indicatiui.

OMNE *apud Græcos verbum indicatiuum in* ω *deſinens, ſeu barytonum, ſeu periſpomenum ſit ſeu præſentis, ſeu futuri, omnimodo in ſecunda perſona ſine diphthongum habeat neceſſe eſt, id eſt,* ἰῶτα *vel cum* ε, *vt* ποιεῖς, *vel cum* α, *vt* τιμᾷς, *vel cum* ο, *vt* δηλοῖς. *In omni autem futuro cum* ε, *vt* νοήσεις, βοήσεις, χρυσώσεις, λέξεις, τύψεις. *Item in omni Græco verbo cuius prima poſitio in* ω *deſinit, ſecunda perſona amiſſo* σῖγμα *tertiam facit. Omne verbum in* ω *deſinens, cuiuſcunque coniugationis & temporis,* ἰσοσυλλαβεῖ *in prima, ſecunda, & tertia perſona,* ποιῶ, ποιεῖς, ποιεῖ· ἐρῶ, ἐρᾷς, ἐρᾷ· ἀργυρῶ, ἀργυροῖς, ἀργυροῖ· λέγω, λέγεις, λέγει· λέξω, λέξεις, λέξει· νοήσω, νοήσεις, νοήσει. *In verbis in* ω *deſinentibus prima pluralis a prima ſingulari fit, operoſe tamen ac varie. In præſenti enim tempore* μεν *ſyllaba ſemper adiicitur, ſed modo nihil additur vel permutatur, vt in ſecunda* περισπωμένων, βοῶ, βοῶμεν, τιμῶ τιμῶμεν: *modo* ω *in* ου *diphthongum mutantes, vt in prima & tertia* περισπωμένων, νοῶ νοοῦμεν, φανερῶ φανεροῦμεν: *in reliquis autem, id eſt barytonis omnibus, vel etiam periſpomenon futuris,* ω *in* ο *transferentes,* λέγω λέγομεν, τρέχω τρέχομεν, θεραπεύω θεραπεύομεν, λαλήσω λαλήσομεν, ἐάσω ἐάσομεν, ἀργυρώσω ἀργυρώσομεν. *Secunda pluralis a tertia ſingulari naſcitur; primæ quidem & ſecundæ ſyzygiæ periſpomenon inſtanti* τε *addentes,* ποιεῖ ποιεῖτε, βοᾷ βοᾶτε: *in tertia vero vltimum* ἰῶτα *in* υ *mutantes, & idem* τε *addentes,* χρυσοῖ χρυσοῦτε: *at in omnibus barytonis & in* περισπωμένων *futuris ipſum* ἰῶτα *vltimum detrahentes, & eandem addentes ſyllabam* τε, πέμπει πέμπετε, τρέχει τρέχετε, ἀθλεύει ἀθλεύετε, ποιήσει ποιήσετε, ἀροτριάσει ἀροτριάσετε, ἱδρώσει ἱδρώσετε. *Tertiam quoq. perſonam pluralem eorundem verborum de prima eiuſdem numeri faciunt,* μεν *mutantes in* σι, *& quia*

pluralis

*pluralis tertia ſemper exigit pænultimam longam, ideo in præſentibus periſpomenis in quibus hoc euenit, ſolam facit mutationem ſyllabæ, vt diximus,* μεν *in* σι, φιλοῦμεν φιλοῦσι, τιμῶμεν τιμῶσι, στεφανοῦμεν στεφανοῦσι. *At in barytonis & in* περισπωμένων *futuris addit pænultimæ* υ, *vt longam ex breui faciat;* ἔχομεν ἔχουσι, πέμπομεν πέμπουσι, ἀλλήσομεν ἀλλήσουσι. ο *enim littera cum apud illos naturaliter corripitur, adiecta* υ *producitur, vt in nominibus* κόρη, κόρος, κούρη, κοῦρος, ὄλυμπος, οὔλυμπος: *eademque retracta corripitur,* βούλεται βόλεται, πιτράπους πίτραπος. *Omne ergo verbum Græcum quod in* σι *repereris terminari, tertia perſona pluralis eſſe pronuntia, excepto* ἐστὶ, *quod ſolum cum ſic deſinit, ſecunda eſt, cuius prima* ἐσμὶ, *& pluralis prima* ἐσμὲν. *Omnia autem verba in* μι *mutant* μι *in* σῖγμα, *& faciunt ſecundam perſonam,* φημὶ φῄς, τίθημι τίθης, *ſic debuerat* ἐσμὶ ἔσσ, *ſed quia nulla ſyllaba in geminum* σῖγμα *deſinit, additum eſt* ἰῶτα, ἐσσὶ, *& propter differentiam a ſecunda ſingulari, tertia pluralis quæ ſimiliter* ἐσσὶ *debuerat fieri, aſſumpſit* τ, ἐσσίτ. *Verba enim in* μι *terminata, tertiam pluralis in* σι *mittunt,* δίδωσι, ἵστησι. *Omne* παρατατικὸν *naturaliter in* ον *terminatur, & ſecundam perſonam* ν *in* σῖγμα *mutando &* ο *in* ε *transferendo figurat,* ἔλεγον ἔλεγες, ἔφρον ἔφρες. *Tertia de ſecunda vltimæ litteræ detractione procedit. Sed quod periſpomena in* ουν *vel in* ων *deſinunt,* ἐκάλουν, ἐχρύσουν, ἐτίμων, *duarum ſyllabarum in vnam contractio fecit. Nam integrum erat* ἐκάλεον, ἐχρύσοον, ἐτίμαον, *ex quo cum breues duæ contrahuntur, in vnam longam coaleſcunt. Ideo* ε *&* ο *in* ου *familiarem ſibi diphthongum conuenerunt,* ἐκάλεον ἐκάλουν, ἐχρύσοον ἐχρύσουν: α *vero &* ο *in* ω, ἐτίμαον ἐτίμων. *Ideo & ſecunda perſona* ω *in* α, *vnde fuerat natum, reducit,* ἐτίμων ἐτίμας. ου *autem diphthongum illic ſeruat, vbi reperit primam eius litteram familiarem primæ poſitioni fuiſſe,* χρυσοῖς, ἐχρύσουν ἐχρύσους: *ibi tranſiit in* ς, *vbi* ες

*prima*



*primæ poſitioni meminit contigiſſe,* κλεῖς, ἐκάλουν ἐκάλεις. *In omnibus vero his diuerſitatibus detractio finalis litteræ perſonam (vt diximus) tertiam facit,* ἐποίεις ἐποίει, ἐβόας ἐβόα, ἐκεραύνους ἐκεραύνου, ἔλεγες ἔλεγε, ἔφρες ἔφρε. *Ex hoc apparet quod in* ἔλεγον *&* ἔφρον ν *ſuperuacuum eſt, & integrum eſt* ἔλεγε, ἔφρε. *quod aſſerit & apoſtrophos, quæ facit* ἔλεγ', ἔφρ'. *quando enim hæc vſurparetur, ſi* ν *naturaliter adhæreret, cum duas litteras nunquam apoſtrophe liceat excludi? Indicio eſt imperatiuus, cuius ſecunda perſona præſentis ſemper de tertia imperfecti indicatiui naſcitur, amiſſa in capite vel ſyllaba, vel tempore:* ἐκάλει κάλει, ἐτίμα τίμα, ἐδήλου δήλου, ἦγε ἄγε. *Ergo ſi imperatiuus* λέγε, *ibi ſine dubio* ἔλεγε, *non* ἔλεγον. *Sed* ε *littera ſæpe ſibi* τὸ ν *familiariter adhibet. Teſtes huius rei* Αἰολεῖς, *apud quos* λεγόμεθα, φερόμεθα, *& ſimilia, finale* ἄλφα *in* ε *mutatur, & mox* ε *aduocat ſibi* τὸ ν, *& fit prima perſona* λεγόμεθεν, φερόμεθεν. *Contra ſi quando* ε *in* ἄλφα *mutatur,* ν *inde diſcedit, ſicut* Δωριεῖς τὸ πρόσθεν, πρόσθα *dicunt,* καὶ τὸ ἔνθεν, ἔνθα. *Sed &* Ἴωνες *cum* ᾔδειν ᾔδεα *faciunt, &* ἑστήκειν ἑστήκεα, ν *repudiant, ne cum* ἄλφα *iungatur. Ex his omnibus facile colligitur ſufficere tertiæ perſonæ de ſecunda faciendæ, ſi* σῖγμα *retrahatur. quod in capite Græci pronominis ſæpe contingit,* σέθεν ἕθεν, σοὶ οἷ. *Græci primam pluralem* παρατατικοῦ *faciunt interponentes* μι *ante* ν *finalem primæ ſingularis,* ἐνόουν ἐνοοῦμεν, ἑώρων ἑωρῶμεν, ἐφανέρουν ἐφανεροῦμεν, ἔλεγον ἐλέγομεν. *Et ſecunda illis pluralis efficitur addita* τε *tertiæ ſingulari,* ἐποίει ἐποιεῖτε, ἐτίμα ἐτιμᾶτε, ἵδρου ἱδροῦτε, ἔλεγε ἐλέγετε. *Ex quo iterum* ν *littera ſuperuacua probatur. Tertia vero pluralis in hoc tempore ſemper eadem eſt primæ ſingulari,* ἐγάμουν ἐγὼ, ἐγάμουν ἐκεῖνοι. *ſic* ἐτίμων, *ſic* ἐστεφάνουν, *ſic* ἔτρεχον. *Vnde* Δωριεῖς *in illis verbis quæ in* ον *mittunt parataticon, & propter* βραχυκαταληξίαν *tertiam a fine patiuntur accentum, tertiam numeri pluralis diſcretionis gratia* βαρυτονοῦσιν: ἔτρεχον ἐγὼ, τρέ-

τρε-

*παροξυτόνως, ἔβρεχον ἐκεῖνοι, βαρυτόνως. Prima perſona paraceimeni ſemper in α terminatur, & de hac cætera ſine operoſa circuitione naſcuntur. Accepto enim σίγμα facit ſecundam; & hoc rurſus abiecto, atque ἄλφα in ε mutato, tertiam creat, πεποίηκα, πεποίηκας, πεποίηκε. Primam quoque pluralem addita ſibi μεν ſyllaba facit, πεποίηκα, πεποιήκαμεν. Si pro μεν, τε acceperit, ſecunda pluralis eſt, πεποιήκατε: ſi σι, tertia, πεποιήκασι. Ὑπερσυντελικὸς de prima perſona facit tres ſingulares, tres vero plurales de tertia ſingulari, ἐπεποιήκειν, ν in σίγμα mutato fit ἐπεποιήκεις, ν abiecto fit ἐπεποιήκει: ipſum vero ἐπεποιήκει aſſumpta μεν facit ἐπεποιήκειμεν, aſſumpta τε ἐπεποιήκειτε: ſi σαν acceperit, pluralem tertiam ἐπεποιήκεισαν. Nam ἐπεποιήκεσαν correpta penultima Ἴωνες protulerunt. Ideo autem prætermiſimus diſputare de duali numero, & de tempore aoriſto, & de multiplici ratione temporum quia his omnibus carent Latini, id eſt, περὶ δ' ἀτέρων καὶ μέσων, ἢ παρακειμένων, ἢ ὑπερσυντελικῶν, ἢ μελλόντων. quibus latius gratia ſola diffunditur. De paſſiua igitur declinatione dicamus.*

## De paſſiua declinatione.

GRÆCI *actiuo inſtanti verborum in ω exeuntium addunt ſyllabam μαι, & fit paſſiuum. quæ ſyllaba omni verbo ſola ſociatur, ita vt ω prius vltimum, nunc pænultimum, aut maneat, vt in ſecunda periſpomenωn ὑποπτεύομαι: aut in ου diphthongum tranſeat, vt in prima & tertia ποιοῦμαι, στεφανοῦμαι: aut in ο corripiatur, vt in omnibus barytonis, πλέκομαι, ἄγομαι. Ergo nunquam paſſiuum Græcum inuenitur non ſuo actiuo maius. Verbum Græcum in μαι deſinens ſi in ſecunda perſona μ in σίγμα demutet, hoc aut eſt præſens τῶν εἰς μι, vt τίθημι, τίθεμαι, τίθεσαι· δίδωμι, δίδομαι, δίδοσαι· ἵστημι, ἵσταμαι, ἵστασαι: aut eſt τῶν εἰς ω temporis præteriti perfecti, πεφίλημαι πεφίλησαι, τετίμημαι τετίμησαι.*



*Et in his ſemper ἰσοσυλλαβεῖ primæ ſecunda perſona. alioquin reliqua omnia quæ in μαι deſinunt, ſiue præſentis ſeu futuri ſint, tam paſſiui generis quam communis, vnam ſecundæ perſonæ ſyllabam detrahunt; καλοῦμαι καλῇ, ὁρῶμαι ὁρᾷ, δηλοῦμαι δηλοῖ, βλέπομαι βλέπῃ, τιμηθήσομαι τιμηθήσῃ, λεχθήσομαι λεχθήσῃ, τιμήσομαι τιμήσῃ, λέξομαι λέξῃ. Et vt aduertas faciliori compendio quæ Græca verba paſſiua ſecundam perſonam minorem ſyllaba proferunt, accipe generalis regulæ repertam neceſſitatem. Omnis apud illos prima perſona paſſiua quæ actiuo ſuo ſyllaba maior eſt, hæc ſyllabam detrahit de ſecunda; quæ æqualis actiuo eſt, parem & in ſecunda tenet: φιλῶ, φιλοῦμαι, quia paſſiuum maius actiuo eſt, φιλῇ facit: ἕλκω, ἕλκομαι, ἕλκῃ· ἔλεγον, ἐλεγόμην, ἐλέγου· ἐβόων, ἐβοώμην, ἐβοῶ· ἀληθήσω, ἀληθηθήσομαι, ἀληθηθήσῃ. Contra εἴρηκα, εἴρημαι, quia par actiuo ſuo eſt, facit ſecundam ἰσοσύλλαβον primæ, εἴρησαι· εἰρήκειν, εἰρήμην, εἴρησο· λελάληκα, λελάλημαι, λελάλησαι· ἐλελαλήκειν, ἐλελαλήμην, ἐλελάλησο. In omni verbo cuiuſcunq. temporis prima perſona in μαι terminata, tranſlato μ in τ litteram, migrat in tertiam ſeruato numero ſyllabarũ. Sed pænultimam retinet in παρακειμένῳ quidem omne verbum, πεφίλημαι, πεφίληται: in præſenti vero ſola tertia συζυγία περισπωμένων, χρυσοῦμαι, χρυσοῦται. Cæterum prima transfert in ει diphthongum, quæ in prima verbi poſitione fuerat eius indicium, καλοῦμαι, καλεῖται, ὅτι καλῶ, καλεῖς: ſecunda in α propter eandem cauſam, τιμῶμαι, τιμᾶται, ὅτι τιμᾶς. nam & χρυσοῦται ideo retinuit ου, quia propinqua priori eſt. Vtraq. enim diphthongus οι & ου, per ο litteram componuntur. Futurum autem periſpomenωn, & in barytonis tam præſens quam futurũ, ο litteram quæ fuit pænultima primæ, per tertiam in ε transfert, vt naturalis breuis in natura breuem, φιληθήσομαι φιληθήσεται, λέγομαι λέγεται, λεχθήσομαι λεχθήσεται. Cuiuſcunque verbi paſſiui vel paſſiuo ſimilis prima perſona pluralis in quocunq.*

*tempore*

*tempore in θα ſyllabam deſinit,* νοούμεθα, ἐνοούμεθα, νενοήμεθα, ἐνενοήμεθα, νοηθησόμεθα. ἀόριστον *enim qui ſolus in* μεν *exit,* ἐνοήθημεν, *tranſeo, quia Latini ignorant. Per omnia tempora primam perſonam pluralem maiorem proferunt ſingulari,* ποιῶ ποιοῦμεν, ἐποίουν ἐποιοῦμεν, πεποίηκα πεποιήκαμεν, ἐπεποιήκειν ἐπεποιήκειμεν, ποιήσω ποιήσομεν*: ſic &* ποιοῦμαι ποιούμεθα, ἐποιούμην ἐποιούμεθα, πεποίημαι πεποιήμεθα, ἐπεποιήμην ἐπεποιήμεθα, ποιηθήσομαι ποιηθησόμεθα. *Sic & apud Latinos,* amo amamus, amabam amabamus, amaui amauimus, amaueram amaueramus, amabo amabimus: *ſic &* amor amamur, amabar amabamur, amabor amabimur. *In Græcis verbis ſecũda perſona pluralis actiua vnam vltimæ ſyllabæ ſuæ litteram* τ *mutat in* σ *&* θ, *& fit paſſiua,* ποιεῖτε ποιεῖσθε, γράφετε γράφεσθε. *quod non mireris in præteritis perfectis non euenire, cum* πεποιήκατε πεποιήκασθε *non faciat, ſed* πεποίησθε, *nec* λελύκατε λελύκασθε, *ſed* λέλυσθε, *nec* πεφράκατε πεφράκασθε, *ſed* πέφρασθε, *& ſimilia. Alia enim regula his temporibus obuiauit, cuius imperium eſt vt omnia verba quorum prima perſona in* θα *exit, ſecundam minorem ſyllaba proferant. Si ergo feciſſet* πεποιήκασθε, *par foret numerus ſyllabarum cum prima* πεποιήμεθα, *ſi* λελύκασθε, *cum* λελύμεθα, *ſi* πεφράκασθε, *cum* πεφράσμεθα. *ideo neceſſario ſyllaba media ſubtracta reſedit,* πεποίησθε, λέλυσθε, πέφρασθε. *Cæterum* ποιεῖτε ποιεῖσθε, λέγετε λέγεσθε, *priori regulæ obſequitur, quia non repugnat ſequenti.* ποιούμεθα *enim* ποιεῖσθε, λεγόμεθα λέγεσθε. *In verbis paſſiuis vel paſſiuo ſimilibus perſona ſecunda pluralis addito* ν *ante* τ *cum primæ perſonæ pænultima tertiam pluralem facit,* λέγεται λέγονται, ποιεῖται ποιοῦνται, πεποίηται, πεποίηνται, εἴρητο εἴρηντο, ἐλέγετο ἐλέγοντο, ἐὰν λέγηται, ἐὰν λέγωνται, εἰ λέγοιτο, εἰ λέγοιντο. *Vnde illa præterita perfecta quæ his litteris in medio contexta ſunt, vt in tertia perſona plurali* ν *non poſſit adiungi, aduocant*





*ſibi participia.* τέτιλται*; quia inter* λ *&* τ, ν *eſſe non potuit, cum nec finali eſſe poſt* λάμβδα, *nec incipere ante* ταῦ *fas erat, factum eſt* τετιλμένοι εἰσί. γέγραπται *ſimiliter, quia inter* π *&* τ *non admittebat* ν, γεγραμμένοι εἰσί, *ſic* τέτυπται, τετυμμένοι εἰσὶν, ἐσφράγισται, ἐσφραγισμένοι εἰσὶν, *& ſimilia. Omne Græcum verbum indicatiuum cuiuſcunque generis in prima ſui poſitione aut in* ω *exit, vt* λέγω, πλουτῶ*: aut in* μαι, *vt* λέγομαι, βούλομαι*: aut in* μι, *vt* φημὶ, τίθημι. *licet & in* α *eſſe credatur, quia* ἐγρήγορα *nonnulli auſi ſunt primum thema verbi pronuntiare. Apud Græcos* ω *non ſolum in verbis, ſed in omni parte orationis littera eſt naturaliter longa. Latinorum verborum finale* o *ſunt qui longum æſtiment, ſunt qui breue diffiniant.* Nam ſcribo ne, cædo ne, o *non minus conſenſu omnium productum habet, quam* amo ne, doceo ne, nutrio ne. *Ego tamen de re quæ auctores magni nominis dubitare fecit, certam quidem non auſim ferre ſententiam: aſſeuerauerim tamen Vergilium, cuius auctoritati omnis retro ætas & quæ ſequuta eſt vel ſequetur, libens ceſſerit,* o *finale in vno omnino verbo, aduerbio, nomine, vno pronomine corripuiſſe;* ſcio, modo, duo, ego:

— Scio me Danais e claſſibus vnum.
— Modo Iuppiter aſſit.
Si duo præterea. —
Non ego cum Danais. —

## De imperatiuo modo.

SEMPER *apud Græcos modi indicatiui temporis præſentis ſecunda perſona pluralis eadem eſt quæ & imperatiui.* ποιεῖτε *& indicatiuo ſecunda eſt & in imperatiuo.* τιμᾶτε, χρυσοῦτε, γράφετε, ποιεῖσθε, τιμᾶσθε, χρυσοῦσθε, λέγεσθε, γράφεσθε, *& ſimilia. Hac regula memoriæ mandata alteram ſubiiciemus, vt vna ex vtraque obſeruandæ ra-*

*tionis neceſſitas colligatur. Omne verbum quod in* μεν *deſinit, qualem pænultimam habuerit in prima perſona, talem tranſmittit ſecunda, id eſt tempus retinet vel productæ vel breuis ſyllabæ:* λαλοῦμεν λαλεῖτε, *quia in prima* ου *erat, & in ſecunda* ει *diphthongus æque longa ſucceſſit.* τιμῶμεν τιμᾶτε, μα *longa ſyllaba locum quem in* μω *habuerat, occupauit.* στεφανοῦμεν στεφανοῦτε, *eadem diphthongus perſeuerauit.* λέγομεν *quia* ο *littera breuis eſt,* λέγετε, ε *æque natura breuem recipit. At in coniunctiuo quia producit pænultimam,* ἐὰν λέγωμεν, *ideo & in ſecunda perſona,* ἐὰν λέγητε *produxit,* ε *in* η *mutando. Si igitur* φεύγωμεν *primam perſonam imperatiui eſſe dicemus, ſequitur vt quia in* μεν *exit* ω *præcedente, etiam ſecundæ perſonæ pænultimam ex neceſſitate producat. quod ſi eſt,* φεύγητε *faciet, quemadmodum* ἐὰν λέγωμεν, ἐὰν λέγητε. *ſed conſtitit eandem ſemper eſſe ſecundam perſonam imperatiui, quæ & indicatiui fuit:* φεύγετε *autem in indicatiuo fuit, non* φεύγητε. *Ex his colligitur neque aliam imperatiui ſecundam perſonam eſſe niſi* φεύγετε, *nec in declinatione* φεύγετε *ſecundam eſſe poſſe poſt* φεύγωμεν, *& ideo* φεύγωμεν *non poteſt imperatiui prima eſſe perſona. Manifeſtum eſt ergo imperatiuum nec ſingularem nec pluralem habere primam perſonam. Cum autem dicimus,* fugiamus, diſcamus, nutriamus, aremus, doceamus *& ſimilia, ad exhortatiuum ſenſum, non ad imperatiuum modum pertinere dicenda ſunt. Apud Græcos imperatiuus ſingularis actiuus temporis præſentis & præteriti imperfecti, in ſecunda ſcilicet perſona, aut in* ει, *aut in* α, *aut in* ου, *aut in* ε, *aut in* θι *terminatur. prima tria ad periſpomena pertinent,* νόει, τίμα, δήλου: *quartum ad barytona,* λέγε, χαῖρε: *quintum ad verba* τὰ εἰς μι, *vt* ἵσταθι, ὄμνυθι, φάθι. *Sed & illa ſimilem habent terminum, quorum infinitiuus in* ναι *exit, etſi non ſint* τῶν εἰς μι, βλῶναι βλῆθι, νυγλῶναι νύγηθι, δαμλῶναι δάμηθι. *excepta ſunt* ἴσθι, δῦναι, [illegible]. *Cæterum* νενοηκέναι *vel*





*vel huic ſimilia, vt magis* νενόηκε νενοηκέτω *quam* νενόηθι *faciat, multiplex ratio cogit: de qua vnum pro exemplo argumentum ponere non pigebit. Quæ in* θι *exeunt ab infinitis in* ναι *deſinentibus, neceſſe eſt vt ſint infinitis ſuis* ἰσοσύλλαβα, νύγηθι νυγλῶναι, δάμηθι δαμλῶναι, βῆθι βλῶναι. πεποίηθι *autē* πεποιηκέναι *æqualitate iam caruit; inde non receptum eſt* πεποίηθι, *ſed* πεποίηκε. *Similiter apud Latinos imperatiuus naſcitur ab infinito abiecta vltima,* cantare canta, monere mone, legere lege, ambire ambi, ferre fer, eſſe es, *&* ades, *&* prodes. *Lucilius,* Prodes amicis. *Vergilius,* Huc ades o Lenæe. *Terentius,* Bono animo es. Facere face, dicere dice, *& per ſyncopam* fac, dic. *Græci ſecundæ perſonæ addita* τω *ſyllaba tertiam eiuſdē præſentis efficiunt,* ποιεῖ ποιείτω, τιμᾶ τιμάτω, χρυσοῦ χρυσούτω, λέγε λεγέτω. *Quod ſi ſecunda in* θι *deſiit, ipſam mutat in* τω; βῆθι βήτω. τε *vero ſyllabam adiicientes præſenti ſingulari imperatiuo pluralem faciunt,* ποιεῖ ποιεῖτε, βοᾶ βοᾶτε, δηλοῦ δηλοῦτε, τύπτε τύπτετε. *Tertiam pluralem faciunt addendo* σαν *tertiæ ſingulari,* ποιείτω ποιείτωσαν. *Hanc declinationem quæ decurſa eſt, Græci duobus ſimul temporibus aſſignant, inſtanti & præterito imperfecto. Et re vera ſi preſſius quæras, magis de imperfecto quam de inſtanti tantum apud illos imperatiuum videbis. Tertia enim imperfecti indicatiui perſona capite deminuta, vel in ſyllaba, vel in ſyllabæ tempore, facit imperatiui ſecundam,* ἐλάλει λάλει, ἐβόα βόα, ἐστεφάνου στεφάνου, ἔλεγε λέγε, ἦγε ἄγε, εἷλκε ἕλκε. *ita & in paſſiuis,* ἐνοῦ νοῦ, ἐτιμῶ τιμῶ, ἐχρυσοῦ χρυσοῦ, ἐτύπτου τύπτου, ἤγου ἄγου, εἵλκου ἕλκου. *Latini non æſtimauerunt vllum præteritum imperatiuo dandum, quia imperatur quid, vt aut nunc, aut in poſterum fiat. ideo præſenti & futuro in modi huius declinatione contenti ſunt. Sed Græci introſpecta ſollertius iubendi natura, animaduerterunt poſſe comprehendi præcepto tempus elapſum, vt eſt* ἡ θύρα κεκλείσθω,

bina coniungunt. Proprium Latinorum eſt, vt modo indicatiua pro coniunctiuis, modo coniunctiua pro indicatiuis ponant. Cicero de Legibus tertio, Qui poterit ſocios tueri. Idem Cicero in primo de Republ. Libenter tibi Læli, vti eum deſideras, equidem conceſſero.

## De optatiuo modo.

De hoc modo quæſtio Græca præceßit, ſi præteritum tempus poßit admittere, cum vota pro rebus aut præſentibus aut futuris ſoleant accitari, nec in ſpecie poßint tranſacta reuocari; pronuntiatumque eſt præteritum quoque tempus optanti neceſſarium, quia ſæpe in longinquis quid euenerit neſcientes, optamus eueniſſe quod nobis commodet. Qui enim Olympiacæ palmæ deſiderium habuit, domi reſidens ipſe, certatum equos ſuos cum aurigante filio miſit, tranſacto iam die qui certamini ſtatus eſt, exitum adhuc neſciens, & deſiderium votis adiuuans, quid aliud dicere exiſtimandus eſt, quam εἴθε ὁ υἱός μου νενικήκοι. Hæc & quæſtio & abſolutio cum Latinitate communis eſt, quia in cauſa pari hæc vox eſſe deberet optantis, vtinam filius meus vicerit. Sed rari Latinarum artium auctores admiſerunt in optatiuo declinationem præteriti perfecti, vtinam vicerim. In hoc enim modo Latini tempora Græcorū more coniungunt, imperfectum cum præſenti, plusquamperfectum cum perfecto: & hoc aßignant duobus antecedentibus, quod in coniunctiuo præteriti imperfecti fuit, vtinam legerem: hoc duobus ſequentibus, quod in coniunctiuo plusquamperfecti fuit, vtinam legiſſem: & hoc dant futuro, quod habuit coniunctiuus præſens, vtinam legam. Sunt tamen qui & præterito perfecto adquieſcant, vtinam legerim. quorum ſententiæ Græca ratio, quam ſupra diximus, opitulatur. In Græco optatiuo quæ in μι exeunt, actiua

tantum



tantum ſunt; quæ in μην, paßiua tantum vel paßiuis ſimilia, λέγοιμι, λεγοίμην. Sed quæ in ην exeunt præcedente vocali, modo actiua, modo paßiua ſunt, & non niſi ex illis verbis veniunt quæ in μι exeunt, φαίην, δοίην. Paßiua autem & de hiſdem verbis fiunt, vt δοθείην, τιθείην: & de exeuntibus in ω vt νυγείην, δαρείην. Actiua ergo quæ in μι exeunt, mutant μι in μην, & paßiua faciunt λέγοιμι, λεγοίμην: quæ vero in ην exeunt, μ interſerunt, & in paßiuum tranſeunt, τιθείην τιθείμην, διδοίην διδοίμην. Græci omne tempus optatiui modi maius ſyllaba proferunt quam fuit in indicatiuo, ποιῶ ποιοῖμι, πεποίηκα πεποιήκοιμι, ποιήσω ποιήσοιμι. Aoriſton enim prætereo quem Latinitas neſcit. Ideo ἡβῷμι & ἡβώοιμι apud Græcos legimus, quia propter neceſſarium augmentum ſyllabæ ἀπὸ τοῦ ἡβῶ fit ἡβῷμι, καὶ ἀπὸ τοῦ ἡβώω fit ἡβώοιμι. Omne apud Græcos optatiuum ſingulare habet ſine dubio in pænultima diphthongum quæ per ι componitur, λέγοιμι, γράφοιμι, σταίην, δοίην: vnde eſt ἡβῷμι. poſt ω aſcribitur ι, ne ſine hac vocali optatiui pænultima proferatur. Græca quæ in μι exeunt, ι vltimum in εν mutant, & fiunt pluralia, ποιοῖμι ποιοῖμεν, γράφοιμι γράφοιμεν. Semper apud Græcos pluralis prima perſona aut vnam vocalem habet in pænultima præcedentem, vt σταίημεν, νυγείημεν: aut duas, vt λέγοιμεν, γράφοιμεν. ſed priora, fine mutato in σαν, tertiam perſonā de ſe efficiunt; ſequentia vero, μ ſubtracto, idem faciunt, σταίημεν σταίησαν, λέγοιμεν λέγοιεν. Paßiua Græcorum quæ in μην exeunt, hanc ipſam ſyllabam in ο mutant, & ſecundam perſonam faciunt, ποιοίμην ποιοῖο, γραφοίμην γράφοιο. quæ vero exeunt in ην, ν in σ mutant, & faciunt ſecundam, σταίην σταίης, δοίην δοίης. Ipſa vero ſecunda perſona ſi in ο exit, addit τ, & facit tertiam, ποιοῖο ποιοῖτο, γράφοιο γράφοιτο: quæ in σ deſinit, hoc amittit, & facit tertiam, σταίης σταίη, δοίης δοίη.

## De infinito modo.

INFINITVM *modum, quem* ἀπαρέμφατον *dicunt, quidam Græcorum inter verba numerare noluerunt, quia nullius* ἐγκλίσεως *verbum verbo alterius iunctum efficit ſenſum. Quis enim dicat,* βουλοίμην λέγω, λέγοιμι βούλομαι, γράφοιμι τρέχω? *Paremphatum vero cum quolibet modo iunctum, facit ſenſum,* θέλω γράφειν, θέλε γράφειν, ἐὰν θέλω γράφειν, εἰ θέλοιμι γράφειν. *Similiter & apud Latinos dici non poteſt* velim ſcribo, debeam curre, *& ſimilia. Dicuntque aduerbium eſſe magis, quia infinitum, ſicut aduerbium, præponitur & poſtponitur verbo, vt* γράφω καλῶς, καλῶς γράφω, ſcribo bene, bene ſcribo: ἑλληνιστὶ διαλέγομαι, διαλέγομαι ἑλληνιστί, latine loquor, loquor latine. *ita & hoc,* θέλω γράφειν, γράφειν θέλω. volo ſcribere, ſcribere volo: ἐπίσταμαι τρέχειν, τρέχειν ἐπίσταμαι, ſcio loqui, loqui ſcio. *Nec mirũ aiunt, cum multa aduerbia naſcantur a verbis, hoc quoque ex verbo eſſe profectum. ſi enim* ἑλληνίζω, ἑλληνιστὶ *facit, &* κάμνω, ἀκμητὶ, *cur non & ἀπὸ* τοῦ γράφω *naſcatur aduerbium* γράφειν. *hoc etiam addunt: ſi ab eo quod eſt* γράφω, *cum fit* γράφων, *iam verbum non dicitur, ſed participium, quia vltimam mutat & perſonam amittit; cur non &* γράφειν *in alterum nomen migret ex verbo, cum non ſolum finem moueat, ſed etiam ſignificationem perſonæ numerique perdat; maxime cum ſicut participium in diſtinctionem perſonarum additamento pronominis mutatur,* ἐμὲ φιλῶν, σὲ φιλῶν, ἐκεῖνον φιλῶν: *ita &* ἀπαρεμφάτῳ *contingit,* ἐμὲ φιλεῖν, σὲ φιλεῖν, ἐκεῖνον φιλεῖν. *Sed illi qui talia de infinito putant, hac maxime ratione vincuntur, quod in aduerbio temporum ſignificationes non de eiuſdem ſoni inflexione naſcuntur, ſed vt tempora, mutantur & voces,* νῦν, πάλαι, ὕστερον, nunc, antea, poſtea: *in infinito autem vox eadem paululum flexa tempus immutat,*





*tat,* γράφειν, γεγραφέναι, γράψειν, ſcribere, ſcripſiſſe, ſcriptum ire. *Nec omne* ἀπαρέμφατον *cuicunq. verbo iunctum ſenſum exprimit, ſed illis tantum quæ nullam rem per ſe dicta ſignificant, quæ ab illis* προαιρετικὰ, *ab his* arbitraria *non abſurde vocari poſſunt; quia per ipſa ſignificatur diſpoſitionem ſeu amorem vel arbitrium ſubeſſe nobis rei adhuc incertæ, ſed per adiunctionem verbi alterius exprimendæ.* Nam ἐσθίω μετὰ τοῦ τύπτειν, *aut* περιπατῶ μετὰ τοῦ πλουτεῖν *iungi non poſſunt. Item* lego *cum* ſedere *iunctum, aut* ſcribo *cum* cædere, *nullam efficit ſenſus perfectionem; quia &* lego *rem ſignificat &* ſedere, *&* ſcribo *ſimiliter &* cædere. *Si vero dixero* volo, *aut* opto, *aut* ſoleo, *aut* incipio, *& ſimilia, nullam rem ex huiuſmodi verbi pronuntiatione ſignifico. Et hæc ſunt, vel talia, quæ bene a paremphatis implicantur, vt ex vno arbitrium, ex altero res notetur:* volo currere, opto inuenire, diſpono proficiſci, ſoleo ſcribere. *Ex hoc intelligitur maximam vim verbi in infinito eſſe modo: ſiquidem verba rerum nomina ſunt. Et videmus ab aparemphatis rei ſignificationem alteris quoq. verbis non habentibus accommodari. Adeo autem hic modus abſolutum nomen rerum eſt, vt in ſignificationibus rerum quas Ariſtoteles numero decem* κατηγορίας *vocat, quatuor per* ἀπαρέμφατον *proferantur,* κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν. *Græco vocabulo propterea dicitur* ἀπαρέμφατον, *quod nullum mentis indicat affectum.* Nam γράφω, τύπτω, τιμῶ, *& rem & ipſum animi habitum expreſſit agentis:* γράφειν *vero, vel* τύπτειν, *vel* τιμᾶν, *nullam continet affectus ſignificationem; quia incertum eſt quid ſequatur,* θέλω, μέλλω, διαπτύω, *an contra* οὐ θέλω, οὐ μέλλω, οὐ διαπτύω. *Hinc de ipſius declinatione tractemus.*

*Græci infiniti vnum tempus duo tempora complectitur indicatiui modi:* ποιῶ, ἐποίουν *in indicatiuo; in infinitiuo autem ita pronuntiatur,* ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ, ποιεῖν; *item*

πεποίηκα, ἐπεποιήκειν, & in infinito παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ, πεποιηκέναι. Apud Græcos omne ἀπαρέμφατον aut in ν deſinit, aut in αι diphthongum: ſed & cum in ν deſinit, diphthongus præcedat neceſſe eſt, vt ποιεῖν, χρυσοῦν. ideo τῷ βοᾷν, ἰῶτα aſcribitur, ne ſit ἀπαρέμφατον ſine diphthongo. Vnde quæ in ην deſinunt, vt ζῆν, πεινῆν, διψῆν, non ſunt communia, ſed Dorica, vt ὁρῆν. Eiuſdem ſunt dialecti & quæ in εν exeunt, vt ἀπὸ τοῦ νοεῖν νόεν, & ἀπὸ τοῦ δασμηφορεῖν δασμηφόρεν. Licet ſint & communia in εν, ſed integritatis extremitate præciſa, vt eſt ἀπὸ τοῦ ἔμεναι ἔμεν, ἀπὸ τοῦ δόμεναι δόμεν. Perfecti temporis indicatiui Græcorum tertia perſona, fini ſuo adiecta ναι ſyllaba, tranſit in ἀπαρέμφατον, πεποίηκε πεποιηκέναι, λέλεχε λελεχέναι. Latini primæ perſonæ perfecti addunt geminatum ſſ & e, dixi dixiſſe. Græci ἀπαρέμφατα ſua actiua in αι deſinentia per omnes ſemiuocales litteras proferunt, excepto ζ, στεῖλαι, νεῖμαι, κρῖναι, σπεῖραι, νοῆσαι, λέξαι, γράψαι. excepta ſunt εἰπεῖν καὶ ἐνεγκεῖν, quæ ſola non ſemiuocales ſortita, ſed mutas. Paſſiua vero per vnam tantum litteram θ proferuntur, præmiſſa aut liquida, κεκάρθαι, τετίλθαι, ἐῤῥάνθαι: aut σ, λέγεσθαι, φιλεῖσθαι: aut altera ex mutis quæ vocantur δασεῖαι, id eſt ſiue χ, vt τετύχθαι, ſiue φ, vt γεγράφθαι. Cum Latini nullum infinitum monoſyllabum habeant, Græci pauciſſima habent quæ referantur ad ſolam ſecundam συζυγίαν περισπωμένων, vt σπᾶν, θλᾶν. etenim πνεῖν, χεῖν, ῥεῖν, non ſunt integra, ſed ex colliſione contracta. fuit enim integritas πνέειν, χέειν, ῥέειν, & medio ε ſubtracto in vnam ſyllabam ſunt redacta, & ex themate verborum veniunt πνέω, χέω ῥέω. Nullum enim Græcum verbum ἀπαρέμφατον ex verbo in ω deſinente factum non eundem numerum ſyllabarum tenet qui in prima poſitione verbi fuit, νοῶ νοεῖν, τιμῶ τιμᾶν, χρυσῶ χρυσοῦν, πλέκω πλέκειν, τύπτω τύπτειν. ſit πνέω πνέειν, χέω χέειν, ῥέω ῥέειν, ex quibus πνεῖν, χεῖν, ῥεῖν ſunt facta. Απαρέμφατα quæ in ν deſinunt,

nunt,



nunt, ſi de verbo ſunt periſpomeno, amiſſo ν, & accepta ſyllaba σθαι, faciunt ex ſe paſſiua, ποιεῖν ποιεῖσθαι, τιμᾶν τιμᾶσθαι, δηλοῦν δηλοῦσθαι. quod ſi ſint de barytono, etiam ι amittunt, λέγειν λέγεσθαι, γράφειν γράφεσθαι. Fiunt & de indicatiuo paſſiuo. Mutat enim τ in σ καὶ θ, & facit ἀπαρέμφατον. Nec ſolum hoc in præſenti tempore, ſed & in præterito & futuro, φιλεῖται φιλεῖσθαι, πεφίληται πεφιλῆσθαι, πεφιληθήσεται πεφιληθήσεσθαι. Eſt & alia diligentior obſeruatio circa παρακείμενον. Nam quotiens in pænultima habet κ, tunc amiſſa vtraque ſyllaba & accepta σθαι in paſſiuum tranſit, πεπατηκέναι πεπατῆσθαι, γεγελακέναι γεγελάσθαι, πεπλυκέναι πεπλύσθαι. aut interdum θαι ſolam accipit ſine σ, ſed tunc quotiens ante κ liquida reperitur, vt τετιλκέναι τετίλθαι, κεκαρκέναι κεκάρθαι, ἐῤῥαγκέναι ἐῤῥάνθαι. Vnde intelligitur in hoc verbo γ quod fuit ante κ, δυνάμει ν fuiſſe. Quod ſi παρακείμενος actiuus habuit in pænultima aut φ, aut χ, tunc quoq. θ accipit, γεγραφέναι γεγράφθαι, τετυχέναι τετύχθαι Latini futuri infinitum faciunt adiuncto participio vel magis gerundi modo, ire ſeu iri; & vel in paſſiuo doctum iri, vel in actiuo doctum ire pronunciant. Απαρέμφατα quæ in θαι exeunt, aut tertium a fine acutum ſortiuntur accentum, vt λέγεσθαι, γράφεσθαι: aut ſecundum, vt τετίλθαι, κεκάρθαι: aut circumflectunt pænultimam, vt ποιεῖσθαι, νοεῖσθαι. Απαρέμφατον quod in θαι exit, ſi habeat in pænultima υ, modo præſentis temporis eſt, modo præteriti perfecti: & hanc diuerſitatem diſcernit accentus. Nam ſi tertius a fine ſit, præſens tempus oſtendit, vt ὄλλυσθαι, ῥήγνυσθαι, ζεύγνυσθαι: ſi ſecũdus, præteritum perfectũ, vt λελύσθαι, ἐξύσθαι. vnde εἴρυσθαι ſi in capite habeat accentum, σημαίνει ἕλκεσθαι, quod eſt præſentis; ſi in pænultima ſit, σημαίνει εἱλκύσθαι, quod eſt præteriti: vna κατειρύσθαι. In ἀπαρεμφάτοις compoſitio non mutat accentum, ſed hunc compoſita cuſtodiunt qui ſimplicibus adhærebat, φιλεῖσθαι καταφιλεῖσθαι, κεῖσθαι κατακεῖσθαι. Denique καταγράψαι,

quia

*quia & actiui aparemphati eſt & paſſiui imperatiui, cum eſt aparemphatum in verbo habet accentum*, καταγράψαι: *& cum eſt imperatiuum, ad præpoſitionem recurrit*, κατάγραψαι. *In infinito Græco præteritum perfectum ſi diſſyllabum fuerit, omnimodo a vocali incipit*, ὦφθαι, εἶρχθαι. *Si ergo inueniantur diſſyllaba huiuſmodi a conſonantibus incipientia, manifeſtum eſt non eſſe integra, vt* πέρθαι, βλῆσθαι, δέχθαι. *quorum integra ſunt* πεπέρθαι, βεβλῆσθαι, δεδέχθαι. *Græci aparemphato nonnunquam pro imperatiuo vtuntur: Latini pro indicatiuo.* θαρσῶν νῦν Διόμηδες ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι. *id eſt* μάχου. *hic pro imperatiuo. At pro indicatiuo Saluſtius*; Hic vbi primum adoleuit, non ſe luxuriæ neq. inertiæ corrumpendum dedit, ſed vt mos gentis illius eſt, iaculari, equitare, & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus eſſe. Idem pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire, plurimum facere, minimum de ſe loqui. *Infinitum nonnunquam pro coniunctiuo ponunt. Cicero pro Seſtio*, Reipublicæ dignitas me ad ſe rapit, & hæc minora relinquere hortatur; *pro* hortatur vt relinquam. Hortor amare focos, *pro* hortor vt ament. *Ponuntur & pro gerundi modo. Cicero pro Quintio*, Conſilium cepiſſe hominis fortunas funditus euertere, *pro* euertendi. *Vergilius*, Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros, *pro* cognoſcendi. *Et aliter Terentius in Hecyra*, It ad eam viſere, *pro* viſitatum. *&*, Cantare pares & reſpondere parati, *pro* ad reſpondendum. *Ponuntur & pro participio præſentis. Varro in Scæuolam*, Et vt matrem audiui dicere. *Cicero in Verrem*, Charidemum cum teſtimonium dicere audiſtis, *pro* dicentem. *Eant nunc qui infinito calumniantur, & verbum non eſſe contendant, cum pro omnibus fere verbi modis probetur adhiberi.*

De



## De imperſonalibus.

SVNT *imperſonalia Græcis Latiniſque communia, ſunt tantum conceſſa Latinitati.* Decet me, te, illum, nos, vos, illos, *imperſonale eſt. Sed & Græci hoc verbo ſimiliter vtuntur*, πρέπει ἐμοί, σοί, ἐκείνῳ, ἡμῖν, ὑμῖν, ἐκείνοις. *Hoc autem imperſonale naſcitur a verbo* deceo, deces, decet, πρέπω, πρέπεις, πρέπει, πρέπομεν, πρέπετε, πρέπουσιν. Decent domum columnæ, πρέπουσι τῇ οἰκίᾳ οἱ κίονες. Placet mihi lectio, *verbum eſt*; placet mihi legere, *imperſonale eſt. Ita & apud Græcos*, ἀρέσκει μοι ἡ ἀνάγνωσις, *ad perſonam relatum eſt*; ἀρέσκει μοι ἀναγιγνώσκειν, *imperſonale eſt.** Contingit me veniſſe. *ſimiliter apud Græcos*, συνέβη μοι ἡ ἐλπίς, *declinationis eſt*; συνέβη με ἐληλυθέναι, *imperſonale eſt.* Pœnitet me, *hoc eſt quod apud illos* μεταμέλει μοι. *Imperſonalia apud Græcos per tēpora non flectuntur. Nam imperſonaliter* τρέχειν, περιπατεῖν, *nemo dicit. Nullum imperſonale in pluralis numeri forma inuenitur. Nam* bene legitur liber, *imperſonale eſt*: libri *autē* bene legũtur, *elocutio eſt Græcæ ſimilis*, αἱ βίβλοι ἀναγιγνώσκονται.

## De formis vel ſpeciebus verborum.

H*IS ſubiunguntur quæ verborum formæ vel ſpecies nominantur, meditatiua, inchoatiua, frequentatiua & vſurpatiua: quæ ſunt fere propriæ Latinitatis, licet meditatiua etiam Græci habere putantur.*

## De meditatiua.

E*ST autem meditatiua, quæ ſignificat meditationem rei cuius imminet & ſperatur effectus*; *vt* parturio, *quod eſt* parere meditor; eſurio, eſſe meditor: *& ſunt ſemper tertiæ coniugationis producta. Huic ſimilis in Græcis*

*quoque*

*quoque verbis inuenitur ſpecies*, θανατῶ, δαιμονιῶ, κινητιῶ, ἐρητιῶ, ἐρωτιῶ. *his enim verbis tentamentum quoddam rei & meditatio, non ipſe effectus exprimitur. his ſimilia videntur*, ῥιγείω, ὀκνείω, γαμησείω, πολεμησείω, βρωσείω.

## De inchoatiua.

INCHOATIVA *forma eſt, quæ iam aliquid inchoaſſe teſtatur, vt* palleſcit, *cui necdum diffuſus eſt totus pallor. Et hæc forma ſemper in* ſco *quieſcit: nec tamen omnia in* ſco *inchoatiua ſunt, & ſemper dum ſit deriuatiua, tertiæ coniugationis fieri cogitur. Hæc forma præteritum neſcit habere tempus perfectum. Quid enim ſimul & adhuc incipere, & iam præteriſſe dicatur? Hanc quoque formam ſunt qui Græcis familiarem dicant, aſſerentes hoc eſſe* μελαίνομαι καὶ θερμαίνομαι, *quod eſt* nigreſco *&* caleſco: *ſed apud illos aliqua huius ſignificationis in* σκω *exire contendunt*, τελίσκω, γαμίσκω, πτερώσκω, γηράσκω. διδάσκω *autem licet eiuſdem finis ſit, nemo tamen perfectum, & non inchoatiuum eſſe dubitauit.*

## De frequentatiua.

FREQVENTATIVA *forma compendio Latinitatis obſequitur, cum vno verbo frequentationem adminiſtrationis oſtendit. Hæc forma nonnunquam vno gradu, nonnunquam duobus deriuatur, vt* cano, canto, cantito: *nec tamen eſt in poſterioribus maior quam in prioribus frequentationis expreſſio. Sicut nec in diminutiuis ſecundus gradus minus priore ſignificat*, anus, anilla, anicula. Sternuto *frequentatiuum eſt a principali* ſternuo. *Propertius*, Candidus Auguſtæ ſternuit omen amor. Pulto *ſunt qui accipiant pro eo quod eſt* pulſo, *&* ἀττικισμὸν *quendam Latinitatis exiſtimẽt, vt apud illos* θάλασσα θάλαττα, πλάσσω πλάττω: *ſed* pultare *eſt* ſæpe pulſare, *ſicut* tractare *eſt* ſæpe tra-

pe trahere. Eructat *frequentatiuum eſt a principali* erugit aquæ vis. *&* graſſatur *iteratio eſt a* graditur. *Saluſtius*, Cum inferior omni via graſſaretur. *Sunt quædam huius formæ ſine ſubſtantia principalis*, cyathiſſare, tympaniſſare, crotaliſſare. *Sunt quæ magis moram quam iterationem explicant*, — Haſtamq. receptat Oſſibus hærentẽ. *Hic enim recipiendi difficultas ſub ſpecie frequentationis exprimitur. Hanc formam in Græcis verbis inuenire non potui.*



## De vſurpatiua.

HANC *quidam gerundi modi vel participalem vocant, quia verba eius pæne omnia ſimilia participiis ſunt, & ſola ſignificatione diſtantia. Nam* vado ſalutatum, *hoc eſt dicere* vado ſalutare, *aut* vt ſalutem. *item* ad ſalutandum eo, *participium eſſe iam deſinit, niſi adieceris vel* hominem, *vel* amicum. *hac enim adiectione participij vim tenebit, ſed tunc cum ex verbo eſt habente paſſiuam declinationem, vt*, ad videndum, ad ſalutandum. Ad declamandum *vero cum dico, non poſſum adiicere* illum, *quia* declamor *Latinum non eſt. Hæc forma Latinitati non ſolum præſtat ornatum, ſed illud quoq. vt aliquid habere videatur quæ Græci iure deſiderent.*

## De generibus verborum.

QVOD *Græci* διάθεσιν ῥημάτων *vocant, hoc Latini appellant genera verborũ. Affectus enim Græco nomine* διάθεσις *nuncupatur. Græci igitur* διαθέσεις *hac diſtinctione definiunt. Quæ in* ω *exeunt actiuam vim ſignificantia, & iunguntur caſibus vel genitiuo, vel datiuo, vel accuſatiuo, & accepta* μαι *ſyllaba tranſeunt in paſſiua; hæc actiua dixerunt: vt* ἄρχω σου, κελεύω σοι, τιμῶ σε. *hæc aſſumpta* μαι *paſſiua fiunt. Contra* παθητικὰ *dixerunt quæ in* μαι *deſinentia ſignificant paſſionẽ, & neceſſe habent iungi genitiuo*

*cum*

cum præpoſitione ὑπὸ, ac poſſunt amiſſa μαι ſyllaba in actiuum redire, ἄρχομαι ὑπό σου, κήδομαι ὑπό σου, τιμῶμαι ὑπὸ σου. Cui ex ſupra ſcriptis diffinitionibus vna defuerit, nec ἐνεργητικὸν, nec παθητικὸν dicitur. Sed ſi in ω exit, οὐδέτερον vel ἀπολελυμένον vocatur; vt eſt ζῶ, πλουτῶ, ὑπάρχω, ἑορτάζω. In his inuenies aliqua aperte & abſolute actum, aliqua deſignare paſſionem. Nam τρέχω, ἀριστῶ, περιπατῶ, de agente dicuntur: νοσῶ autem & ὀφθαλμιῶ ſine dubio paſſionem ſonant. Sed neque actiua illa dicuntur, quia & nulli de ſupradictis caſibus iungi poſſunt, nec μαι recipiunt. Nam nec τρέχω σε, nec ἀριστῶ σε, nec περιπατῶ σε dicitur: nec poteſt tranſire in τρέχομαι ὑπό σου, ἀριστῶμαι ὑπό σου, περιπατοῦμαι ὑπὸ σου. Sed nec νοσῶ & ὀφθαλμιῶ quamuis verba ſint paſſionis, dici παθητικὰ poſſunt. quia nec in μαι deſinunt, nec quiſquam ſignificatur paſſionis auctor, nec ſubiungitur illis ὑπὸ σου, quod proprium paſſiuorum eſt. nam & in actiuo & in paſſiuo debent omnimodo duæ, & adminiſtrantis & ſuſtinentis, ſubeſſe perſonæ. Hæc igitur quia vtroque nomine carent, apud illos οὐδέτερα vel ἀπολελυμένα dicuntur; ſicut apud Latinos volo, viuo, valeo. Sed ſicut aliqua apud Græcos in ω exeuntia ſignificant paſſionem, ita multa reperies in μαι deſinentia, & actiuam tantum habent ſignificationem: vt κήδομαί σου, φείδομαί σου, ἐπιμέλομαί σου, ἱππάζομαί σου, μάχομαί σοι, διαλέγομαί σοι, δωροῦμαί σοι, χαρίζομαί σοι, εὔχομαί σοι, ἄγαμαί σε, περιβλέπομαί σε. Sunt apud Græcos communia quæ ab illis μέσα vocantur, quæ dum in μαι deſinant, & actum & paſſionem vna eademque forma deſignant; vt βιάζομαί σε, καὶ βιάζομαι ὑπό σου, ἀνδραποδίζομαί σε, καὶ ἀνδραποδίζομαι ὑπὸ σου. Sola quoque paſſiua hoc nomine, id eſt μέσα vocantur, vt ἠλειψάμην, ἡσσάμην, ἐλυσσάμην. hæc enim licet τῆς μέσης διαθέσεως dicant, nihil tamen aliud ſignificant niſi πάθος. Nam hoc eſt ἠλειψάμην quod ἠλείφθην, hoc eſt ἡσσάμην quod ἥσσην. Item ἐγραψάμην,





ἐφάμην, ἐδόμην, μέσα appellant, cum nihil ſignificent præter actum. hoc eſt enim ἐγραψάμην quod ἔγραψα, nec vnquam dicitur * περιεγραψάμην. & hoc ἐφάμην quod ἔφην. hoc eſt ἐδόμην quod ἔδων. Ergo & illa quæ ſuperius diximus, φίλομαι σου, κήδομαί σου, ἱππάζομαι, μάχομαι, διαλέγομαι, περιβλέπομαι, δωροῦμαι, χαρίζομαι, ἔρχομαι, ἄγαμαι, cum actum ſolum ſignificent, μέσα tamen appellantur: licet his ſimilia Latini non communia, ſed deponentia nominent. Eſt & hæc Græcorum à Latinitate diſſenſio, quod cum Latini nunquam verbum commune dicant, niſi quod ſit ſimile paſſiuo: Græci tamen quædam & actiuis ſimilia μέσα dixerunt, vt πέπηγα quod μέσον dicitur, & ſub actiuo ſono ſolam ſignificat paſſionem. hoc eſt enim πέπηγα quod πέπηγμαι. πέπληγα vero, ἀφ' οὗ τὸ πεπληγὼς ἀγορητὴν, καὶ κέκοπα, ἀφ' οὗ τὸ ἀμφοτέρω κεκοπώς, tam de actu quam de paſſione dicuntur. Lectum eſt enim & πεπληγώς σε, & πεπληγὼς ὑπὸ σου, πεπληγὼς ἀγορητὴν, καὶ ῥάβδῳ πεπληγυῖα. Similiter apud Latinos quædam modo neutra, modo fiunt deponentia, vt labo labor, fabricor fabrico, ructo & ructor. quod etiam Græci non ignorant; βουλεύομαι βουλεύω, πολιτεύομαι πολιτεύω.

## De defectiuis verbis.

TAM apud Græcos quam apud Latinos deficiunt verba in declinatione. Tribus enim modis dicunt verborum euenire defectum, aut intellectu exigente, aut litteris non conuenientibus, aut vſu deſiſtente. In primis duobus neceſſitati, in tertio vero reuerentiæ obſequimur vetuſtatis. Intellectu deficiunt illa quæ dicuntur πεποιημένα, id eſt quæ ad ſimilitudinem ſoni alicuius expreſſa

*ſunt, vt* λίγξε βιὸς, σίζε ὀφθαλμὸς, *& ſimilia. In his enim verbis nec vlla perſona, nec modus declinationis quæritur. Litterarum inconuenientia deficiunt, quotiens verbum habet ante* ω, μ *vel* μν. *hæc enim ſecundum regulam ſuam proferri vel in* παρακειμένῳ, *ſeu* ὑπερσυντελικῷ, *vel in* ἀορίστῳ, *ſeu* μέλλοντι *non poſſunt. vt* νέμω *cum regulariter fieri debuiſſet* νενέμκα, ἐνενέμκειν, *quia non potuerunt hæ litteræ conuenire, interceſſit* η, νενέμηκα, ἐνενεμήκειν. *item* ἐνέμφθην *vel* νεμφθήσομαι *eandem ſumpſere litteram propter euphoniam,* ἐνεμήθην, νεμηθήσομαι. *Item in tertia perſona ſingulari quæ* τ *habet in vltima ſyllaba, acceptam facit pluralem,* λέγεται λέγονται, μάχεται μάχονται. *Verum* κέκαρται *in plurali declinatione* ν *non potuit admittere, ideoque defecit. ſic* ἔσταλται, *ſic* κέκοπται, *& alia mille, & remedium de participio mutuata ſunt. Alia ſunt apud illos quæ conſuetudo deſtituit, vt omnia verba quæ deſinunt in* νω, λανθάνω, αἰσθάνω, μανθάνω, *quæ non niſi vſque ad præteritum imperfectum declinantur. Similiter & quæ in* σκω, γηράσκω, τελίσκω, γαμίσκω, πιτρώσκω. *Nam quod legimus* διδάξω, *a themate eſt non* διδάσκω, *ſed* διδάχω, *cuius indicium eſt* διδαχή. *Item patiuntur quæ in* νω *exeunt diſſyllabis maiora,* ὀμνύω ὄμνυμι, πηγνύω πήγνυμι, ῥηγνύω ῥήγνυμι. *Similiter imperfectum præteritum non excedunt & quæ in* ειω *exeunt, vt* ὀκνείω, γαμησείω, βρωσείω. *necnon & quæ ex monoſyllabo per* ἰῶτα *geminantur, vt* τρῶ τιτρῶ, βῶ βιβῶ, χρῶ κιχρῶ. *Hæc omnia vſque ad imperfectum tempus poſſunt extendi, non plus. Apud Latinos deficiunt* inquam *&* ſum. *nam ſequentes perſonæ analogiam primæ perſonæ non ſeruant. alterum enim facit* inquam, inquis, inquit, *alterum* ſum, es, eſt. *& illud quidem in reliquis omnibus defecit temporibus,* ſum *vero in aliud tranſit, vt tempora compleat,* eram, fui, ero. *Sunt quæ in prima ſolum perſona deficiunt,*



*ficiunt,* ouas, ouat, ouo *enim lectum non eſt. Similiter* daris datur. Soleo *neſcit futurum.* Verro *perfectum ignorat.* Genui *ex quo themate venit, nullus ſcit, licet Varro dixerit* genunt. *Nec mirum. Nam & apud Græcos tam præterita inuenies quam futura quæ præſenti careant,* ἤνεγκα, ἔδραμον, οἴσω.

Explicit deſloratio de libro AMBROSII MACROBII THEODOSII, quam IOHANNES carpſerat ad diſcendas Græcorum verborum regulas.

# Τὸ ῥῆμα ἐνεργητικὸν τῆς ὁριστικῆς ἐγκλίσεως κατὰ τὴν πρώτην συζυγίαν τῶν περισπωμένων.

ἐνεστῶτος.

ποιῶ, ποιεῖς, ποιεῖ·
ποιοῦμεν, ποιεῖτε, ποιοῦσι.

παρατατικοῦ.

ἐποίουν, ἐποίεις, ἐποίει·
ἐποιοῦμεν, ἐποιεῖτε, ἐποίουν.

παρακειμένου.

πεποίηκα, πεποίηκας, πεποίηκε·
πεποιήκαμεν, πεποιήκατε, πεποιήκασι.

ὑπερσυντελικοῦ.

ἐπεποιήκειν, ἐπεποιήκεις, ἐπεποιήκει·
ἐπεποιήκειμεν, ἐπεποιήκειτε, ἐπεποιήκεισαν.

μέλλοντος.

ποιήσω, ποιήσεις, ποιήσει·
ποιήσομεν, ποιήσετε, ποιήσουσι.

## Imperatiuus ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ.

ποίει, ποιείτω,
ποιεῖτε, ποιείτωσαν.

παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ.

πεποίηκε, πεποιηκέτω·
πεποιήκετε, πεποιηκέτωσαν.

ἀορίστου καὶ μέλλοντος.

ποίησον, ποιησάτω·
ποιήσατε, ποιησάτωσαν.

Con-



## Coniunctiuus, ὑποτακτικὸς, ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ.

ἐὰν ποιῶ, ἐὰν ποιῇς, ἐὰν ποιῇ·
ἐὰν ποιῶμεν, ἐὰν ποιῆτε, ἐὰν ποιῶσιν.

Παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ.

ἐὰν πεποιήκω, ἐὰν πεποιήκῃς, ἐὰν πεποιήκῃ·
ἐὰν πεποιήκωμεν, ἐὰν πεποιήκητε, ἐὰν πεποιήκωσιν.

μέλλοντος.

ἐὰν ποιήσω, ἐὰν ποιήσῃς, ἐὰν ποιήσῃ·
ἐὰν ποιήσωμεν, ἐὰν ποιήσητε, ἐὰν ποιήσωσιν.

## Optatiuus ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ.

εἰ ποιοῖμι, ποιοῖς, ποιοῖ·
ποιοῖμεν, ποιοῖτε, ποιοῖεν.

παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ.

εἰ πεποιήκοιμι, πεποιήκοις, πεποιήκοι·
πεποιήκοιμεν, πεποιήκοιτε, πεποιήκοιεν.

ἀορίστου.

εἰ ποιήσαιμι, ποιήσαις, ποιήσαι·
ποιήσαιμεν, ποιήσαιτε, ποιήσαιεν.

μέλλοντος.

εἰ ποιήσοιμι, ποιήσοις, ποιήσοι·
ποιήσοιμεν, ποιήσοιτε, ποιήσοιεν.

## Infinit. ἐνεστῶτος καὶ παρατατικοῦ.

ποιεῖν.

παρακειμένου & ὑπερσυντελικοῦ.

πεποιηκέναι.

ἀορίστου.

ποιῆσαι.

μέλλοντος.

ποιήσειν.

 Quo-

Excerptoris Monitio.

QVONIAM Macrobius Theodoſius librum de differentiis deque ſocietatibus verborum vtriuſque linguæ, Græcæ ſcilicet atque Latinæ, compoſuit, in quo varie confuſeq. verborum regulas miſcuerit; viſum mihi eſt primo eundem eiuſdem eodem quo ipſe vſus eſt ordine breuiter deflorare, aliquando permutatis, ſæpius eiſdem quibus & ille vtendo ſermonibus: deinde ſingularum coniugationum regulas inquantum ex rationibus prædicti auctoris colligi potuerunt, exponere. In quibus ſi quis multa nos prætermiſiſſe perſpexerit, ſciat illud nō noſtra deſidia eſſe factum, ſed quia de his quæ intacta videntur, aut ambiguam, aut nullam potuimus inuenire rationis auctoritatem. Quædam tamen inſeruimus, quæ nobis ex proportione aliorum veriſimilia fieri viſa ſunt. Cum igitur Græci coniugationum ſuarum numerum denario contineant, verborum tamen omniū bina diuiſio eſt: aut enim in περισπώμενα, id eſt in ea quæ vltimam circumflectūt, aut in βαρύτονα, hoc eſt pænultimam grauem habentia, diuiduntur. Addunt quidam tertiam ſpeciē, quam * ηγυσωλω vocant, id eſt acualem. habet enim, vt dicunt, acutum in vltima. Macrobius vero duas tantum ſpecies oſtendit. Vnam in his quibus, vt diximus, vltimam ſemper circumflexus tenet accentus, atque ideo περισπωμένη meruit appellari, quæ dum immutabiliter in pænultima grauem teneat, nullum tamen in fine certum poteſt habere ſonum. Denique barytona dicitur, id eſt tono extranea in vltima, non quia non habeat, ſed quod certum ſtabilemque habere non poſſit. Aliquando namque grauatur, aliquando vero acuitur, nunquam tamen circumflectitur. Hoc etiam videtur non eſſe tranſeundum, quod cum quorundam auctoritas ſola periſpomena ipſiuſque tertiæ ſpeciei quam illi addunt verba ω naturaliter producto terminari contendat: barytona vero ſemper ο naturaliter correpto: omnia Græcorum verba vna eademque littera producta





ducta ſcilicet ω Theodoſius finiri pronuntiet. Inde fit vt illorum finem accentus diſcernat, non tempus. Videtur quoque idem ſimili ratione velle, non tamen affirmare, omnia Latinorum verba rationabilius ſecundum Græcam formam o producto concludi quam correpto, cum iuxta pene omnes dichronum ſit. Prima igitur ſpecies in tribus coniugationibus concluditur, in quibus circumflexus vltimam tanquam perpetuam poſſidet ſedem. Secunda vero ſex vel ſeptem videtur comprehendere ſyzygias, quarum pænultimas graui accentu non dubitant naturaliter eſſe poſſeſſas. Quorum omnium regulas modo generales modo ſpeciales, non tamen plene docendas eſſe promiſimus. in qua tamen promiſſione lectorem præmonemus ne plus quærat, quia nec plus inueniet quam quæ pertinent ad declinationem conformationemque verborum, in quibus pene tota huius libelli vtilitas, ſi aliquantula quidem eſt, verſatur. Hinc iam tractare incipientes, primo de periſpomenis dicemus. quorum prima ω productum primæ perſonæ in εις diphthongum conuertens, ſecundam efficit perſonam, vt φιλῶ φιλεῖς, ipſa autem ſecunda σίγμα ſublato tertiam gignit, φιλεῖ. Notandumque quod omnes perſonæ ſingulares in hac coniugatione, ſicut & in aliis duabus eiuſdem ſpeciei, & æqualem ſyllabarum numerum teneant, & circumflexum ſemper in vltima cuſtodiant. Prima etiam pluralis a ſingulari prima egreditur, conuerſa ſcilicet ω in ȣ diphthongum & adiecta ſyllaba μεν, φιλῶ φιλοῦμεν: ſecunda pluralis a tertia ſingulari addita τε, φιλεῖ φιλεῖτε: tertia vero pluralis a prima eiuſdem numeri naſcitur mutata με in σι, φιλοῦμεν φιλοῦσιν. Sic igitur verbum actiuum præſentis temporis indicatiui modi primæ coniugationis circumflexibilium flectitur, φιλῶ, φιλεῖς, φιλεῖ, pluraliter φιλοῦμεν, φιλεῖτε, φιλοῦσιν. Paſſiui quoque generis prima perſona ſingularis ab actiua prima ſingulari fit conuerſo ω in ȣ & adſumpta μαι, φιλῶ

*φιλοῦμαι. ſecunda ſemper minor vna ſyllaba quam prima inuenitur, & in ητα deſinit, φιλοῦμαι φιλῆ. tertia vero a prima eiuſdem generis mutato μ in τ, & diphthongo ου in ει diphthongum conuerſa, φιλοῦμαι φιλεῖτε, ſemperque prima & tertia æquaſyllabæ fiunt. Prima perſona pluralis a prima plurali actiua abiecta ν, & addita θα, vbique fit, φιλοῦμεν φιλούμεθα. ſecunda pluralis actiua mouet ταῦ vltimæ ſua in σίγμα & θῆτα, fitque paſsiua, φιλεῖτε φιλεῖσθε. tertia pluralis a tertia ſingulari paſsiua oritur addito ν ad τ, & penultima primæ perſonæ ſingularis ſeruata, φιλεῖτε, φιλοῦνται. Igitur paſsiui verbi declinatio ſic eſt, φιλοῦμαι, φιλῆ, φιλεῖται: pluraliter φιλούμεθα, φιλεῖσθε, φιλοῦνται.*





# IOHAN. ISACI PONTANI AD LIBROS SATVRNALIORVM NOTÆ.

# LECTORI.

HABES *Macrobium, Lector, & habes, vt dixi, non vt antea truncatum & lacerum, ſed ſua & veteri forma. Meruerat certe hanc operam Macrobius, quo neſcio an hodie cumulatior in Latio alius omnigenæ ſcientiæ ſpico. Quis illo ad Pythagoræ Platoniſq; diuina myſteria vel ductor melior aut doctor? Quis in orbium cæleſtium ratione & poſitu, quis in eorum ex Samij placito concentione prodenda ſublimior? Antiquitatis vero in eo ille cultus, ea Sacrorum Rituumque enodatio, illa in Veterũ obtectioribus aperiendis locis accuratio, ea denique in ipſis Naturæ laſciuientis miraculis, aliiſq; humani ingenij delitioſis inuentis eminentia, vt laudis iam diu delatæ vitium ſit talia velle laudare. Meritiſſimo idcirco hæc iſta præſtitimus, & debuimus fortaſſis (de Notis his loquor) vberius. Sed primi hanc viã inſiſtimus, nec omnia, quæ rariora præſertim ac recondita, intuitu amant vno pernoſci, nec ab vno.* Alius alio inuenire poteſt plura, nemo omnia. *Nos pro tempore quod potuimus, id fecimus; nec obuia illa aut prompta quæſitoribus anxie indagauimus, ſed valetudini Aurelij magis quam ſplẽdori ſtuduimus. Tu, Lector, ſingula arbitraberis, & peto ſicubi lapſus ſum (quis non in hoc ſcribendi genere?) humaniter feras aut corrigas. Nam, vt ait Romanus Philoſophus,* Nullum ſine venia placuit ingenium.

IOHAN.



# IOHAN. ISACI AD LIBRVM I. SATVRNALIORVM NOTÆ.

V*C. & inluſtris.)* Magnifica ſcriptoris huius, & muneris quoq. eius mẽtio in codice Theodoſiano, lib. 6. Titulo 8. de præpoſitis ſacri cubiculi. Verba ſunt; *Sed vt nos ad hanc promulgationem Macrobij viri inluſtris merita prouocarunt, ita obſeruationem quoque legis ab eius volumus ſumere prouectionis auſpicium, vt qui ante ipſum fuerunt ſub hac conditione, præſtituto honore lætentur, vt non ſuæ promotionis tempora ad legis vſurpationem reuoluant, nec præferri poſtulent iis qui prætorianam vel vrbanam præfecturam vel militare magiſterium poſt eorum prouectionem ſortiti ſunt, ſed perinde habeantur ac ſi nunc cæperint, & in eodem ordine permanentes, in quo nunc eos liberalitas noſtra cõſtituit, prouectionis viri inluſtris Macrobij tempora metiant, vt ex huius adminiſtrationis exordio, prout quiſque prouectus eſt vel fuerit prouehendus, ſuæ locum vindicet dignitatis.* Quem locum indicio debeo atque humanitati clariſſimi viri Ioſephi Scaligeri; cui & maiora debebo.

LIBER PRIMVS) Semel hoc dixero. Stephani textum, qui optimus viſus, expreſſimus, niſi ſi operarum alicubi aut alias error fuerit. Cæterum de Scripto quæ vel addita vel immutata ad autographum pariter edidimus; id & alia ſuis indicabimus locis.

PRO-

## PROLOGO.

Correctus Apuleius.

Item Agellius.

PAG. 156. *Et ſit concentus ex diſſonis*) Apulei de Mundo locus geminus eſt. Eum, quia leui vitio hactenus nutat, apponam vt confirmetur: *At enim vt in choreis, cum dux carminis hymno præcinit, concinentium vulgus virorum & feminarum mixtis grauibus & acutis clamoribus vnam harmoniam reſonant: Sic diuina mens mundanas varietates, ad inſtar vnius concentionis, reuelat*. Scripſerat Lucius, *euelat*. Feſtus, *euelatum euentilatum, vnde velabra quibus frumentum ventilatur*. Certe non potuit ſignantiori, quod voluit, dictione depromere.

*Oratio ſolertior, ſermo incorruptior*) Circumludit Agellij verba quæ lib. 20. capite poſtremo. Et ea ipſa quia ſimiliter ibi labe correctorum, etiam in ſcriptis, quos vidi, aſperſa, huc adducam, vt emaculem: *Ex quo facile adoleſcant ingenia hominum vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio ſolertior, aut ſermo incorruptior aut delectatior motio aut in ludis liberalior*. Quid enim hîc, *delectatior motio?* Mea fide reſcribe, *delectatior in otio*.

### CAP. II.

PAG. 158. *Et molliſſima conſultandi tempora.*) Adumbratum de Marone. Martialis quoque notauit:

*Noſti tempora tu Iouis ſereni*
*Cum fulget placidus ſuoque vultu,*
*Quo nil ſupplicibus ſolet negare.*

PAG. 161. *Edoctum tibi comprehenſumque eſt*) Erat in Anglicano recte, *eductum tibi*.

### CAP. III.

*Qui me in hunc ſermonem inducitis*) Idem vetus, *adducitis*, quod fuerit, *abducitis*.

PAG. 163. *Dicere ſolitum: lege non iſſe vſurpatum mulierem*) Eadem & Anglicano ſcriptura fuit. Videatur tamen immiſſa voce legend. *ſolitum legi: lege*.

*Inde conticuum*) Et veteres excuſi & ſcriptus retinent, *conticinium*.

Mane



*Mane autem dictum, aut quod ab inferioribus id eſt a manibus*) Idem, *inferioribus locis*, ſed male. Toto vero hoc loco Varronem ſequitur, aut potius non ſequitur. Non enim a *manibus* ille, ſed *manando* dictionem iſtam deducit. Ait Varro: *Diei principium mane, quod tunc manat dies ab oriente. Niſi potius quod bonum antiqui dicebant manum, ad cuiuſmodi religionem Græci quoque, cum lumen adfertur, ſolent dicere φῶς ἀγαθόν*. Sed ad poſteriorem hanc ſententiam Macrobius quoque poſt inclinat.

In Valeriũ. ſuſpicio.

PAG. 164. *Solis occaſus ſuprema tempeſtas*) Mirum ſimiliter hanc formulam concipi etiam in editionibus priſcis, cum manifeſtum ſit & proculcatum iam in XII. Tabulis legi, SOL OCCASVS. Et fallor? an apud Valerium cap. 3. lib. 7. legendum hac itidem forma; *Vt equis inſidentes, ſole orto curſum in quendam locum dirigerent*, pro quod editur, *ſolis ortu*.

*Deinde veſpera; quod a Græcis tractatum eſt.*) Omnino verum, *tractum eſt*. Ita liber; & iſtud Typographi mendum putaſſem, niſi reperiſſem in pluribus editionibus.

### CAP. IIII.

PAG. 165. *Maſurius Faſtorum ſecundo*) Idem hic Maſurius de quo Perſius;

*Cur mihi non liceat, iuſſit quodcunque voluntas,*
*Excepto ſiquid Maſuri rubrica notauit?*

Ad quod vetus Gloſſarius, *Maſurius hic Sabinus, legis conſultus fuit*.

*Et vt ipſos quoque Grammaticos in teſtimonium citem*) Petron. *Et ne poëtas quidem ad teſtimonium, citem*. Nec fugit ad Petronium filium Douzam. Douſam breues illos & longum deflebiles reipublicæ literariæ amores.

PAG. 167. *Reliqua autem verba quæ, Auieno noſtro noua viſa ſunt, veterum nobis.*) Probaturum ſe ait antiquitus ſolitum dici, *hac noctu & concubia noctu*. Item *diequarte, diecraſtini*. Quæ autem, ſi verba ipſa ſpectemus, quomodo Auieno noua viſa ſint, mihi nouum. Sed tollit hunc ſcrupulum liber, qui ſcribit; *Reliqua autem a verbi ore Auieno noſtro noua viſa, veterum*. Et hoc veriſſimum eſt, ab vſu ſuo & efferendi forma nouiora paruerunt. Non ceperunt hanc dictionem muſtei homines, *a verbi ore*, ideoque pro libidine interpolarunt. at nos pro priſco & probo aſſeremus vel ipſius Macrobij

monitu,

monitu, qui alibi non diſſimilius locutus; *Quæ*, inquit, *cum in ore priſcæ auctoritatis crebro fuerint.* Porro de *Noctu futura* & alia quæ hoc capite diſſeruntur, ad Agellij librum octauum cap. I. pertinere, vel index ibidem adhuc reliquus indicio ſit.

## CAP. V.

PAG. 169. *Sic fugiam infrequens atque inſolens verbum*) Ad conſuetudinem itaque vocamur, quam & ipſe omnino probem, ſed caute tamen & cum veteri magiſtro Fabio: *Conſuetudo*, inquit, *ſi ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptum, non orationi modo, ſed (quod maius eſt) vitæ.* Et paulo poſt, *Ergo conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum, ſicut viuendi, conſenſum bonorum.*

PAG. 171. *Qui quantum ſit, mirandum, viro venuſto*) Ita Stephanus. Cantabrigienſis ſcriptus; *qui quanto ſit mirando viro, venuſto patre.* Et ſimilia veſtigia in vulgatis auorum memoria. Tamen, ſi diſplicebit, coniecturis quid aliud eruatur. Ecce exemplum: *qui quanto ſit, mirandum, vir venuſto patre præſtantior.*

## CAP. VI.

PAG. 172. *Euſebium Graia & doctrina & facundia rhetorem*) Plenior laus in Veteri, *clarum rhetorem.*

PAG. 175. *Vna potius vt duobus nupta foret, quam vni duæ*) Sciuit apud Ariſtænetum Apollogenes Epiſtola xi. li. 2. Ἀλλ' εἴθε καθάπερ οἱ ἔρωτες τῇ ἐμῇ συνομιλοῦντες ἐνδιαιτῶν) ψυχῇ, οὕτω ζηλοτυπίας χωρὶς αἱ γυναῖκες συνῴκουν ἀλλήλαις. id eſt, *Sed vtinam, ſicut diuerſi in animo meo conuerſantur cupidines, ita & mulier vtraq. ſine æmulo liuore poſſent conuiuere.*

## CAP. VII.

PAG. 177. *Et lingua proterua, mendacij procax & ſecurus*) Hæc iterum Cl. V. Stephani lectio, quam reliquimus. Germanior tamen, imo germana plane quæ in ſcripto, & vetuſte quoque cuſis; *Et lingua proterue mordaci, procax & ſecurus offenſ.*

PAG. 178. *Et otium in negotium verteremus*) Anglicanus & item editio vetus: *in negotium vtile.*

*Quibus*



*Quibus vt omnes hodie, qui præſentes ſunt acquieſcant, impetratum teneo*) Apud Feſtum eſt, *Impetritum, impetratum.* Id porro in tranſcurſu dictum ſit, formularē videri fuiſſe loquutionem priſcis, *Si impetrari poſſit, non impetrari poteſt*, ab auſpiciis ductam, in quis *impetrire* ſiue *impetrare* id erat, quod in Sacrificiis *litare*. Plautus, quod dico, Caſina extulit, *Nolo ames.* St. *Non poteſt impetrari.* & alibi ſæpius. Curculio hinc emaculanda videtur ſcena, *Date viam*; vbi editum,

*Recte hic monſtrat, ſi imperare poſſit,*

Et attentatum viris eruditis, *ſe imperare poſſe*, ſed ſequentia qui cogitat, minime id huc facere facile videat. Puto itaque, quod innui, verum eſſe, *ſi impetrare poſſit.* Nam & a vulgato, qua literis, vix abit, qua ſententia, poſcunt cōtinua illa verba: Ad Plautum coniectura.

*Nam ita nunc mos viget,*
*Ita nunc ſeruitium eſt, profecto modus haberi non poteſt.*

PAG. 179. *Horum alterum vix ægre admiſſum audio.*) Editiones tamen præter Stephani, omnes, & M S. *vix egreque.* Illud nihilominus, & magis ſi libri auctoritas iuuet, omnino amplectendum. Apuleius ſic extuliſſe videatur, *curioſe ſedulo*, lib. I. *Et ego curioſe ſedulo arbitratus iugulum comitis.* Nec aliter fortaſſe Catullus:

*Et hæc peſſima ſe puella vidit*
*Iocoſe lepide vouere diuis.* In Catullo vetus lectio conſtituta.

Nam in ſcripto fuit, *ioco ſe lepide*; quod tamen tuetur eruditiſſimus caſtigator, quem videto.

PAG. 180. *Anteuorta & poſtuorta diuinitatis ſcilicet portiſſimæ comites*) Videbatur referre Anglicanus ille vetus, *diuitiarum ſcilicet.* Quod quæramus. In Faſtis eſt:

*Porrima placatur, poſtuortaque, ſiue ſorores*
*Siue fugæ comites Manali Diua tuæ.*

*Quo Saturni memoriā etiam in poſteros propagaret, ita fuiſſe ſignatum*) In eodē planius; *Æs ita fuiſſe ſignatū.* Hinc Naſo:

*At bona poſteritas puppim ſignauit in ære,*
*Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.*

*Capita aut nauia*) Affinis huic luſui ille Auguſti, *par impar*; Græcis eſt ζυγὰ ἢ ἄζυγα.

PAG. 181. *Hunc Romani etiam Stercutum vocant*) Scriptus, *ſtergutius*, quod valet, *ſtercutius.* Solēnis enim veteribus commutatio fuit literarum, G. C. item C. Q. Notata hæc paſſim excellentiſſimis ingeniis, imo erratorum ab iiſdem talium acerui multoties eliminati latifundiis bonorum ſcriptorum.

ptorum. Et fallor? an nobis etiamnum vnum alterum reliquum factũ? Exſtat Catulliano Epithalamio Manlij & Iuliæ:

*Non tuus leuis in mala*
*Deditus vir adultera.*
*Probra turpia perſequens*
*A tuis teneris volet*
*Secubare papillis.*

Catullus nouiter correctus.

Sed lectio ſcripta & vetus eſt, *Proca, turpia perſequens.* Vnde indubie fecerim, *pra qua, (turpia perſequens)* ſcriptum enim fuerat, *pra ca*; quomodo *aca* pro *aqua*, item, *coad* pro *quoad*, & ſimilia, antiqua fere ſemper ſcriptio eſt. A mente vero illa, non abit quod mox in Epigrammatibus: *Nec pra me velle tenere Iouem*: De lege verò pedia non eſt quod quis iam dubitet. nam aliquoties inſerit ſpondæum. ſtatim,

*Luſiſti nucibus. lubet*
*Iam ſeruire Thalaſſio.*

Alterum deinde quod innuo legitur Elegia ad Manlium;

*Nam mihi quam dederit duplex Amathuſia curam*
*Scitis, & in quo me torruerit genere.*

Vbi, *in quo genere* Græcorum more poſitum, qui ὀν ποίᾳ ἰδέᾳ. Et valde blanditur. Suſpicabar nihilominus, *in quo me torruerit cenere*; pari cum Macrobiano hoc errore, G. pro C. quomodo etiam in Gloſſario, *gras* & *graſſum* pro *cras*, *craſſum*. Sed vt hoc ſuſpicari tamen obiter libeat, ita prius præſtare non verear.

Pag. 182. *Per amnem fluctibus vagabatur*) De Cutilienſi lacu loquitur, quem an amnem recte dixerimus, cogitemus. Calamo exaratus, *per omnem lacum.* Vetuſte editus, *per omne mare.* Res tanti non eſt: monitum volui tamen.

*Per maria ambulabat*) Iterum iidem veteres: *migrabat.*

Καὶ κεφαλὰς Ἀδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα) In Lactantio tamen eſt, καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ. At abnuit Macrobius, qui Ditem capitibus, Saturnum vero viris ait placatum. Ἀδῃ itaque in Firmiano refingendum ſit; & τὸ πατρὶ Saturnum denotauerit.

*Oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata*) Libens reſcribo, *ſimilata*, id erit, ficta & formata. Sæpicule hæc vox in melioribus libris corrupta. Petronio redonanda videatur pag. xxix. vbi vulgatur:

*Mox vbi ridendas incluſit pagina partes,*
*Vera redit facies, diſſimulata perit.*

Nec



Nec effugit Nobiliſ. viri Douzæ acumen. Vidit enim inueni dictione iſta, *diſſimulata*, verſiculi totius mentem. Repoſuit idcirco appoſite, *aſſimilata.* Sed de germanitate vocis cum cogito, putem ex reliquiis ſcripturæ veteris, refingendum vti innui *deſimilata*, rara quidẽ, ſed, ita Muſis placeam, vt digna Petronio dictione. Quid ni enim ea, vt, *deformo*, *depingo*, *defiguro*, & talia?

Pag. 183. *Pueri mactarentur Maniæ deæ*) Interpres vetus Perſij: *Manium dicit deformem & ignotum. eo quod Maniæ dicuntur indecori vultus perſonæ, quibus pueri terrentur.*

*Capitibus allij & papaueris ſupplicari iuſſit*) Forte huc alluſum Satyrico: — *Si non*

*Prædictum ter mane caput guſtaueris alli.*

Et quod ſtatim addit Macrobius, *Periculum ſi quod imminetet familiis, expiarent*, non abſimile videatur. quod iterum, quem dixi, Perſij interpres ad illud; *ouoque pericula rupto*, ita enarrat: *Sacerdotes qui explorandis periculis ſacra faciebant, obſeruare ſolebant ouum igni impoſitum, vtrum in capite an in lateribus deſudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius.*

*Eumque diem celebrant, per agros vrbes fere omnes*) Accij verſus eſt ex annalibus. Sed cur tam ſollicite appictum, *fere omnes*? an hiſtorica fide, an qua alia re? Anglicanus diſerte, *vrbeſque per omnes.* Deinde *imque*, pro *eumque* fecero, vt fiat illud Feſti: *Nis antiqui dicebant pro nobis, ſam pro ſuam, im pro eum.*

## Cap. VIII.

Pag. 184. *Habet aram & ante ſenatulum*) Alij excuſi: *Et ante ſe cænaculum.* Illud ex ſcriptis eſt. Valerius quoque notauit lib. 2. cap. 2. Vbi ita conſtituenda eius verba: *Antea Senatus ſtationem eo loci peragebat qui hodieque Senatulum appellatur.* Nec aliter Achilles Statius ad librũ de illuſt. Grammaticis cap. 17. legend. cenſuit hunc Tranquilli locum; *Statuam habet Præneſte, in inferiori fori parte, contra Senatulum.* In vet. impreſ. *hemicylium* eſt. Valerio vetus lectio reddita.

*Ædem vero Saturni ærarium eſſe voluerunt quod*) Aliam aſſignat cauſam in illud Perſij *Saturniaq. impulit æra.* Interpres vetus: *Æs, inquit, in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque ſignato. Vnde ærarium nomen accepit.*

P p Pag. 185.

PAG.185. *Quæ a ſpuma vnde coaluit, ἀφροδίτη nomen accepit*) Arnobius non longe diſſimilibus verbis; *Nunquid a nobis dicitur ex pelagi ſpuma & ex cæli genitalibus amputatis, Cytherea Veneris concretum coaluiſſe candorem.* Eleganter. Sed & illud ſupra hanc ipſam deam decenti orationis velo in eiuſdem Peruigilio:

*Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo Ponti e globo,*
*Cærulas inter cateruas inter & bipedes equos,*
*Fecit vndantem Dionem de maritis imbribus.*

*Animalium vero æternam propagationem*) Orationis mens imo nec oratio ſtabit, niſi cum ſcripto ſcribas, *ad animalium.*

## CAP. IX.

PAG.187. *Manu dextra trecentorum & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum retinens*) Eſt quidem hæc anni perfecta dimenſio, qualis a Cæſare conſtituta. At cum Numa, qui ſimulachrum hoc dedicauit, CCC. LV. ſolummodo ſciuerit, malim cum Plinio legere, qui diſerte lib. 34. cap.7. *Præterea*, inquit, *Ianus geminus a rege Numa dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per ſignificationem annui temporis, & æui ſe Deum indicet.* Georgius tamen Codinus in Conſtantinopoli, περὶ ἀγάλματος Ἰανουαρίου, cum Macrobio facit.

*Vt demonſtrat ſimulachrum eius Phaleris aduectum*) In Scripto erat, *adactum.* Quod alij cogitabunt. Camerarius *Valeriis* diuinarat. Apud Stephanum de Vrbibus eſt: φάλαρα, πόλις Θετταλίας, πλησίον λαμίας. τὸ ἐθνικὸν φαλαρεύς, ὡς μιαρεύς.

*Duas vis diſpares colligauit*) Ἀρχαϊκῶς. Saluſtius III. Hiſt. *Aſſuetum ad omnes vis controuerſiarum.* In Macrobio vulgo, *vires diſpares.*

## CAP. X.

PAG.191. *Conuiuio diſſoluto Saturnalia clamitabantur*) Camerarij & item editio priſca: *conuiuio ſolito.* Forte, *ſoluto.* Nam, diſſolutus, ἄσωτος hic eſt. Deinde Anglicanus, non *clamitabantur* ſed, *comitabantur.* An *committebantur*, quomodo ludos committere? Aut remotior potius vox fuit ſcriptumque, *comiſſabantur*, vel, vt in Orthographicis ſcribendum præcipit Velius Longus, *comiſabantur?* Super tota voce ita

De Macrobij ſcriptura hæſitatio.



ita Feſtus: *Comiſatio*, inquit, *a vicis, quos Græci κώμας dicunt, appellatur. quibus in locis alij alios conuictus cauſa inuitabant.* Gloſſæ Latinæ, *comiſatum*, ἐπὶ κῶμον. Græcæ, κῶμον, *comiſatum, comiſatio.* Ariſtophanes Pluto, ἔοικε δ' ἐπὶ κῶμον βαδίζειν. quod ita vertunt, *videtur ad laſciuum conuiuium ire.*

*Ex dicto Auguſti, quo trium dierum*) Et Caligula poſt, vt notat Suetonius, vnum quoque adiecit. cap. 17. *Et vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret adiecit diem Saturnalibus, appellauitque Iuuenalem.* Dio LX. Quintum Saturnalium hunc credidit.

## CAP. XI.

PAG.192. *Ante ſpectaculi commiſſionem per circum egit*) Recte dixit ante ſpectaculi commiſſionem & conſonat id cum reliquorum, qui eandem hiſtoriam enarrant, relatione. Sed ego iis omiſſis, teſtem vnicum vel emendationis vel in hoc Notarum mearum exordio ominis ergo Valerium producam. Ait is lib. 1. cap. 7. *Cum plebeis ludis quidem pater familias per circum Flaminium priuſquam pompa induceretur, ſeruum ſuum verberibus multatum, ſub furca ad ſupplicium egiſſet.* Vbi vox *pompa* ad rem Circenſem idonea quidem; nec ea quæſitoribus moleſtiæ aut æſtus quicquam attuliſſet, niſi codices caſci æui ſuggeſſiſſent eius vicem, *croma.* Quod cum ſiſtat & illiget etiam eruditiſſimos ſeculi noſtri & in hoc ſcriptionis genere exercitatiſſimos homines, operæ pretium putaui de eodem per otium cogitaſſe. Et vide, velut inſuſurrante bono genio, hæc mihi correctio deſubito enata, *priuſquam acroama induceretur. Acroama* Græca quidem dictio, ſed circo ſæpicule & ludis etiam a Latinis aptata. Docet vel Cic. pro Seſtio: *Ille ipſe ludens non ſolum ſpectator, ſed actor & acroama.* Recte autem dixi in Macrobio expreſſum, *ante ſpectaculi commiſſionem*, quia in ipſis commiſſionibus huiuſmodi acroamatia habebantur: Seneca Epiſt. 85. *In commiſſionibus noſtris plus cantorum eſt, quam olim in theatris ſpectatorum fuit.* Facit huc quoque Apuleius lib. 10. *Ac dum ludicris ſcenicorum choreis primitiæ ſpectaculi dedicantur.*

Valerius fortaſſis emaculatus.

*Annio cuidam per quietem imperauit*) Super hominis huius nomine inter Auctores diſſenſus eſt. Valerio, Liuio, Plutarcho & Dionyſio *T. Latinus* appellatur. Lactantius diuinarum Inſtitutionum 2. cap. 8. *T. Atinium* extulit, & amplectitur Pighius, qui antiquam & plebeiam ait familiam Atiniam.

niam. Certe Macrobij ſcriptura parum ab hac Lactantij voce deuiat, & corrupta potius cenſenda quam falſa.

PAG.193. *Additus eſt illis Circenſibus dies is, qui inſtauratitius dictus eſt*) Vetus, *dies, iſque inſtauratius*.

*In ſeruos tantum & tam immane faſtidium*) Plautus Milite: *Ergo iſte me metus macerat, quod ille faſtidioſus eſt.* Anglicanus autem ſcriptus non *immane* legebat, ſed, *inane*, quod palato quidem non hebeti mouendæ ſit ſaliuæ. Perſius, *O quantum eſt in rebus inane.* Et Maro: *inania murmura*.

*Alius ambitioni, omnes ſpei, omnes timori*) Seneca, ex quo hauſit, ſtrictius: *Alius ambitioni, omnes timori.* Alias Macrobianum iſtud non abſonum. Iuuenal. *Quid enim ratione timemus aut cupimus.* Vbi ſpes & metus ſimiliter iunguntur.

*Sibi quiſque dat mores, conditionem caſus aſſignat.*) Imo iuxta illud: SVI CVIQVE MORES FINGVNT FORTVNAM In Seneca eſt, *miniſteria caſus aſſignat.* Epiſt. 47.

PAG.194. *Virga murmur omne compeſcitur*) Iuuenalis Sat. 14.

> *Hic lauet argentum, vaſa aſpera tergeat alter,*
> *Vox domini fremit inſtantis, virgamque tenentis.*

PAG.199. *Epicadus refert Herculem occiſo Geryone*) An eumpſe intelligat de illuſtribus Grammaticis Tranquillus? *Cornelius Epicadus*, inquit, *Lucij Corn. Sylla Dictatoris libertus, calatorque Sacerdotio augurali.*

## CAP. XII.

PAG.200. *Eodem ductu orandi reliqua contexit*) Vetus, *contexuit*. Gloſſarius, *contexit* συνυφαίνω.

PAG 200. *Arcades annum ſuum tribus menſibus explicabant*) Ex Hori vt putatur inſtituto. Cenſorinus, *Sunt qui tradant hunc annum trimenſtrem Horon inſtituiſſe, eoque ver, æſtatem, autumnum, hiemem, ὥρας & annum dici & Græcos annales Horos, eorumque ſcriptores Horographos.* Imo & Dani noſtrates (quod per occaſionem dictum ſit) diſerte hodieque *Oor* pro *anno* & vulgo frequentant.

PAG.201. *Qui annus incipiebat a Martio*) Vetus idem & editiones priſcæ, *Quia annus*.

*Mercedes exſoluebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit*) Iuuenal.

> *Hæc, inquit, cures, & cum ſe verterit annus,*
> *Accipe, victori populus quod poſtulat, aurum.*

Mercedem



Mercedem autem hanc fuiſſe quinque aureos, annotat ibidem interpres vetus.

PAG.204. *Quod virgam myrteam in templo haberi nefas ſit*) Scripſit antiquitus rituum talium rationes & cauſas Butas. Arnobius ſuper eadem hac re lib. 5. *Cum ei diuinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituitur obtecta, nec myrteas fas eſt inferre verbenas, ſicut ſuis ſcribit in cauſalibus Butas.* Porro in Macrobio quod ſequitur, *Vas, in quo vinum inditum eſt, mellarium nominetur*, indubie corrigendum legendumque, *miliarium*. Gloſſarij auctor, χαλκεῖον, *olla, aneum, miliarium*. Gloſſæ Latinæ, *miliarium*, Θερμηρὸν corrupte. Faciendum fors, Θερμαντήριον. Sed ab aliis, Θερμιστρόν laudatum inuenio; quod præfero. Macrobij occaſione Gloſſarium tentatum.

PAG.206. *Item plebiſcitum factum ob eandem rem*) Non auſcultandum Camerarij ſeu vetuſtis editionibus, *idem plebiſcitum* legentib. Diſparari enim debent, *plebiſcitum* & *ſenatuſconſultum*.

*Menſis Septemb. principalem ſui retinet appellationem; quem Germanici appellatione, Octobrem vero ſuo nomine Domitianus inuaſerat*) In aliis fere omnibus editionibus eſt: *retinet appellationem ex Germanici appellatione. Octobrem vero.* Firmat priorem lectionem illud Suetonij in Domitiano: *Poſt autem duos triumphos, Germanici cognomine aſſumto, Septembrem menſem & Octobrem, ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumque transnominauit: quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet.* Hanc eiuſdem hæc verba in Caligula: *At in memoriam patris, Septembrem menſem Germanicum appellauit.*

## CAP. XIII.

PAG.207. *Vt in trecentos quinquaginta quatuor*) Ita & Plutarchus. Solinus & Cenſorinus, *trecentos quinquaginta quinque*.

PAG.208. *Additum eſſe ad Græcum numerum*) A quonam additus iſte numerus? a Romaniſne an a Græcis? ægre prima fronte exſculpſeris. Quare cum Scripto & vetuſte vulgato legend. *additum a ſe.* AB ipſis Romanis adiectus iſte dies, & vt ſupra docuit a Numa, idque in imparis numeri honorem.

## CAP. XIIII.

PAG.211. *Vt Cato in Originibus, anterminum, id eſt, circum terminum*) Vide Feſtum in voce, *Antermini*, & ad eum V.C. Ioſeph. Scaligeri caſtigationes. Docet autem non diuulſe hoc vocabuli legendum ſed coniunɫte, cum ſit adieɫti vicem. Et adde quod etiam in Scripto ego inuenerim, *Oratorum anterminum*, quomodo reponendum. In Gloſſario eſt, *Anterminus*, Διχόθεν ὅρος.

## CAP. XV.

PAG.215. *Ipſi curia, ad quam vocabantur, Kalabra nomen datum eſt. ideo autem*) Addebatur in Anglicano & vetuſtis item editionibus, *Calabra nomen datum eſt, & claſſi, quod omnis in eam populos vocaretur.* Cui etymo & Fabius aſtipulatur lib.1.cap.10. *Iam ſit*, inquit, *& claſſis a calando.* Porro facit etiam vt aſſeram ea verba lib.2. Arnobius, qui diſerte hunc quoq. ordinem ſiue gradum claſſi dat. *Deſinite*, inquit, *hominem, proletarius cum ſit, claſſibus, & capite cum cenſeatur adſcribere ordinibus primis.* Nam proletarij & capite cenſi viliſſimæ atque tenuiſſimæ fortunæ erant in populo. Hinc Saluſtius in hiſtoria, *Ipſe interea milites ſcribere, non more maiorum nec ex claſſibus, ſed vt libido cuiuſque erat, capite cenſos pleroſque.* Ex quibus & *Calabram claſſe* quiddam ſecretius ac honoratius fuiſſe colligere ſit, & Feſtus innuere videtur; *Calabra*, inquit, *curia dicebatur vbi tantum ratio ſacrorum gerebatur.* Et Gloſſarij auctor, *Calabra*, ἱππικοὶ βουλή, ex diuinatione noſtra. vulgo enim eſt corrupte, ἵππων βουλή. Sed diuinationem meam memini me aliquando probaſſe D. Scaligero. Scripſeram hæc cum, vt fit, in Tullij ad Atticum inuenio: *Equites curia bellum, non mihi. nam ego diſſenſi.* Ita inquam inuenio ſed a Boſio formatum, qui fuiſſe fatetur in Scripto compendio literarum, *Equit. curia.* Vnde ſi quis, *Equitum curia* fecerit, forte rei & vero ſimilius fecerit. Locus eſt Epiſt.1.lib.2.

In Gloſſario diuinatio.

Item in Epiſtolis ad Atticum.

*Dies ſuos rei diuina*) Placet I. Lipſij coniectura; *die ſuo.* Vide cap. 21. I. Electorum.

*Accepturos cauſas feriarum a rege ſacrorum ſciturosque*) Elidit ibidem idem Lipſius trinas hic voces, legitque, vt ait, cum primis editionibus, *cautus Sacrorum.* At meus & item vetuſte cuſi diſerte, vt poſui, promunt; poſſitque videri probum,



bum, niſi vox *cauſas* turbaret. Fecerim itaque ex ea, *pauſas feriarum*, & videatur huc facere quod ſequitur ſtatim; *ſcituroſque quid eſſet eo menſe faciendum.* Nec abludit Symmachi locus: *Vbi fruendis feriis modus nullus eſt. Modus nullus* eſt *pauſa nulla.* Porro *pauſa feriarum* elegantiſſime vſurpabitur ad exemplum Lucretij:

*Nec quiſquam expergitus exſtat*
*Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa ſecuta.*

PAG.216. *Vnde & Lucetium Salij*) Gloſſæ, *Lucerius.* Ζεύς. Sed illud putem rectius. M. Capella, vt Iouem *Lucetium* ſic quoq. Iunonem Lucetiam dicendam cenſuit. Ait lib.2.cap.5. *Te Lucinam quod lucem naſcentibus tribuas ac Lucetiam conuenit nuncupari.*

*Splendorem diei & noctis continuat, illuſtrante luna*) Diei quidem ſplendorem admiſerim, at quomodo recte *noctis*, qui ſplendor meræ tenebræ? Scriptus habet, *noctem.* Elicio ex veſtigiis prioris lectionis, *ſplendorem diei & noctu continuat.* vel ex hac, *ſplendore diei & noctem.*

PAG.217. *Ideo & Nonas inhabiles nuptiis*) De Maio quoque menſe notum adagium: *Menſe malas Maio nubere vulgus ait.*

## CAP. XVI.

PAG.219. *Scæuola pontifex affirmabat*) Libri priſci, *aſſeuerabat.* nam vix verſu ſupra dictum iam, *affirmabant.*

*Qui opus ad Deos pertinens, Sacrorumve cauſa feciſſet*) Scriptus reticebat, *cauſa.* Nec eſt cur exprimamus.

PAG.220. *Mundus cum patet, Deorum triſtium atque inferum quaſi ianua patet.*) De Mundi huius patore apud Feſtum quoque eſt, vbi & quando patuerit, additur. At interim eo nomine quid intellexere veteres? An de Eleuſinæ Cereris Mundo dictum, de quo Apuleius apologia? *Quoniam*, inquit, *vt res eſt, maius periculum decernis, ſpeculum philoſopho, quam Cereris mundum prophano videre.* Fuerit enim arcanus ſeu myſticus ille ornatus de quo luculenter lib.5. Arnobius.

Quid mundus in Varronis verbis, quæſitum.

PAG.222. *Geminus ait*) Sola Lugdunenſis editio: *Geminius.* Apud D. Hieronymum prænomen eius & elogium (modo is ſit) tale eſt: *Vnde pulchre Varius Geminius ſublimis orator, Qui non litigat cælebs eſt.* Exſtat aduerſus Iouinianum libro primo.

PAG.223. *Homerus veſter Mantuanus)* In aliis fere omnibus, *noſter*, eſt. Male, nam Euſtathij verba ſunt.

*Quaſi ad quem per omnes ſtatur.)* Iidem, *eatur.*

## CAP. XVII.

PAG.229. *Hiſce hoſtiis ſacrum facerent Apollini)* Scripto abetat, *ſacrũ*. beniſſime. Notum hoc Maronis: *Cum faciam vitula.* Et mirum quam affectet eius vbiq. dictionem Macrob.

PAG.230. *Λυκάβαντα appellant)* Ælianus, λέγουσι δὲ φίλον ἡλίῳ εἶναι αὐτὸν καὶ διὰ ταῦτα εἰς τιμὴν τὴν τοῦ ζώου κεκλῆσθαι καὶ τὸν ἐνιαυτὸν λυκάβαντα εἰσὶν οἳ λέγουσι. χαίρειν δὲ αὐτῷ καὶ τὸν ἀπόλλωνα λόγος. Id eſt. *Iam porro lycabanta iccirco annum nominari exiſtimant, quod erga lupum Sol amorem habeat. Tum eo Apollinem delectari aiunt.* Gloſſarium, λυκοφῶς, crepuſculum, diluculum.

PAG.231. *Vnde & ἀκερσεκόμης)* Alias ἀκειρεκόμης. Vtrumque rectum. Homerus εἰς Ἀπόλλωνα:

> Ὣς εἰπὼν ἐβιβάσκετο ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
> Φοῖβος ἀκερσεκόμης.

PAG.232. *Lunam vero humidiori & velut famineo ſexu)* Adumbratus quodammodo locus de Apuleio. Ait is Mileſij ſermonis vndecimo: *Iſta luce faminea colluſtrans cuncta mœnia: & vudis ignibus nutriens læta ſemina.* Niſi quod Lucij hiſce verbis non elucet, quod notat in hoc aſtro ſignanter

Correctus Apuleius.

Macrobius, *humidiori ſexu.* Mea ſententia leuis corruptelæ nubes Apuleium inuoluit, quam leui motu diſcutio; *vuidis ignibus. Vuidos ignes* plane ex ſenſu Caldæorum, qui nutrientem illam Lunæ virtutem humectantem vaporem appellant. Iuuat in commentariis Beroaldus qui in quibuſdam libris legiſſe ait, *vdis*. Sed Plauti ſui voce *vuidus* indubie vſus fuerat Lucius, quæ ob inſolentiam degenerarit tandem in *nudis*. Hoc facile & vere ſuſpicor, ſolum miror Beroaldi monitum non ſequi potuiſſe Apulei editores.

PAG.233. *Per humoſi aëris denſitatem) Humeris aërij* libri veteres.

*Cancro & capricorno hæc omnia contigerunt) Hæc nomina* ex iiſdem.

PAG.234. *Ἀπόλλωνα δέλφιον vocant, quod quæ obſcura ſunt claritudine lucis oſtendit)* Videatur etiam alluſiſſe Poëta illo verſu, αὐτὰρ ὁ βωμὸς

> αὐτὸς δέλφειος, καὶ ἐπόψιος ἔσεται αἰεί.





> *Sed ara*
> *Ipſa Delphia, & viſenda erit ſemper.*

Extat hymno εἰς Ἀπόλλωνα.

PAG.235. *Aquila propter exprimunt inſtar volatus)* Habes ſententiam fors & verba, ſi legas: *Aquilas propter exprimunt inſtar volantum.* Nam de pluribus aquilis nõ vna ſolum agi, ex ſequentibus liquet. Locutio fere par libro 7.cap.15. *Duas eſſe fiſtulas inſtar canaliũ.* Porro, *propter exprimunt*, eſt, *iuxta exp.* quod ſciunt quibus linguæ Latiæ vel minimus ſenſus.

*Iouis capite prognata memoratur*, id eſt, *de ſumma ætheris parte)* Arnobius doctiſſime: *Eandem hanc alij æthream verticem & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt. Memoriam nonnulli, vnde ipſum nomen Minerua quaſi quædam Meminerua formatum eſt.*

## CAP. XVIII.

PAG.236. *Etiam Euripides his docet Διόνυσος θύρσοισι)* Verſus illi in Ariſtophanis Ranis ſunt. Act.5.Sc.1. Tu videto.

## CAP. XIX.

Pag.242. *Quibus ſolem moderatorem natura conſtituit)* Et tunc Perſica voce *Mithram* dictum inſuper noto. Statius Thebaidos 1.

> *— Seu te roſeum Titana vocari*
> *Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim*
> *Frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri*
> *Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.*

Nam *cornua indignata ſequi* Lunam alioſque planetas interpretor. Tertullianus aduerſus Marcionem lib.1. *Sicuti aridæ & ardentis naturæ ſacramenta leones Mithræ philoſophantur.* Sed omnium diſertiſſime Claudianus de laudibus Stiliconis: *Et vaga teſtatur voluentem ſidera Mithram.* Atque hæc cauſa eſt ſimulachrũ huius Dei vultu fuiſſe leonis, cum tiara Perſico (ita legerim apud Lutatium non *priſci* vt laudat Bernartius) habitu, vtraque manu reluctantis tauri cornua comprimens.

Lutatij vera lectio.

## CAP. XX.

PAG.243. *Quod ſit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id eſt, videre.)* Iiſdem fere verbis Feſtus: *Dracones dicti ἀπὸ τοῦ δρακεῖν quod eſt videre. Clariſſimam enim dicuntur habere oculorum aciem: qua ex cauſa incubantes eos theſauris cuſtodiæ cauſa finxerunt.* Vnde liquet non abs re dictum Martiali:

*Largiris nihil incubaſque gaza*
*Vt magnus Draco.*

PAG.244. *Virtutem ad ſimilitudinem præſtat Deorum*) Aurem mihi vellit hic locus & admonet plane parilis apud Senecam Tragicum ſuper eodem hoc Hercule loci. Sed loci, qui iam diu cenſores exercuit, & ita exercuit, vt nec induſtria vlla aut libris deuenire ad verum valuerint; Anglicanus vero vetus, quo ego nuper vſus, inter tineas & blattas obſcure ſe. poſitus niuea eius veſte & vultu ſolus & occulte fruebatur. Ego hac occaſione non inuitus in luce locabo. Vulgatur Agamemnone verſ. 805.

*Semper ingentes educas alumnos,*
*Imparem æquaſti numerum Deorum.*

Senecæ Tragico ex veteri libr. lux.

At in veteri illo, quem dixi erat: *impetu æquaſti.* & ſecutus ſum libens (quiſquis ille fuit) optimi ſenſus optimum ſcribam: tiſi vero quæ ſuper *impare hoc Deorum numero* varie philoſophati interpretes viri, & vidi denique quam ſimplex ſemper oratio veritas.

*Vel primum Herculem nuncupatum*) Recte annotat Macrobius non illi, ſimulac genitus fuit, Herculis nomē datum. Ex Hiſtoria enim & Pythiis ſermonibus notum Heraclidem appellatum primitus: Poſt certa de cauſa oraculum conſulenti Apollinis & compoti votorum facto, hoc inſuper carmen & omen a Deo editum:

*Ἡρακλῆ δὲ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,*
*Ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων, κλέος ἄφθιτον ἕξεις.*

Quod & ſignanter adumbrauit Aurelius noſter illis ſtatim verbis, *Meruit nomen Dei virtutem regentis.* Vbi tamen vocem, *regentis* (probabo ſpero doctis) refinxero libens in *vegentis.* Pomponius Maiali: *Animos Venus veget ingentibus ventis.*

PAG.245. *Caput leonis exoritur.*) *Caput canis* repoſuimus ex libris. Anubis enim intelligendus, de quo Iuuenalis Sat.6.

*Qui grege lanigero circundatus, & grege caluo,*
*Plangentis populi currit deriſor Anubis.*

Interpres, *Anubis dictus quia caput caninum accepit per myſteria.* Porro locus Macrobij qui præceſſit cap.19. pag.242. *Argumentum caducei ad genituram quoque hominis quæ geneſis appellatur, Ægiptij protendunt.* faciat forte ad hunc ipſum Iuuenalis locum, ſed vt hodie in Iuuenale editur nihil minus. Eſt enim in omnibus libris: *Magnaque debetur violato pæna caduco.* Et interpretes quot adeo tot quoque ſententias refero. In codice vero, qui penes me ſcripto (quomodo & alij in aliis licet non probent) inuenio: *pæna caduceo.* Locum totum videamus & clara indicia dabit ita legendum: Id ſolum præmonendum Anubin quoque ſub forma Mercurij cultum vt diſerte ad illud Maronis, *Omnigenumque Deum monſtra & latrator Anubis*, annotat Honoratus. Ait itaque iam Iuuenalis:

In Iuuenali reuocata vetus lectio, & fors probata.



*Plangentis populi currit deriſor Anubis.*
*Ille petit veniam, quoties non abſtinet vxor*
*Concubitu ſacris obſeruandiſque diebus,*
*Magnaque debetur violato pæna caduceo,*
*Et mouiſſe caput viſa eſt argentea ſerpens*
*Illius lachrimis, meditataque murmura præſtant*
*Vt veniam culpæ non abnuat.*

Erit ergo, *violatum caduceum*, ipſum numen ſeu vt Aurelius locutus, *genituræ præſtes Deus. Argenteam* autem *ſerpentem Draconem* vbiuis dixit Macrobius. quomodo & in ipſa caducei deſcriptione. Etiam Lycophron Caſſandra: *νήσῳ δ' ἐνὶ δράκοντος*, nam Cychreum intelligit qui ὄφις dictus, vt docet Stephanus.

PAG.245. *Ex his apparet Serapis & ſolis vnam eſſe & indiuiduam naturam*) Æliani locus libro de Animalibus 10. cap.28. lepidus eſt: *Μισοῦσι δὲ οἱ αὐτοὶ θεραπευταὶ τοῦ Διὸς τοῦ προειρημένου καὶ τὴν ὄρυγα. Τὸ δὲ αἴτιον, ἀποστραφεὶς πρὸς τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἡλίου, τὰ περιττὰ τῆς ἑαυτοῦ τροφῆς ἐκθλίβει, φασὶν Αἰγύπτιοι*, id eſt, *Et vero etiam quos modo commemoraui Serapidis colentes, ex eo Orygem oderunt, quod ad Solis exortū conuerſus, ſicut Ægyptij ferunt, aluum deiiciat.* Nec abſimilia narrat Apollo Orus *ἱερογλυφικῶν* libro priore. Qui volet, videto.

## CAP. XXI.

PAG.246. *Apud quos Veneris Architidis*) Monuit coniectaneis ad Varronem clariſſimus Scaliger refingendum, *Dercitidis*, detorta nimirum voce a Syriaco *Adardaga.* Sed cauſas qui vberius volet ibidem videto.

PAG.247. *Cuius ambitu aër continetur, qui vehit terram*) Notabilis hic locus de Telluris aërea vectione; nec præteriit Batauæ iuuentutis gloria, Douza filius, qui Notis ad Tibullum apte hinc firmauit irriſum imperitis Lucani verſiculum & men-

& mentem; *dum terra fretum terramque leuabit Aër.* Sed ipſum vidiſſe operæ erit impenſa.

PAG. 248. *Hinc Oſirim Ægyptij*) Magnus ab Ægyptiis huic idolo honos habitus. Satyrici carmen de eodem capiendum:

*Exclamare libet populus quod clamat Oſiri*
*Inuento.*

Clamatum autem, vti inuenio in Gloſſis vetuſtis, *εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.*

*Inque eo ſpeciem oculi exprimunt*) Placet Cl. Lipſij inuentum, æſtimantis vix aliam notam ſuper impreſſam cruci commiſſæ; vtpote quæ Tau literam referat cum annulo vel anſula ſuperne. Ipſum T. *vitam venturam* interpretati Ægyptij, vnde hieroglyphicas & appoſite, vt & idem cenſet, Sol adſcriptus qui auctor vitæ. Sed ipſum adiſſe non pigeat Notis ad primum lib. de cruce cap. 8.

*Solem Iouis oculum appellat antiquitas*) Carphilides: *τί ἥλιος; οὐράνιος ὀφθαλμός. Quid Sol? cæleſtis oculus.* Et apud Heſiodum, *πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς.*

*Naturaque manente extantia.*) Faciendum, *anguſta manente extantia.* indicio Anglicani ſcripti, cui, vt fere ſolet, aſſentitur vetuſte cuſus.

*Primumque impetu & calore præſtat animalia, vt præſtat Sol ſidera*) Leonis indolē eleganter etiam adumbrauit Manilius in eius aſteriſmo, ſed loco tamen necdum ſatis firmato. Vulgatur lib. IIII.

*Hoc habet, hoc ſtudium poſtes ornare ſuperbos*
*Pellibus, & captas domibus configere prædas,*
*Et purgare metu ſiluas & viuere rapto.*

Sed repperit in chirographis vir clariſſimus, *parare metu.* vnde & ipſe formandum cenſuit, *purare.* ſed ſcriptum aio Poëtæ: *pacare metu*, conuenientiſſime in hoc animal, quod vt dixit Macrobius, præſtat cetera. Tyrannus enim dominatorq. quodammodo in ſilueſtri illo ac vaſto regno eſt, quem oderunt dum metuunt. Deinde ridet magis *viuere victu*, nam in ſcriptis intelligo eſſe, *victo* non *rapto.* Plautus, *virtute dixit vos victores viuere,* &c. Denique *Hoc habet,* fuerit, *hoc hauet.* Manilij verſus reſtituti.

PAG. 249. *Signa quoque vniuerſa Zodiaci ad naturam ſolis*) Nec ſigna ſolum ſidera, ſed & reliqua quoq. quæ ſtata Cenſorinus dixit ad mirabile hoc validumque aſtrum referri, Poëtis



Poëtis teſtibus docere non ſit difficile. Quid? Nonne Maro per *Sirium* ſtellam ſolem intellexiſſe dicendus illo verſu,

*Iam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos*
*Ardebat cælo.*

Et Suidas annotat *σείριον* a multis exponi *τὸν ἥλιον*, id eſt, *Sirium ſolem.* Sed vt hoc obiter addam, *Sirius* cum indubie ſit ſtella in lingua Canis lucida, variant tamen auctores cuius proprie dicatur, an videlicet Orionis, an Iſidis, aut denique Cephali. Pollux lib. 5. cap. 5. Icarij canem fuiſſe vult innuere, quod firmandum cenſeo aſſenſu Naſonis. In Nuce; De Sirio quæſitum.

*Quid ſi non aptas ſolem fugientibus vmbras,*
*Finditur Icario cum cane terra, darem.*

*Gemini autem qui alternis mortibus*) In ſcripto legebatur, *motibus.* Sed ego non audio. Minutius: *Caſtores alternis moriuntur, vt viuant.* Manilius numeroſe, *Otia & æternam peragunt in morte iuuentam.*

## CAP. XXII.

PAG. 250. *Nemeſis, quæ contra ſuperbiam colitur.*) Diſerte expreſſit Catullus:

*Nunc audax caue ſis: preceſque noſtras*
*Oramus caue deſpuas ocello;*
*Ne pœnas Nemeſis repoſcat a te.*
*Eſt vehemens Dea, lædere hanc caueto.*

Eſt enim *audax* hoc loco *θρασὺς* ex Gloſſario, quomodo neſcio an aliis ſumptum.

## CAP. XXIII.

PAG. 252. *Cui vnda Oceani velut dapes miniſtrat*) Anglicanus: *cui vndam Oceani.* Sed hac lectione oratio vix ſtat, nec vulgata ſententia. Non ambigo quin ſcripſerit longæuus, *cui vndam oceanus.* Et hoc eſt quod clarius in Somnium dixit, cap. 10. lib. 2. *Ignem æthereum phyſici tradidere humore nutriri.* Et ſtatim, *ideo Sol ſub Zona cæli peruſta vltro citroque diſcurrit, vt habeat ſubiecti humoris alimoniam.*

PAG. 255. *Adad nomen dederunt, eius nominis interpretatio ſignificat vnus.*) Significauerit itaque appellatio Dei *vnum*, at ipſe Deus Solem. Non diſcriminauit Scaliger pater exercit. CCLIIII. 4. *Adad,* inquit, *legi olim Solem dictum Perſarum lingua. Eiuſdem nominis in Africa radix eſt &c.*

CAP.

## CAP. XXIIII.

PAG.257. *Vt pene vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar.*) Epiſtola Maronis eſt ad Auguſtum, excuſantis operis inchoati moram. Sed aberat a Scripto; *vitio.* Fallor? an ſcripſerat Maro: *Penuria mentis*? *Penuria* enim, teſte Feſto, *id eſt, quod pene minus ſit quam neceſſe eſt.* Coniecturam tamen quis præſtet?

PAG.258. *Introſpexiſſe in ædem Deæ, a qua mares abſterrentur*) Idem, *exterrentur*, niſi fuerit, *externantur.* *Mares* autem γενικῶς accipio, nam nec beſtias mares intrare fas fuit. Iuuenalis:

*Illuc, teſticuli ſibi conſcius vnde fugit mus,*
*Intulerit.*

*Ex ſymbolo conferamus*) Anglicanus idem, *ſymbolæ. ſymbolum*, item *ſymbolus* & *ſymbola* indifferenter dici litteratoribus obſeruatum eſt. Macrob. iterum pag.178. *Diem totum doctis fabulis velut ex ſymbola conferendis daturi.*

*In multa & varia operis ſui arte*) *Parte*, libri vet.

*Aſſurgens quiſque in deſiderium alios audiendi non vidit & ſe*) Scriptus iterum, *audienti non inuidit.* Verum erit, *audiendi, non inuidit.* Et puto mens liquet.

*Et ſi tantæ diſſertationis ſermo conceſſerit.*) Idem habet, *ſermo non ceſſerit.* Et recte.

PAG.259. *Quaſi litteratorum omnium longe maximus palam faciat.*) Præclarum hoc de Seruio elogium. In Scripto tamen erat: *longius maxime palam faciat.* Ambigo an fuerit, *linguis maxime p. f.*

*Vt honore veſtro hæc menſa dignetur.*) Αεχαίζ. *dignor* paſſiue protulit ſecutus Maronem:

*Coniugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.*

Imo Plautum potius, qui in re conuiuiali ſimiliter dixerat, abſque correctoribus fuiſſet, Pſeudolo, Scen. *Quid hoc.*

*Ita victu excurato, ita munditiis dignati,*
*Itaque in loco feſtiuo ſumus feſtiue accepti.*

In Plauto emendatio. Ita, inquam, dixerat Accius, & hodieq. legeremus ſi per iſtos licuiſſet, quorum opera contaminate vulgatur: *Ita munditiis digni ab.* Et conatus aliquando mederi vir doctus, *ita munditiis digne ab.* At nobis, niſi me ludat amabilis inſania, alluxit hic melior & verior Phœbus.





# IOHAN. ISACI AD LIBRVM II. SATVRNALIORVM NOTÆ.

CONVIVIORVM SECVNDI DIEI) Hæc conuiuiorum in dies diſcretio Stephani ſolius inuentum eſt. SECVNDI hîc DIEI conuentum fecit qui reuera adhuc PRIMI eſt. Hoc ſi mihi non creditur, credatur vel exodio libri præmiſſi, vbi non diſceſſus indicitur, ſed ad epulas & pocula conceſſus. De cetero ſuo videbimus loco. PAG.260.

## CAP. I.

PAG.261. *Qui tantum fuit fortis ad crimina*) Iuuenal. *Solaque libidine fortis.* Et Seneca rhetor: *In iſtis vulſis atque expolitis & nuſquam niſi in libidine viris quærite oratores.*

*Canora dulcedine & ſaltationis lubrico*) Intelligit Gaditanas ſaltationes; molles illas & oppido ſalaces. Iterum Iuuenalis Sat. 11.

*Forſitan expectes, vt Gaditana canoro*
*Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ*
*Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,*
*Irritamentum Veneris languentis, & acres*
*Diuitis vrticæ.*

Et audeo dicere in mentem fuiſſe Macrobio hæc ipſa Satyrici verba. Certe adumbrauit quam proxime.

*Nec nubilum multum in bonis ducere*) Ita Steph. At Anglicanus & vetuſte omnes cuſi, *nubilum vultum.* Alluſum, vt puto, ad iſtud vetus: *Super omnia vultus Acceſſere boni, nec iners pauperque voluntas.*

*Hæc nobis ſit literata lætitia & docta cauillatio, vicem planipedis*) Tale quoque Priſci ſympoſium, apud Martial.

Quod

*Quod optimum ſit diſputat conuiuium*
*Facunda Priſci pagina.*
*Et multa dulci, multa ſublimi refert,*
*Sed cuncta docto pectore.*
*Quod optimum ſit quæritis conuiuium?*
*In quod choraules non venit.*

*Planipedes* vero *neaniſcologi* ſunt, vt docet ad illud Iuuenalis, *Planipedes audit Fabios*, interpres vetus. Sed videndum num apud interpretem illud legi præſtet, *nealeſchologi*. Illud enim quo magis cogito magis euileſc. Certe qui delicet, optem.

Ad Iuuenalis interpretem coniectura.

*Et iam primum animaduerto duos*) Ineptam reddit orationem immiſſa vox, *iam* eliminanda fide libri.

PAG. 262. *Quos is de iocis patroni compoſuit.*) Eiuſmodi antiquitus libelli, *Ineptiæ* inſcripti. Tranquillus de Caio Meliſſo Grammatico: *Atque vt ipſe tradit, ſexageſimum ætatis annum agens libellos* INEPTIARVM *qui nunc* IOCORVM *inſcribuntur, componere inſtituit, abſoluitque centum & quinquaginta.* Poëtæ illud hinc fortaſſis capiendum:

*Turpe eſt difficiles habere nugas,*
*Et ſtultus labor eſt ineptiarum.*

*Ex libro Fuſii Bibaculi*) Macrobius lib. 3. cap. 2. *Valeſii & Fuſii dicti prius nunc Valerios & Furios dicimus.* Non itaque hîc mendum ſed ſcribendi vetus norma.

*Non raro dicta nominant*) Nihil id noui, nam iam docuerat ex Cicerone. Sed aliud vult & ſeruat liber, in quo: *dicteria.* Varro ὄνος λύρας·

*Et orthophallica attulit pſalteria,*
*Quibus ſonant in Græcia dicteria.*

## CAP. II.

PAG. 263. *Gloriabundus Hannibalem aſpicis*) Scriptus, *inſpicit*. Gloſſ. *inſpicit*, ἐπιβλέπει.

*Quod vocabatur propter viam*) Emendauit ex Feſto Turnebus. vulgo, *proteruiam*.

*Igne conſumeretur*) Idem Scriptus, *combureretur*. Quæ vox in re ſimili apud Feſtum: *Culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur.*

*Tertia deducta*) Ex ambiguo iocus. *Tertia* aut filia Seruiliæ intelligi potuit aut pecuniæ dandæ portio. Deducitur ſiue aufertur in emptionibus pars pretij, in re amorum puella. Tibullus: *Vt iuueni primum virgo deducta marito.* Quod





Naſo imitatus in Faſtis: *Cum primum cupido Venus eſt deducta marito.* Huius contrarium eſt, *producere*: producebantur enim meretrices. Petron. *Rogaui vt in Platona produceret dominam.* vnde Gloſſæ, *producit* προάγει. Græcæ, προαγωγὸς, πορνοβοσκὸς, *lenocinator*. At *deducere* in iiſdem θέαξ exponitur, quod eſt ſibi vindicare & veluti adoptare. Sed antequam claudo, obnoxium mihi reddam, ſi fors, D Hieronymum Epiſtola de vitando ſuſpecto contubernio. Vox enim iſta Gloſſarij, πορνοβοσκὸς ibi reſtituenda videatur, vbi editur: *Si autem & tertius ille γηοβόσκος tuus, abire non vult & ſeditiones ac turbas concitat ſit biga, ſit triga.* Nam & Eraſmus in Scholiis admonet varie eam dictionem in libris adſcriptam; & hanc, quia commodiſſima viſa, reſeruatam. At πορνοβοσκὸς ex filo totius epiſtolæ omnino probabilius; & alluſerat quoq. ſupra Epiſtola ad Chromatium: *acceſſit huic patella (iuxta tritum populi ſermone prouerbium) dignum operculum, Lupicinus ſacerdos. Lupicinus* enim, vt ego reor, detortum huc vocabulum eſt.

plutanona

Ad D. Hieronymum coniectura.

PAG. 264. *Vnius pretium noctis*) Mos iſte paciſcendi noctes ex Comicis, poëtis, aliiſque notus. Apul. *Cum ipſo de vxoris noctibus paciſcuntur.* Iterum, *Votis nuptialibus pacto iugali pridem deſtinatus.* Sed vt id notum, ita non item Petronium ſic emendandum loco, qui paſſim & corrupte hactenus in hunc modum editus: *Pro, pudor quemadmodum mulier ſecutuleia, vnius noctis tactu omnia vendidit.* Quid enim eſt *vnius noctis tactu*? At, *vnius noctis pacto*, non coniectura ſed res eſt.

Petronius correctus.

*Otacilius Pitholaus*) Et ita legendum ex veteri nummo cenſuit ad Tranquillum Torrentius. In aliis eſt *Votacilius*. Exſtat iterum huius vocabulum apud Suetonium de claris Rhetoribus. At ibi *Lucius* prænomen eſt non *Marcus*: Item *Pilitus* agnomen non *Pitholaus*. *Lucius*, inquit, *Otacilius Pilitus ſeruiſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more, in catena fuiſſe.*

PAG. 265. *Antiquæ feſtiuitatis ſapore*) Petron. *Adoleſcens quoniam ſermonem habes non publici ſaporis.*

*Cucurrit ad labias mihi*) Plautus Stycho: *Refer ad labias tibias.* In Anglicano tamen erat, *ad labiam mihi.*

*Fuiſſet in catu oſculi*) Aliæ editiones: *coitu oſculi.* Sed dixit Auſonius: *Vbi laſſa libido fœmineos catus & non ſua bella laceſſit*, ex Lucretio, vt puto, qui lib. 3.

*Nil tamen hoc ad nos qui cœtu coniugioque*
*Corporis atque animæ conſiſtimus vniter apti.*

Ariſtænetus μῖξιν appellauit lib. 2. c. 18. Καὶ ἡ μῖξις αὐτὴ γλυκεῖα γίνεται τῶν ψυχῶν. quod indubie manauit ab hoc Petron. *Animarum quoque mixturam facerent.*

## Cap. III.

*Vt adituus reſponſa numinis ſui prædicat*) Seneca, *Non ſunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus adituus vt nos ad aures ſimulachri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat. Prope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt.* Tacitus, *internuncium* dixit lib. 4. Hiſtoriarum. Et omnino, vt hinc liquet, legendum ibi ad exemplar Romanum faciendumque: *Ipſa adyta intrare delectus e propinquis, conſulta reſponſaque vt internuncius numinis portabat.* pro, quod in aliis eſt, *ipſa edita in turre.* Porro Græcis *hierophanta* hi dicti: & aliquoties vſum ea voce reperio etiam D. Hieronymum: Imo & P. Arbitrum eadem luſiſſe exiſtimem in Trimalcionis coniugem. Nam ille quicquid hæc diceret oraculi vicem cenſebat. Itaque legam in Petron. *Nunc nec quid nec quare in cœlum abiit & Trimalcionis hierophanta eſt. ad ſummam mero meridie ſi dixerit illi tenebras eſſe, credet.* vulgo eſt, *topanta*, & varie mederi conati viri eruditi. Sed nos de eo alias, ſi videbitur, vberius.

In Tacito verior lectio.

Ad Petron. coniectura.

Pag. 267. *Minime ſero veni; nam nihil hic paratum video*) Deliteſcit hic Tullij iocus in voce *Sero.* Magnus tamen Deſiderius in Apophthegmatibus vix eum eruiſſe cenſendus. *Sero* enim, inquit, *venit qui tarde venit, & ſero qui poſt tempus.* At *ſero* in Ciceronis reſponſu non *tarde* notat, ſed ipſum cœnæ tempus ſiue veſperam. Apuleius obſeruauit lib. 3. *Et conuiuij cui te ſero deſponderas appropinquantis admonet.* nam præterita veſpera ſiue cœna Birrhenæ ad conuiuium promiſerat. Iterum lib. 1. *Vnde autem ſcio an conuentore illo, cum quo ſero deuerteras, iugulato, fugæ mandes præſidium.* Martialem ſic quoque capio lib. 7.

Apuleius & Martialis expliciti.

*Mane veni potius. nam cur te quinta moretur?*
*Aut cur non ſero Cæciliane venis?*

Tangit cæcilianum, qui ante quintam ad Cœnam feſtinauerat: eumque monet, ne moræ tædium incurreret, mane potius adeſſet. Cur enim, inquit, non ipſa veſpernæ hora te ſiſtis?

Ἐὰν ἐπιτύχῃς περὶ ἡμῶν) Aliter concipitur in Camerarij ſeu vetuſtis



vetuſtis editionibus. ἐὰν ἐπιτύχῃς καὶ περὶ ἡμᾶς πρεσβεῦσον. Quod erit; *ſi impetraueris & pro nobis intercede.*

*Vigebat in eo excedens iocos & ſeria mordacitas*) Hæc Camerarij & Stephani editionis, quam ſumus ſecuti, ſcriptura. At quid denique reliquum, ſi iocos & ſeria eius dicta exceſſerint? Potius æſtimandum ſerium ſemper aliquid infuiſſe dictis Ciceronis. Et tale præfert ſcriptus: *excedens iocus, & ſeria mordacitas*, quomodo & libri antiquiores.

## Cap. IIII.

*Poſtea Lucius grauis tragœdiarum ſcriptor*) Iterum ex nummis Torrentius, *L. Itium* hunc nuncupat.

Pag. 270. *Hoc eſt vere monumentum patris colere*) Colimus ea quæ veneramur & colitur ager, cum exaratur. Suſpicatur tamen Eraſmus dixiſſe Cæſarem: *hoc eſt vere memoriam patris colere.* Quem vide nec forſan diſplicebit.

*Vale mel gentium, melcule, ebur ex Hetruria*) Idem eſt ad oram Camerarianæ editionis. In Anglicano tamen noſtro & veteri vulgato conſtanter remanet, *metuelle*. Quod quid ſit quis facile expediat? Coniecturæ tamen ſi ſit locus, valde veriſimiliter refinxerim: *mi tenelle.* Albinouanus in eius obitum: *Iam nunc ille tener, tunc grauis hoſtis erat.* Nec aliter Iuuenal. Sat. XII.

*Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem*
*Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.*

Hæc exaraueram cum offendi in Aduerſariis diuinaſſe Turnebum: *Vale mel gentium Medulia* vel *Vetulonia.* Et vero *Vetulonia* non abſimile vero ſit. Caſaubonus tamen ad Sueton. *Medulia* retinet & legit inſuper, *mel gemmeum.* Et ante eum Simeo Boſius, *Mel Centinum & Veiens.* Lector arbitrabitur.

*Berille Porſenna*) Alluſum ad impenſum eiuſdem in gemmas ſimileſque delitias Lapillorum ſtudium. Nec diſſimulat ipſemet hoc epigrammatio ſuper Horatij obitu:

*Lugent, o mea vita, te Smaragdus,*
*Berillus quoque; nec nitentes*
*Nuper, candida Margarita, quæro,*
*Nec quos Thynica lima perpoliuit*
*Anellos, nec Iaſpios lapillos.*

Sed malus & magnus in ſecundo horum verſuum hiatus ſiue vitium eſt. Sanabit hoc cui fauebit aliquando libri aura. Ego interim

In Mæcenatis Epigrammate conatus.

interim fomenti neſcio quid adportabam, & quis ſcit an ex Apollinis medicina? Faciebam:

*Lugent, o mea Vita, te Smaragdus,*
*Berillus quoque, & ipſe; nec nitentes.*

*Carbunculum habeas, ἵνα σωτίμω)* Coniectauit Iſ. Caſaubonus, *Carbunculum Italiæ, καὶ ἵνα.* Simeo Boſius licentius, *Carbunculum Tolumnij: habeas, ἵνα σωτίμω πάνζα, μάλαγμα macharum.*

PAG. 271. *Excedentem ducenties celauerat.)* In editionibus priſcis, *ducenties* LLS. Et ſolent ſic quoque ſeſtertia notare Veteres. Omitti tamen honeſte poteſt. Martial. *O quanta eſt gula centies comeſſe.*

*In adulationem Cæſaris male exiſtimante) Male exiſtimante* valet quod apud Graios, λοιδορῶντος. Quomodo & Seneca de Vita beata, ſub finem; *Nec ille tertius de quo male exiſtimare conſueuimus, voluptatem inertem probat, ſed eam quam ratione efficit firmam ſibi.*

*Cum de Tyria purpura)* Facit ad ioci huius lucem illud Senecæ lib. 1. Nat. Quæſt. *Purpuram Tyriam, quo melior ſaturiorq. eſt, eo oportet altius teneas, vt fulgorem ſuum oſtendat.*

*Et ciuis & vir bonus eſt)* Hoc de Catone Auguſti iudicium exprimere quoque voluit Valerius lib. 2. ſub finem: *Qua quidem effecit, vt quiſquis egregium & ſanctum virum ciuemque ſignificare velit, ſub nomine Catonis definiat.* At in hodie vulgatis ſolum eſt: *vt quiſquis ſanctum & egregium ciuem ſignificare velit.* Sed illud in bonis & vetuſtis membranis inuenimus.

Valerius expletus de Scripto.

PAG. 273. *Toronij Flacci mangonis) Thoranium* appellat Tranquillus Auguſto. Item Plinius lib. 7. cap. 12. Et eum imitatus Solinus cap. 5. Sed Solini verba operæ erit adſcribere, vt inſigni loco turpe erratum eradam:

*Denique cum Antonio iam Triumuiro Thoranius quidam eximios forma pueros, velut geminos, trecentis (ducentis* eſt in Plinio) *ſeſtertiis vendidiſſet, quorũ alterum de tranſalpina Gallia, alterum ex Aſia comparauerat; adeoque vna res viderentur, niſi ſolus ſermo fidem panderet.*

Cui enim non diſpliceat dictio, *adeoque vna res.* Et adde quod id ſententiæ Solini minime ſatisfaciat cum formatio extra litem vnius rei & fili fuerit, natio tantum, de qua controuertebatur, diſparata. Scripturam itaque conſuluimus quæ referebat, *adeoque vt vna res vid.* Meo periculo refinge, *adeoque*

Solinus correctus.



*adeoque vt vterini viderentur.* Plinius habet, *eodem vtero editis.* Sed ad rem.

*Ad molas ſunt) Frumentarias* videlicet. Dicit autem id indignatus Auguſto Thoranius, quod pueros ſymphoniacos quaſi molarum curatores frumento donauerat. Luſerat non abſimiliter ad Atticum Tullius, *vt Rhodi videretur molis potius quam Meloni operam dediſſe.*

*Satis domi ſalutatorum talium habeo)* Aberat a Scripto: *habeo.* Nec male. commendat enim dicteria arguta illa breuitas.

PAG. 274. *Et ſeſterſtia centum millia numerare Graculo iuſſit)* Liberalitatem hanc ſuam nec ignorari voluit ipſe Cæſar. Exſtat in Epiſtola eius ad Tiberium: *Ego perdidi viginti millia nummum, meo nomine; ſed cum effuſe in luſu liberalis fuiſſem, vt ſoleo plerumque. Nam ſi quas manus remiſi cuique, exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuique donaui, viciſſem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cæleſtem gloriam efferet.*

## CAP. V.

*Quod in illa domo facile erat.)* Notat Camerarius alias legi, *quæ in illa eſſet.* Ego lectionem, quam poſui, probo & explico ex Suetonio: *Filiam* (inquit, de Auguſti familia & domo loquens) *& neptem ita inſtituit vt etiam lanificio aſſuefaceret, vetaretque loqui aut agere quidquam niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur.* Quod ſumptum indubie a Lacedæmoniis: Plutarchus Lycurgo: εἰθίζοντο μηδέποτε χρῆσθαι τῷ λόγῳ παρέργως, μηδὲ ἀφιέναι φωνὴν ἥτις οὐκ ἁμωσγέπως ἔχει θεωρίας ἀξίαν διάνοιαν. id eſt. *Aſſueſiebant (pueri) vt non niſi in tempore loquerentur, neque vocem emitterent, quin aliquam vtique ſententiam complecteretur notatu dignam.*

*Præterea mitis humanitas, minimeq. ſæuus animus)* Dictio *ſæuus* parum videtur hic apta. Satis ſæuitiæ notam excuſat & adimit illud, *præterea mitis humanitas.* Arbitror fuiſſe voce veteri *minimeque ſcæuus animus.* Agellius; *ſcæuus profecto & cæcus animi forem, ſi cum haberem tui copiam, iſſem magis ad alium quam ad te.* Nam *Scæuus* hic non tam ſiniſtri & mali ominis intelligitur quam Graia forma, δεινὸς καὶ χαλεπός. Ariſtophanes in Nebulis: οὐκ εἶδον ἄνδρα, ἄγροικον οὐδένα, οὐδ' ἄπορον, οὐδὲ σκαιόν.

## CAP. VI.

*Caſtellius iuriſconſultus*) Editiones vetuſtæ omnes, *Caſellius.*

PAG. 276. *Vna manu ludo, & non duabus, vt plus habere poſſim*) Venuſtius & breuius in Anglicano: *Quid? ego vna manu ludam?* Et frangunt profecto reliqua illa & veluti elumbant dicti leporem.

## CAP. VII.

*Excitare pollicentur, imitari*) Præoptem, *imitati.*

PAG. 277. *Fortuna immoderata in bono æque atque in malo.*) Laberij verſus eſt, ſed libri fide deleo, *æque*. Libenter enim & crebro ſic veteres. In Priapæis, *Quæ ſucco caret, atque petra pumex.* Et Valerius ita refingendus lib. 5. cap. 1. *Affirmantes ſe atque illas virilis concubitus expertes futuras.* Nam, *æque ſe* quomodo excuditur, in M S S. quos euolui, non legitur. Cæterum ſuper Laberij iſtis verſibus, & Agellius aliquid euulgauerat cap. 15. libri octaui. quod & eius hodie ſoli indices ſuperſtites loquuntur.

Valerij melior lectio.

*Non flexibilem me concuruaſti, vt carperes*) Iani Gulielmi coniectura animo meo verum eſt; *vt paceres*. *Pacere* pangere eſt doctore Feſto. Sciunt autem res ruſticas callentes, tenerarum arborum ramos decerpi aut curuari, vt pangantur nouæ. Et tale in ſe debuiſſe fieri ait Laberius, dum adoleſcentia mollis & flexibilis eſſet. Nam nunc, inquit, cur deiicior, hoc eſt in humum & ſcenam e dignitate equeſtri deprimor, cum ſuppullulare elegantia nulla poſſit? Sed operæ eſt ipſum adiiſſe Gulielmium.

*Quid ad ſcenam affero*) Non abſimilis fuit Catonis ad Seruium Galbam oratio: *Multa me dehortata ſunt huc prodire, anni, ætas, vox, vires, ſenectus.* Extat apud Agellium.

*Vt hedera ſerpens vires arboreas necat*) Malim, *ſecat*. præſertim quia ſubnectitur: *Ita me vetuſtas amplexu annorum necat.* Iuuenal. *Necat hic ferro, ſecat ille cruentis verberibus.* Et Catul. *Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat.*

*Et quam deſcendas, decides*) Vel verſus doceat abſonum eſſe in aliis editionibus: *citius quam aſcendas, decides.* Fruſtra itaque & ille Senecæ adductus locus: *Ad ſummum perducta rurſus ad infimum, velocius quidem quam aſcenderant, relabuntur.* Nam id ſolum acute voluit Laberius, quod is qui ad





ſummum claritatis gradum peruenerit, ægre conſiſtet, imo quod, antequam deſcendere & locum cedere aliis cogitauerit, ruet. Porro Senecæ iſtius loci poſtrema vox, *relabuntur*, germana non eſt, ſed *reuelluntur.* quomodo nos in membranis vetuſtis inuenimus & in *Obſeruationum libris* probabimus.

PAG. 279. *Beneficium dando accepit*) Præmitte, *Malum conſilium eſt quod mutari non poteſt*, ex Agellio & libris.

*Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.*) *Inſerta*, ἔμβλημα. Idem Publius apud Arbitrum: *Probitas eſt carbunculus.* Porro ſuper Græcanica voce ἔμβλημα vide Suetonium Tiberio; vbi de Latina requirenda ſatagitur.

*Coëgit idem ſaltare canticum*) Qualis ea ſaltatio, expreſſit Caſſiodorus, IIII. Variorum: *His ſunt additæ Orcheſtarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita.* Et Gloſſarij auctor, *ſaltat* ὀρχεῖ, ὀρχεῖ). Vide ad Ariſtænetum elegantiſſimum Mercerum.

*Saltabat Hylas OEdipodem; & Pylades hac voce*) Error in his hiſtrionum duumuiris apud Athenæum lib. 1. cap. 16. *Hunc Bathyllum ſcribit Ariſtonicus & Pylades, cuius extat quoddam de ſaltationibus volumen, Italicam inueniſſe ſaltationem.* Ita enim recte reddes, vbi in Græco: Τὸν βαθύλλον φησὶ ἀριστόνικος καὶ πυλάδης &c. Sed ſcribes & vertes πυλάδην, & errorem omnem abſterſeris. De Bathyllo enim & Pylade id ſcripſerit Ariſtonicus, non autē de Bathyllo vna Pylades. Zoſimus li. 1. *Octauiani temporibus pantominorum ſaltatio prius incognita in vſu eſſe cæpit, Pylade ac Bathyllo primis eius auctoribus.* Et eo reſpicere hic Athenæum ſiue Ariſtonicum liquet ex vtriuſque, quam ſubdit ſtatim, æſtimatione: ἦν δὲ, inquit, ἡ πυλάδου ὄρχησις ὀγκώδης, παθητική τε καὶ πολύκοπος: ἡ δὲ βαθύλλειος, ἱλαρωτέρα, id eſt: *Erat ea Pyladæ ſaltatio faſtu plena & affectu, laborioſaque admodum. Bathylli vero iucundior.*

Ad Athenæum coniectura.

Αὐλῶν συρίγγων) Ita & Camerarij. Vetuſtior tamen editio: λυδῶν συρίγγ. Forte, λυδίων, vt apud Lucianum, λύδιος ἁρμονία. Pindari Scholiaſtes, ἁρμονίαι δὲ πλείονες: δώριος, φρύγιος, λύδιος. Apuleius Mileſ. 10. *Iam tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter conſonant.* Λύδιος igitur dixerit Pylades vt ſuauiori concentu mulſiſſe aures audientium innuat. quod ad rem potenter faciat. Prius tamen haud immutaui.

*Pro contentione inter ſe Hylamque*) Hylam ſemper dicit, at Bathyllus tamen capiendus: quomodo & Suetonij Auguſto: *Hylam pantomimum, querente prætore, in atrio domus ſuæ*

*nemine excluſo, flagellis verberauit.* At iſto cur nomine Macrobio hic Suetonioque ibi, nec legi ſi aliis, nuncupatus? An quod in amoribus fuerit Pyladæ domino, quomodo Alcidæ ille toties clamatus Hylas? Viſum id fere clariſs. peritiſſimoque viro Franciſ. Iunio. quem & memini de hoc per occaſionem conſuluiſſe. Et vero præter quæ apud Tertullianum aliosque ſuper pantomimorum illo morbo, proprie de Bathyllo hoc intelligi dat Iuuenalis illo verſu: *Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.* Porro contentionis, quam tangit hic Macrobius, meminit quoque lib. 54. Dio. Vbi & Mæcenatis erga eundem Bathyllũ affectus honeſte proditur. Vide quæ notauit ad illud Taciti, *Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Mæcenati obtemperat effuſo in amorem Bathylli*, Lipſius Annal. 1. De Anacreontis Bathyllo habes apud Horatium & Agellium libro 19.

Cur dictus Barhyllus Hylas.

*Concitatam indignationem excepiſſet Auguſti*) Imo & ſerio aliquando in eum animaduertit Auguſtus. Tranquillus: *Pyladem vrbe atque Italia ſubmouit, quod ſpectatorem a quo exibilabatur, demonſtraſſet digito conſpicuumque feciſſet.* Dio reſtitutum dicit libro iam citato.

## CAP. VIII.

PAG. 280. *Dulcibus enim cum pepſi*) Ex Agellio videatur faciendum: *πέμμασιν enim cum πέψῃ.* Adi ad lib. 13. cap. 11.

*Significant autem bellaria omne menſæ ſecundæ genus, nam quæ πέμματα* Græci vel *τραγήματα, ea veteres noſtri appellauere bellaria*) Nuncupabat hæc etiam *Mattyas* Macedonum lingua Græcia vetus; Sparta, ἐπάϊκλα. Athenæus lib. 14. cap. poſtremo, *Illud quod apud alios mattya dicitur, apud Spartanos ἐπάϊκλα, dici ſcribit Molpis Lacon, quod ſecundas menſas ſignificat.* Et de epæclis clarius apud eundem Athenæum lib. 4. cap. 4. Perſeus: οὐθεὶς, inquit, τῶν μὲν εὐπόρων ζημιοῖ εἰς ἐπάϊκλα· ταῦτα δ' ἐστὶ μετὰ δεῖπνον τραγήματα. *ſtatim diuites multat in epæcla, quæ ſunt bellaria poſt cœnam.* Priorem vocem Latinitas aſſeruit, & exſtat apud Suetonium Auguſto. Martialis notionem eius ſic circumſcripſit lib. 10.

*Diues, & ex omni poſita eſt inſtructa macello*
*Cæna tibi; ſed te mattya ſola iuuant.*
*Non opus eſt nobis nimium lectore guloſo:*
*Hunc volo, qui fiat non ſine pane ſatur.*

Quæ



Quæ appinxi prolixius vt inſignem maculam ex elegantiſſimo Hieronymiano loco eluerem. Inualuit ea Epiſtola ad Nepotianum in vita Clericorum, vbi vulgatur: *Modica in hamo eſca ponitur, vt matrenarum in eo ſacculi protrahantur.* Et ſudauit in eo olim, nec mederi tamen valuit magnus Deſiderius. At me iam emendantem quis non ſequatur? *vt mattyarum in eo ſacculi protrahantur.* Quibus addo Anglos hodieque (ne vel id occaſione hac indictum ſit) & Cimbros quoque ſiue Danos vocem eam eiuſque notionem retinere. Angli tamen proprie eâ edulia omnia delicatiora vt carnes & talia ſignant; Cimbri promiſcue omnem cibum. Illi *meet* dicunt, hi *maed.*

Correctus D. Hieronymi locus.

PAG. 281. *Non fugiendas eſſe huiuſmodi exercitationes*) Cl. Lipſio omnino emendandum placuit, *exerrationes*, vt videlicet ita appellauerit mentis illos errores, & quaſi primas halucinationes, ante plenam ebrietatem. Nos tamen receptam libris lectionem non immutauimus.

*Cui vita non inter ipſa errorum pericula*) Agellius auctior: *cui vita victuſque inter.* Sed in Scripto & veteribus illud eſt.

PAG. 283. *Propterea velle viuere vt ederent & biberent*) Talis ille apud Plautum: *Non hic vt poſſit edit, ſed poſſe cupit vt edat.*

*Paruum morbum comitialem*) Hic Libri huius, in omnibus ad hoc æuum editionibus, finis fuit, & viderunt tamen homines eruditi plurima deſiderari, quæ deplorare facilius potuerunt, quam emendare. Nos Anglicani indicio primi hunc hiatum ſanauimus, & octo ex Tertij Libri iniuſta poſſeſſione extorſimus Capita, veterique huic ſuæ & veræ ſedi redonauimus. Inſtituta enim de luxuria & voluptatibus, & præſertim περὶ τὰς τῆς τροφῆς ἀπολαύσεις narratio conuenienter iam iſtis pertexitur, finiturq. Secundus Liber. Paucula interim deeſſe poſt verba, *paruum morbum comitialem*, & ſub initium quoque ſequentis capitis, non inficiar, ſed paucula, inquam, id eſt, verba duo quatuor quibus parabatur reſponſus obiectanti Horo priſcorum abſtinentiam. Patet ex fine ſubſequi capitis: *Neque ego nunc antiquitati nos præferendos vel comparandos dico; ſed reſpondi obiectanti Horo, aſſerens vt res habet, maiorem illis ſeculis delitiarum curam fuiſſe, quam noſtro.*

*Paruum morbum comitialem*) Dixi deſiderari, poſt hæc, paucula; quæ, niſi fallor, repperi, & ſunt iſta: *Fugienda ſunt*

 *ergo*

*ergo omnibus modis & abſcindenda igne & ferro, totoque artificio ſuperanda, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, a ciuitate ſeditio, a domo diſcordia, & in communi a cunctis rebus intemperantia.* Laudat ſub Macrobij nomine Ioh. Sariſberienſis lib. 8. cap. 15. Ego apud Macrobium legiſſe non memini. Hic autem inſanum in modum conueniunt. Fallor itaque? aut loci huius fragmentum eſt.

Macrobij fragmentum.

## CAP. IX.

PAG. 284. *Vt bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat.*) Scriptus habebat, *gerebat*: vnde facile eruitur firmaturque antiqua ſcriptio, *in ſpeculo quærebat*. Alluſum ad vetus dicterium, quo victu aut veſtitu mollem notabant: *Hic virum quærit*. Nec aliter perſtrictus a Cinna poëta Magnus Pompeius:

*Faſciola qui crura tegit, digito caput vno*
*Scalpit: quid credas, hunc ſibi velle? virum.*

Porro Macrobio conuenienter ad Marcellam D. Hieronymus: *Vidua noſtra ante moroſius ornabatur, & die tota quid ſibi deeſſet, quærebat ad ſpeculum.*

*Gurgitem a deuorato patrimonio*) Reſpexit Iuuenal. Sat. 11.

*Ac rebus merſis in ventrem, fœnoris atque*
*Argenti grauis, & pecorum agrorumque capacem.*

Iterum Sat. 6.

*Dicite vos neptes Lepidi, cæcique Metelli*
*Gurgitis, aut Fabij, quæ Ludia ſumſerit vnquam*
*Hos habitus.*

*Oſtreas crudas*) De oſtreis & ſpondylis adi ad Plinium. Plautus ab *oſtreis*, *oſtreatum tergum* dixit Pænulo:

*Itaque iam quaſi oſtreatum tergum vlceribus geſtito.*

Plautus interpretatus.

Vbi tamen *oſtreatum* non ſumendum cum interpretibus pro verberibus duratum, ſed puncturis aſperum, & vt ipſe Plautus alibi loquitur, *ſcrupoſum*. Quam vocem proprie & conuenienter accipit Gloſſarius vetus pro Σηραγγώδης. Sed male in eodem, *ſcrupuloſum* pro *ſcrupoſum* expreſſum eſt. Plautus Captiuis:

In Gloſſario emendatio.

*Nam meus ſcrupoſam victus commeat viam.*

Erit itaque *oſtreatum tergum vlceribus*, flagris & ſtigmatibus Σηραγγώδης, id eſt, rimoſum & cauernoſum, quo modo oſtreorum teſtæ.

Lumbos,



*Lumbos, capragines*) Tentatum reperio, *lumbos caprigines*. Sed iis ignoratum *lumbos* ἁπλῶς ſiue *lumbulos*, vti nuncupat Apicius, in amoribus ac delitiis fuiſſe voluptariis viris. Gloſſæ, *lumbi*, ὀσφύες, ἰξία. Porro *Capragines*, quod ſequitur, non ſatis expedio, & labor, vt corrigam, *capras oryges*. Plinius talium caprarum meminit lib. 8. cap. 53. Nec præterit me illud Iuuenal. *Et Phœnicopterus ingens & Getulus oryx, habiti lautiſſima ferro cæditur* &c. Columella non luxuriæ ſolum ſed lucro quoq. feciſſe hæc animalia ait lib. 10. *Nec minus*, inquit, *Orygum, ceruorumque genera & aprorum, modo lautitiis & voluptatibus dominorum ſeruiunt, modo quæſtui ac reditibus.*

*Patina piſcium, patina ſuminis.*) Hinc *patinarius* apud Plautum: *Is habet ſuccum, is ſuauitatem, eum quouis pacto condias, vel patinarium vel aſſum, vorſes quo pacto lubet.*

*Panes Picentes*) Plinius: *Durat ſua Piceno in panis inuentione gratia.* Martialis:

*Picentina Ceres niueo ſic nectare creſcit,*
*Vt leuis accepta ſpongia turget aqua.*

## CAP. X.

PAG. 287. *Inter ſtudioſa numeraſſe ſaltandi meditationem*) Puto fuiſſe, *ſtudia ſeria*. Scriptus variat legitque, *ſtudioſas*. Sed Seneca Pater huc fecerit; *Cantandi*, inquit, *ſaltandique nunc obſcæna*, vel vt in membranis inueni, *obſcæua*, *ſtudia effeminatos tenent.*

In Seneca varia lectio.

*Cum cinædulis & ſambuca pſalterioque*) Anglicanus, *ſabuca*; forte, *ſabulo*, cuiuſmodi organi muſici meminit Apuleius 2. Floridorum; *Dextra pſallentis geſtu ſuo* (an *ſue*?) *Sabulum cithara admouet, ceu parata percutere.* Deinde pro *cinædulis*, malim, *cinædicis*. Varro:

*Et orthophallica attulit pſalteria,*
*Quibus ſonant in Græcia dicteria,*
*Qui fabularum collocant exordia,*
*Vt comici, cinædici, ſcenatici.*

*Inter cinædos virgines puerique ingenui*) Iuuenalis:

— *Conſcia matri*
*Virgo fuit; ceras nunc, hac dictante, puſillas*
*Implet, & ad machos dat eaſdem ferre cinædis.*

Ita

Ita enim legendus ex libro ſcripto Iuuenalis, nam vulgo: *machum & eiſdem.*

PAG. 288. *Et annulo aureo ab eodem dictatore donatus eſt.*) Martialis, *Annuli.*

*Ante frequens, ſed nunc rarus nos donat amicus:*
*Felix cui comes eſt non alienus eques.*

Quo lemmate duplicem ritum noto, alterum hunc ſeu vulgarem de donandis inter amicos annulis: Alterum vero non ita tritum, ſoluiſſe videlicet veteres & potiſſimum magnates amicis digredientibus comites adeſſe, idque ad annulos hærere nuncupatum. Martialem ſane ita capio, & corrigo locum e Panegyrico Conſtantino Cæſari dicto, qui iam diu ſumma torſit ingenia:

*Quid oro ſibi voluit? quid optauit? aut quid amplius adipiſceretur his, quæ a te fuerat conſecutus? cui tu ſumma & diuerſiſſima bona, priuatum otium & regias opes dederas: cui digrediendi ad annulos ſederas: cui impenſius etiam quam tibi occurrere obſequia noſtra mandaueras.*

Panegyricus enodatus & fors correctus.

Corrigo, inquam, *cui digredienti ad annulos hæſeras.* Plinius Panegyr. *Tenuis adhuc & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat.* Iterum Martialis,

*Quis largitur opes veteri, fidoque ſodali?*
*Aut quem proſequitur non alienus eques.*

Et hinc natum reor amicos primos, ſecundos, de quis v. de Beneficiis Seneca, *dextram, ſiniſtram* magnatum indigetatos. Statius:

*Vidi omni te pridem in flore iuuentæ*
*Te magna propius, propiuſque accedere dextra.*

Martialis clarius; *Lydia dicebar domino fidiſſima dextra.* Porro de donandis annulis; ij potiſſimum iis ornabantur, qui equeſtrem ſpectabant dignitatem. Suetonius Vitellio, cap. 12.

In Suetonio coniectura.

*Ac primo imperij die aureis donauit annulis ſuper cœnam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus eſſet ſeueriſſime talem equeſtris ordinis maculam.* Iterum idem, Galbâ, ſed loco controuerſo quem ita legam: *Libertus Icelus, paulo ante annulis aureis & Martiani cognomine ornatus, ac iam ſumme equeſtris gradus canditatus.* Scriptio enim vetus eſt, *ſumma equeſtris gradus.* At *ſumme* indubie ſcripſit intellexitq. ἐξόχως eius ordinis Icelum iſtum candidatum. *Summi* quod in Animaduerſionib. amplectitur & tueri nititur vir doctus, neſcio qui probem. Gloſſariū: ἄκρως, *ſumme, eximie, excellenter.*

CAP.



## CAP. XI.

*Atratus vt filiam luxit*) Nam, vt narrat Ælianus, ita in amoribus habita Craſſo ſua muræna, vt puellari eam & habitu & mundo adornaret, & addit, καὶ καλοῦντος τοῦ Κράσσου τὸ φώνημα ἐγνώριζε, καὶ ἀνενήχετο· καὶ ὀρέγοντος ὅτου, ἤδη ἤσθιε, προθύμως καὶ ἑτοίμως λαμβάνουσα. *Et appellantis vocem Craſſi agnoſcebat, & ad eum adnatabat, cumq. ei quippiam porrigebat edendum, prompto & parato animo accipiebat.*

*Domitius in ſenatu hoc ei quaſi deforme crimen obiecit*) Iterum Ælianus: καί ποτε Δομιτίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος, Ὦ μωρὲ μύραιναν ἔκλαυσας τεθνεῶσαν· ὁ δὲ ὑπολαβὼν, Ἐγὼ θηρίον ἔφασε, σὺ δὲ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἔκλαυσας. *Et cum aliquando Domitius ei dixiſſet, ſtulte, murænam fleuiſti mortuam. Ego vero, inquit Craſſus, fleui; tu autem ne tres quidem vxores, quas ſepulturæ mandaſti, fleuiſſe vnquam viſus es.* Ita fere interpres; at ſi verteris: *Et cum aliquando Domitius ei dixiſſet, More murænam fleuiſti mortuam; Ego vero, inquit, beſtiam; Tu autem ne tres quidem vxores ſepultas luxiſti.* magis liquebit acumen.

Æliani locus expoſitus.

*Quod Rhegium a Meſſana reſpicit*) Libri forte non abſone, *a Meſſana deſpicit.* Varro; *Inter Italiam & Siciliam, qui fretus eſt inter Rhegium & Meſſanam.*

*Papirius manu capi*) Dele, *Papirius,* volentibus libris. & ſtatim pro *flutentur* iidem *fluitent,* item, *fluctentur.* Plinius de teſtudinibus; *Vt ſolis vapore, ſiccato cortice, non queant mergi, inuitæque fluitent.*

## CAP. XII.

*Mullum vnum ſeptem millibus*) Mauult cum Iuuenale & Tertulliano Cl. V. Franciſ. Iunius, 6. *mil.* Porro hæc iſta occaſio Catoniani dicterij, *Pluris Romæ piſcem venire quam bouem,* quo & ganeonum trahit adagium eruditiſs. Had. Iunius; σήμερον ἀκτάσωμεν, quod eſſet, vt idem, ficto verbo, vertit, *hodie littoriſemus,* vt ego, *hodie amanemus. Amanare* enim apud Diomedem eſt; & Cyprianus dixit, *oculos amanare.* Sed Gloſſarij auctor ſententiæ noſtræ fundus eſt. *amana,* inquit, αἱ ἀκταί. *amanare* itaque ἀκτάζειν. Tacitus, *Noctu dieque fluxi & amana littorum perſonantes.*

Adagio Græca aliter interpreta.

*Inter alios piſces ſcarum*) Enniano elogio, *cerebrum Iouis:*

*Scarum*

*Scarum præterij, cerebrum Iouis pæne ſupremi.*
*Neſtoris ad patriam hic capitur magnuſque bonuſque.*

*Cuius ego latus in latebras reddam)* Ita forte ſcripſerit Plautus. ſuſpicari tamen liber, *in latebras condam.* Idem Epidico: *in latebras condas pectori penitiſſimo.* Turnebum vero quem *illatebras* legere reperio & tueri, quomodo ſequar?

*Ad victum optima fert ager Campanus frumentum)* Ex veſtigiis ſcripturæ apud Iohan. Sariſberienſem, fecerim: *Optimum fert ager Campanus frumentum.*

In Varrone leuis correctio.

Pag. 293. *Quippe qui veſicam plenam vini habeant)* Varro περὶ νομισμάτων; *In quo nobilius eſt Philippeum quod accipimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in veſicam.* Sed ibi legi malim, *abdamus in bulgam.* Et vſus fere pari forma verbo *condere* Caper Grammaticus; *in profundum nummi vel in arcam conduntur.*

*Quid mihi negotij eſt cum iſtis nugatoribus, quam potius)* Hinc illud in Copa, vti & obſeruatum clariſſ. Scaligero,

*Quid iuuat æſtiuo defeſſum puluere abeſſe,*
*Quam potius bibulo decubuiſſe thoro?*

*Lupum germanum) Germanum* fortaſſis ideo, vt γνήσιον oſtendat, & eum, qui inter duos pontes captus. *Catillones* deinde quid ſint, obſeruauit quoque Gloſſarius; λίχνος, inquit, *Guloſus, ligurius, Catillo.* & alibi, *ligurio,* λίχνος.

*Hunc pontes Tiberinos duo)* Legendum me monuit Franciſ. Douza, *Tiberinus' duo.* Et docebit propediem ad Lucilium ipſum.

## Cap. XIII.

Pag. 294. *Sic oculis ciuium teſtibus factis luxuriæ modus fieret)* Et hæc Syſſitiorum cauſa apud Lacedæmonios. Iuſtinus lib. 3. *Conuiuari omnes publice iuſſit, ne cuius diuitiæ vel luxuria in occulto eſſent.* Plutarchus clarius: ἐπιθέσθαι δὲ τῇ τρυφῇ καὶ τὸν ζῆλον ἀφελέσθαι τοῦ πλούτου διανοηθεὶς, τὰ συσσίτια εἰσηγήσατο.

Pag. 296. *Quos illic piſces quaſque offulas nominat)* Facit huc Claudij Cæſaris verbum: *Rogo vos quis poteſt ſine offula viuere?*

Pag. 297. *Dignus ſculna Munacio Planco)* Cenſeo legendum, *Munacius Plancus,* Is enim ſculna ſiue ſequeſter fuit, non Antonius. Qui nec potuit. Faciendum quoque



punctum poſt, *contendit.* Quomodo fere apud Iohan. Sariſberienſem.

*Vti natura eſt eius lapides abſorbuit)* Hoc Cleopatræ facinus imitatus magnifice Cæſar Caligula. Suetonius, *Vt pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: Conuiuis ex auro panes & opſonia apponeret: Aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem.*

## Cap. XIIII.

Pag. 298. *Alteris inanem bulbam madidam dari)* Bulbos capit, de quis ita Apicius: *Aqua decoquant bulbos, qui Veneris vſum quærunt.* Adagio quoque apud Athenæum eſt, incerti auctoris, hac mente: lib. 2. 25.

*Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς;*
*Nil tibi profuerit bulbus, niſi neruus adeſſet.*

Quod aſpexit indubie Iuuenalis illo verſu:

*Si tibi ſidera ceſſant*
*Nil faciet longi menſura incognita nerui.*

*Alteris nuces in procliui profundere.)* Cantabrigienſis ſcriptus: *in pliuis.* Diuinabam: *in proluuiis.* Laberius, *Quo quidem me a matronali pudore proluuiem meretricis progredi coëgit.* Apuleius, *vnguento fragrantiſſimo, proluuium Veneris ſuſcitaram.* Et Arnobius, *proluuium inteſtinorum* dixit. Porro nuces, vtpote pineas, facere ad Venerem, ex Celſo & aliis clarum eſt. *Nihil,* inquit, *ex his aſſumere quæ contrahere ſemen videntur vt bulbi, nuclei pinei* &c. Et D. Hieronymus aduerſus Iouinianum: *Non poteſtis implere opera nuptiarum niſi mulſum & carnes & nucleum ſumſeritis.* Vbi tamen *nucleus* vberioris ſenſus eſt. Omne enim medium *nucleus* erat veteribus. Celſus, quem dixi, aliquoties ſimiliter frequentauerat: at hodie *trunculi* reperies corrupte. *Internuculi* vero ſiue *nuclei* germanum eſſe, meliorum aliquando codicum opera monſtraſſe ſperabo.

C. Celſi lectio notata.

Pag. 299. *Idoneus aſſertor eſt Sueuius)* Male aliis laudatum reperio, *Succium.* Tranquillus videndus libro de illuſtribus Grammaticis, cap. 5. vbi tamen *Sauius* eſt.

*Suo poſt inde reuentu)* Magis arridet Anglicani ſcriptura, *primo inde reuentu.*

*In prælatis finibus Graiis diſſeruere)* Vetus idem veteri forma, *deſeruere.* Antiqui enim, *deſerui, deſertum* efferebant, cuius vicem hodie, *deſeui, deſitum* frequentatur. Tibullus:

*Nam*

*Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,*
*Seu vetus in triuio florea ſerta lapis.*

*Qui e nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem*) Laudat ex Ciſtellaria Macrobius, at Curculione legitur. Et nota inter trita & vulgata rem nouam; Anglicanus noſter non *eſſe* referebat, ſed *eicere*, vt manifeſto fuiſſe credam:

In Plauto inſolens lectio.

*Qui e nuce nucleum icere vult, frangat nucem.*

Certe conuenienter & honeſte ſic frequentabitur; & redonanda hæc dictio eidem Plauto etiam Truculento. Editur ſcen. *Nam omnis ætas.*

Idem correctus.

*Sin iecit rete piſces ne effugiant cauet.*

Scribendum aio: *Sin icit rete piſces, ne eff.* *Icit* ſimiliter interpreter, fixit ſiue attraxit. Nec aliter Vidularia: *Ibi vt piſcabar fuſcina ici vidulum.*

CAP. XV.

PAG. 301. *Alia interim matureſcunt*) Præfero ſcriptionem Anglicani; *alia interim procreantur.* Palladius: *Quod ego in Sardinia, & in territorio Neapolitano in fundis noſtris comperi (quibus ſolum & cælum tepidum eſt, & humor exundans) per gradus quoſdam ſibi ſemper poma ſuccedere, cum maturis ſe acerba ſubſtituant, acerborum vero ætatem florentia conſequantur.*

*Mileſium, murteum*) Vetus, *muſteum*, quod placet. Plinius: *Dixit volema Virgilius a Catone ſumpta, qui & ſementiua & muſtea nominat.* *Muſtea* vero, vt idem annotat, dicta a celeritate miteſcendi.

*Cruſtuminum ac Nauianum*) Hæc *fragilia* Celſo. *Ex pomis*, inquit, *caraſium, morum, ſorbum. Pirum fragile, quale Cruſtuminum vel Nauianum.*

CAP. XVI.

*Aſinaſtra, atra*) Editio Lugdunenſis non habet hoc loco, *atra*, forte quia ſequitur ſtatim, *Tellana, atra.* Alij libri conſtanter agnoſcunt. Quocirca laborare potius putem quam abundare. Et fuerit fors, *aratia.* Plinius mihi tibicen lib. xv. cap. XXIX. *Eſt & Herculanea, & albicerata, & aratia alba.*

*Tellana atra*) Idem Plinius, vt iam laudaui, diſparate, *Tellana, atra.*

Pag. 302. *Vbi nunc Falernũ eſt*) Scriptus diſerte, *Salernum.*





*Vt exorto iubare eloquio Symmachi domi ſuæ fruamur*) Nugæ verborum. Cum Scripto reſcribendum: *Vt exorto iubare, eloquio Symmachi doniſque fruamur.* Non enim apud Symmachum ſequens aut vlla harum habita diſſertatio, ſed apud Vettium Prætextatum. Liquet vel ex iis quæ ſuppleuimus initio ſequentis libri. Alluſit autem ad dona quæ mitti mos Saturnalibus.

*Eloquio Symmachi*) Nec turbet quem, quod non Symmachus ſequenti ſtatim libro, ſed Prætextatus eloquij partes ſuſtineat. Fit autem id ideo quod libri quinque reliqui, vnius conuentus, id eſt, ſecundi diei ſermo ſint. Quatuor eorum, id eſt, Tertius, Quartus, Quintus & Sextus ante cænationem de Marone pertractant. Septimus tandem ipſius conuiuij conſeſſum & ſermonem continet. atque ibi Symmachus dicendi vices, quas hic epularis & varius ad eum ſermo perduxerat, aſſumit. Hoc annotandum cenſui, quia non ſatis hæc hactenus, imo omnino non ſpectata ſunt.

*Atque ita facta diſceſſio eſt.*) Iſtis adde quæ notauimus ſub finem Sexti.

# IOHAN. ISACI AD LIBRVM III. SATVRNALIORVM NOTÆ.

CAP. I.

CONGREGATIS *in tempore conſtituto*) Omnia hæc aduſque, *Tu genitor cape Sacra manu*, ex veteri eodem eruimus, genuina germana Macrobij noſtri. PAG. 303.

*Promiſiſti fore*) Supra pag. 258. *Et ſi tanta*, inquit, *diſſertationis ſermo non ceſſerit, promitto fore vt Virgilius noſter pontifex maximus aſſeratur.*

PAG. 304. *Patri ſuo ſic loquentem*) Quod in vetuſtis licet libris eſt; *Violatum cum ſe noſſet Æneas multa cæde pollutũ, ait.*

Senſui ſolum turbando eſt. In Scripto quodammodo quoque comperi, ſed confuſum & lacerum.

*Prius eum purificari oportere*) Martialis ad Domitianum: *Meminerit non niſi religionis purificatione luſtratus, accedere ad templa debere*. Gloſſarium, *ἁγνίζω, purgo, purifico.*

*Tu genitor cape Sacra manu patrioſque penates*) Reſpexit Seneca libro de Beneficiis 3. *Cum complexus ſacra ac penates religioſus ſenex, vadentem non ſimplici ſarcina premeret.*

*Potiretur Tibridis alueo*) Vocem, *alueum*, contrahere poëtis ſolenne. Et vidi tamen vbi nec id deuenire ad nos potuerit inuiolatum. Certe inſigne illud Papinij Propemticon ſuper Metio Celere labem hanc ſenſit ſtatim ſub initium. Vulgant enim verſu 5. *Iuuenis dubio committitur alto Metius.* Nam licet recte dici poſſit, *dubio alto*, hîc tamen quomodo recte dicatur? Dixerat iam verſu ante ſe mari & Neptuno concredere ſuum Celerem; hîc ſi ſubito adeo iteret, nonne παλιλογία etiam vatibus inepta ſit? Omnino itaque verum, quod volo; fuiſſe videlicet: *dubio committitur alueo.* & firmat non leuiter, quod ſubdit; *atque anima partem ſuper aquora noſtra maiorem transferre parat.* Vbi transferendi vox de mari coacte, de naui liquido intelligitur. Sed vt hoc de carina capiendum & corrigendum; ita viciſſim ad priorem illam & Maronis formam ipſe Maro emaculandus, ſi recte diuino, illo loco Catalect. — In Papinio diuinatio.

*Flauum prope Tibrim olentes nauticum*
*Vocare.*

Nam amem refingere: *Alueumque propter Tibrim olentes nauticum Vocare. Alueum Tibrim*, vt, *rete iaculum, Marmora monumenta*, & talia. Omnino autem illud de *Tibri* intelligendum & vero iam alueoſo & ab aquis ſterili. Docent vel illa ſequentia: — Et Marone.

*Vbi appulſa rates*
*Stant in vadis cano retenta ſordido*
*Macraque luctantes aqua.*

Item lapis vetus: CVR. ALBEI TIBERIS ET CLOACARVM VRBIS.

*Cum Sacra Diis inferis inſtituit*) Erat in calamo exarato: *inferis ſtatuit.* Et ea vox propria ſacrorum eſt. Maro: *Crateraſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui.* Reſpexiſſe quoq. Suetonium credam Auguſto, ſub finem: *Quem vellet incidi in aneis tabulis, qua ante Mauſoleum ſtatuerentur.* Vbi tamen inſolentia



inſolentia dictionis ſuſpecta accuratiſſimo Caſaubono; quaſi *pilis* potius conueniat verbum, *ſtatuerentur.* Ego non ſollicitem. — Firmata Suetonij lectio.

CAP. II.

PAG. 305. *Qui adiecit in fluctus*) Retraxerim ex proxima dictone, literulam, *Quia adiecit.*

*Exta porriciunto, diis danto*) Ita refinximus ex Scripto, in quo: *porriciunto diſtante.*

CAP. III.

PAG. 308. *Quid ſacrum, quid ſanctum*) Inſerit Anglicanus, *Quid ſacrum, quid prophanum.* Quod germaniſſimum eſt. & agitur de eo altero ſtatim loco. Plautus etiam dixit: *Quid ſacrum, quid prophanum habeas, parui penditur.*

CAP. IIII.

PAG. 311. *In quo Deum ponerent delubrum*) Gloſſarium, *delubrum*, καθίδρυμα, Ζόανον, Ἀνάθημα, item, ἵδρυμα, *delubrum.*

PAG. 312. *Penates proprie dici ϑεοὺς μεγάλους*) Petron. *Dij maiores ſunt qui me reſtituerunt in integrum.*

CAP. V.

PAG. 315. *Hoſtia qua ad aras duceretur*) *Ducere* ſolennis ea in re dictio, & reddenda Iuuenali Satyra 12. *Niueam regina ducimus agnam*, ex Scripto noſtro. Vulgo *cadimus.* At illud interpres quoque vetus agnoſcit. — Iuuenalis vetus ſcriptura.

CAP. VI.

PAG. 316. *Deli ara eſt Apollinis γενέτορος*) Meminit Laërtius Diogenes lib. 8. Βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ γενέτορος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ κερατίνου, διὰ τὸ πυροὺς καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδέν. *Adoraſſe modo (Pythagoram) Apollinis Genitoris aram in Delo, qua retro corneam eſt poſita, quoniam farra, hordeum, placentaſque ſolas citra ignem apponere illic moris eſt, victimas vero nullas.* Flaccus quoque alluſit: *Phœbi Genitoris ad aram Ventum ait.*

PAG. 317. *Maſſurius Sabinus*) *Maſurius*, ex Perſio, *Maſuri rubrica.* Notauimus ſuperius pag. 589. & probauimus ex interprete vetere. cui addas velim ex Athenæo: Οἱ δὲ ἐν τῷ

δείπνῳ δῆθεν ἐπιδημήσαντες δειπνοσοφισαὶ ἦσαν: Μασούριος, νόμων ἐξηγητὴς, καὶ πάσης παιδείας οὐ παρέργως ἐπιμέλειαν πεποιημένος, id eſt, *illi autem dipnoſophiſtæ qui acceſſerant ad conuiuium hi erant; Maſurius legum interpres, quique non leuiter omnes diſciplinas attigerat.* Exſtat in Argumento Operis.

*Decimam Herculi profanauit*) Profanare in his Maſurij verbis non βεβηλοῦν eſt, vt ſupra in Trebatij, ſed πρεσβεύειν. Varro *fanare* dixit lib.5. Verba eius, quia huic loco vnice illuſtrando ſunt, ſic habent: *Hinc profanum eſt quod ante fanum*, id eſt, *coniunctum fano. Hinc profanatum quod in ſacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quo fanatur, id eſt, vt fani lege ſit id dicitur. Pollutum* (malim, *lege ſit. Id dicitur pollutum*) *quod a porriciendo eſt fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tum pollutum eſt: vt cum profanatum dicitur, id eſt, proinde vt ſit fani factum.*

## Cap. VII.

Pag.319. *Tarquitij tranſcriptus ex oſtentario Thuſco*) In veteri recte: *Tarquinij.* Supra: *Tarquinius autem Priſcus in oſtentario arborario.*

*Sacrum Haleſum facit quia erat oppetiturus*) Fortaſſis eadem hac ratione, *ſacrum* appellat imperatorem Claudium Seneca Tragicus, cum iam Agrippinæ occultis artibus, res eius & vita in extrema ſtarent regula. Verſus eſt 153. Octauiæ,

*Auſa imminere eſt hoſtis imperio ſacri.*

In Tragico Seneca inuiſa hactenus lectio.

Ita enim diſerte exſtat in Codice veteri & ſcripto, quo ego apud Britannos nuper vſus. Vulgo eſt, *Orbis imperio ſacri.* At *hoſtis* peregrinitatem Claudij notauerit. Erat enim, vt ait ille, Lugduni natus, Gallus germanus. Cogitabitis tamen vos curioſi.

## Cap. VIII.

Scriptura Gloſſarij conſtituta.

Pag.320. *Vti alma noctiluca eſt*) Gloſſarius, *Nocticula* Ἑκάτη νυκτιφάνεια. Scribendum fors *Noctiluca.* Sed in Ioh. Sariſberienſe lib.2.c.17. reperio Gloſſarij lectionem: *Quale eſt quod nocticulam quandam vel Herodiadem, vel præſidem, noctis dominam concilia & conuentus de nocte aſſerunt conuocare.* Vbi refingendum obiter; *heroidem. Heroides, ἡρωΐνας.* Papinius: *Quæ veteres Latias, Graiaſque heroidas æquas.*

Quod



*Quod eadem & mas æſtimatur & fæmina*) Et hoc eſt quod Parthi eam *Lunum* coluerunt non ſexu ſolum, ſed nomine quoque maſculo.

Pag.321. *Iulius Feſtus*) Indicatum iam aliis, reſcribendum videri, *Pompeius Feſtus.* At libris auctoribus deſtitutus quis mutet?

*Ait dixiſſe Callimachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium*) In eadem voce Varro lib.6. *Verbum Græcum, arbitror, quod apud Callimachum in poëmatis eius inueni.* Porro interpres Apollonij; Κάσμιλος Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος.

*Caſmillos & camillas appellabant flaminicarum & flaminum præminiſtros*) Iterum Varro: *Camillam qui gloſſemata interpretati ſunt dixerunt adminiſtram.* Et ſtatim, *Dicitur in nuptiis Caſmillus, qui cumerum fert, in quo quid ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt.* Sed bene emendatum Scaligero: *extrinſecus neſciunt.* Et forte inſuper faciendum: *in quo quid inſit myſterij.* Porro de Macrobij hoc loco & *Caſmillis* quid ſenſerit Turnebus operæ eſt videre in Aduerſariorum libris.

Ad Varronem coniectura.

## Cap. IX.

Pag.323. *Deos habere captiuos*) Arnobius: *Iſta non prima & maxima contumelia eſt, habitationibus Deos habere diſtrictos?*

*Sunt qui Angeronam*) Variæ ſuper hac Dea opiniones. Clariſſimus Scaliger ad Varronem, amat reſcribere; *Angenora*, quia cohibet os & Dea ſit ἐχεμυθίας, vnde Sophocles, ὡς καὶ χρυσέα κλῃς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν. Verrius vero ideo Angeronam dici cenſet *quod angores ac animorum ſolicitudines propitiata depellat.* Maſurius propterea ore obligato in Volupiæ ara collocatam docet, quod qui dolores ſuos anxietateſque diſſimulat, perueniat patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Iulius autem Modeſtus Feſti fere rationem adfert, quem adi. Gloſſarius denique nulli horum conſentit, ſed conſilij atque oportunitatum Deam facit. *Angerona*, inquit, ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν. Quod Conſo tribuit in *Conſulia* Feſtus. *Conſi*, inquit, *quem Deum conſilij putabant.*

Pag. 325. *Exceſſere omnes adytis*) Quid etiam hic ex Æſchyli interprete, obſeruet Turnebus, videndum Aduerſariorum 14. cap.15.

## CAP. X.

PAG. 326. *Et nos, inquit, manum aliquando ferulæ ſubduximus & nos cepimus pontificij iuris auditum*) D. Hieronymus ad Domnionem: *Et nos didicimus literas & nos ſæpe manum ferulæ ſubduximus.* Reſpexit vterque Iuuenalem Satyr. 1. *Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.* At Iuuenalis quia tam commode incidit, non differam hac occaſione vadimonium; ſed paucula in eo poſt eruditos & ſerios cenſores, vel ingenio vel libro indice obſeruata, propalabo. Exſtat Sat. 2. *Nemo repente fuit turpiſſimus.* Sed antiquiſſimum & ideo veriſſimum eſt, quod ego in Scripto meo veteri inueniebam: *Nemo repente venit turpiſſimus.* Propertius: *Non tamen hæc vlli venient ingrata legenti*, item, *Seu triſtis venias, ſeu contra latus amicis.* Deinde Satyra 6. hærent omnino iſta;

Iuuenalis bis ter emaculatus.

*Quædam parua quidem, ſed non toleranda maritis.*

Niſi ex eodem expediamus; *Quædam parua loquar.* Et ſolent ſic poëtæ, Tibullus, *Magna loquar; ſed magnifice.* &c. Sed leue id tamen. Illud vero grauius paulo ibidem ſtatim:

— *Nec illud*

*Quod prima pro nocte datur, cum lance beata*
*Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.*

Intelligit, vt ait vetus Gloſſarius, ſolidos ita ſignatos, qui pro virginitate depoſita, nouæ nuptæ offerebantur. Bene quidem ille. At vetus noſter non *ſcriptum* illud *aurum* agnoſcit; verum vt ego coniecto valde ſignanter dictum poëtæ, ſuſpicari dat: *Scutile radiat Germanicus auro.* Nam *ſculta* reſeruat. Eſt, autem *ſcutilum*, quod fere vt aranearum telæ, variegatum eſt. Plinius: *Quanta arte celant pedicas, ſcutilato rete graſſantes.* Hinc ad veſtes tranſlatum eſt. Idem Iuuenalis:

*Reticulumque comis auratum ingentibus implet*
*Cærulea indutus ſcutilata, aut galbana raſa.*

Valerius denique Martialis loco, quem iam refinximus, quam ſimillime dixit:

*Sic implet gabatas paropſidaſque*
*Et leues ſcutulas cauaſque lances*

Vbi & *ſcutulas*, (licet alio ſenſu) & *lances* ſimiliter iunxit. Quod vel vnicum coniecturam noſtram firmet. Sed plura ſunt quæ in hunc poëtam annotauimus, alibi commodius dicenda. Nunc μνημονευτέον Μακροβίῳ.

CAP.



## CAP. XI.

PAG. 328. *Vnde menſa hoc ritu dedicata*) Apud Petron. eſt: *OEnothea menſam veterem poſuit in medio altari, quam viuis impleuit carbonibus.*

*Quæ cum ara maxima more vtique religionis fuerat dedicata*) Formula dedicationis aræ fere talis eſt: QVANDO. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQ. HIS. LEGIBVS. HISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQ. QVAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. VTI. INFIMVM. SOLVM. HVIVSQVE. ARÆ. TITVLORVMQVE. EST. SIQVIS. TERGERE. ORNARE. REFICERE. VOLET. QVOD. BENEFICII. CAVSA. FIAT. IVS. FASQVE. ESTO. cetera vide in Notis ad Feſti Scedas.

PAG. 329. *Ad diem duodecimum Kalendas Ianuarias Herculi & Cereri faciunt ſue prægnate, Panibus mulſo*) In Camerarij & vetuſte cuſo eſt *Penatibus mulſo*, nec aliter fuit in Scripto noſtro. Falſum tamen, & certum mihi reſcribere: *panibus, mulſo.* Probauerat Maronem per, *mitem Bacchum*, *mulſum* intellexiſſe. reſtabat itaque vt & Cereri mulſo libatum antiquitus oſtenderet. Cur autem *panibus* factum Feſtus quodammodo aperiet: *Panibus*, inquit, *redimebant caput equi immolati Idibus Octobribus in campo Martio, quia ſacrificium fiebat ob frugum euentum.* Hæc exaraueram, cum video firmatam coniecturam eam Gryphiano calculo, qui plane, quomodo coniecimus, edidit.

## CAP. XII.

PAG. 330. *Cui vincla iugalia curæ*) Quæ deinde ſequuntur ad finem vſque libri huius, ex eodem Cantabrigienſi expleuimus. Seruio vero vti iſta dicendi partes dat, ita apud eundem quoque ad Maronem, eadem fere inuenies. Paucula tamen meliora hic quam ibi reperies, vti iſtud: *Sic propitius ſupplicamus.* nam ibi eſt: *Sic protinus inuocamus.* Porro, *Themiſeria* adſcriptum expreſſimus, quæ Seruio & aliis *Themiſphoria*. Arnob. *Vultis enim conſideremus myſteria & illa diuina, quæ Theſmophoria nominantur a Græcis: quibus gente ab Attica ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt.*

In Seruio melior lectio.

*Leges Ceres dicitur inueniſſe*) Tribuit item politicum munus Cereri Homerus in eius Hymno: χαῖρε θεὰ, καὶ τήνδε σάου πόλιν.

 *Quæ*

*Quæ feritas interrupta eſt inuento vſu frumentorum*) Erant enim id æui homines βαλανηφάγοι. Vnde & vetus illud natum, ἄλλος βίος ἄλλη δίαιτα.

PAG. 331. *Facturi aliquid ante aduerſos placamus* Deos *& ſic propitiis ſupplicamus*) Reſpexit etiam magnus Hippocrates libro de inſomniis: καὶ τοῖς θεοῖς εὔχεσθαι (χρὴ) ἐπὶ μὲν τοῖσιν ἀγαθοῖσιν, ἡλίῳ, Διὶ οὐρανίῳ, Διὶ κτησίῳ, Ἀθηνῇ κτησίῃ, Ἑρμῇ, Ἀπόλλωνι. ἐπὶ δὲ τοῖς ἐναντίοισιν, τοῖσιν ἀποτροπαίοισι, καὶ γῇ, καὶ ἥρωσιν ἀποτρόπαια γενέσθαι τὰ χαλεπὰ πάντα. *Et diis ſupplicare oportet; in ſecundis rebus, Soli, Ioui cælesti, Ioui poſſeſſori, Mineruæ opulentæ, Mercurio, Apollini. In contrariis, diis depellentibus & terræ & heroibus quo mala ac grauia omnia auertant.*

# IOHAN. ISACI AD LIBRVM IIII. SATVRNALIORVM NOTÆ.

CONVIVIORVM QVARTI DIEI) Imo SECVNDI adhuc; quod monuimus ſub finem libri II. & probamus porro ſub finem VI.

## CAP. I.

PAG. 332. *Tunc Euſebius*) Libri huius initium, cum hactenus ſimiliter editionibus omnibus exularet, quale excudi curauimus, in Anglicano ſiue Veteri deprehendimus. Tantum pro: *orationibus patheticis ſtudere eſt*, ſententia & re exigente refinximus expreſſimuſque: *ſtudere palam eſt.*

*Nec magis incepto*) Huculque ex M S. Ad oram quod potuimus, aduſq. *inuitus regina*, memoriæ noſtræ ἁμάρτημα eſt.

## CAP. II.

PAG. 334. *Quoniam ſatis indignanti leniter incipere non conuenit)* Quid eſt? *ſatis indignanti?* An *fatis indig.* & de Iunone capiendum, cuius iſtud ſubnectitur? *Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris Fata Phrygum.* Sed hoc niſi ſit omnino legendum credam: *ſatiſagenti*, quia & Scriptus, *ſatis indignanti*, pertinaciter præferebat. Agellius, lib. 9. *Inſtruebaturque acies a conſulibus de vi ac multitudine hoſtium ſatiſagentibus.* Mihi certe id blanditur. Et quis ignorat Agellium Macrobiani oris quaſi normam?

PAG. 335. *Vides quam ſæpe orationem mutauerit ac frequentibus figuris variauerit*) Abſque libro fuiſſet non offendiſſem. Sed erat in illo, *procedentibus*. Feſtus, *procedere dicebant interdum pro ſuccedere.*

## CAP. III.

PAG. 336. *Ante ora parentum*) Nec ille verſus ab re, quem ſubſerunt veteres: *Pubenteſque genæ, iuuenili in corpore pallor.* Vbi & M S. habebat, *iuuenali*. Auſonius: *Facete, comis, animo iuuenali ſenex.* Virgilij alia lectio.

PAG. 337. *Illuſerit aduena regnis*) Fortaſſis & ita reliquerat lib. 4. in aſteriſmo Aquarij Manilius: Manilius tentatus.

*Littoribuſque nouis per luxum illudere ponto.*

Non vti vulgatur, *ludere*. Innuit enim nouos fabricaturum ſiue euripos ſiue lacus, quibus, ſpreto quaſi oceano, luxuriabitur. Legi, ni fallor, apud Tacitum: *Et quaſi in ſumma abundantia pecuniæ illudere*, quod a Maniliano hoc non admodum diſcedit aut diſſidet.

## CAP. IIII.

PAG. 340. *Se pulſatum cothurno*) Non inueniebam in Veteri, *cothurno*. Et tamen tale quid requiritur.

PAG. 341. *Aqua inuoluens nauemque viroſque*) Solet enim in eiuſmodi ſemper caſu cenſeri ac notari ipſa potiſſimum nauis, vt cardo videlicet diſcriminis omnis aut ſalutis. Obſeruauit quoque Rudente Plautus:

CH. *Pol minime miror, nauis ſi fracta eſt tibi*
*Scelus te & ſceleſte parta quæ vexit bona.*

Sed eiuſdem Plauti in re ſimili locus Trinummo, manifeſto non contaminatus ſolum, Scena, *Salſipotenti*, ſed hactenus quodammodo depoſitus. Verba ſunt:

*Lætus, lubens laudes ago, & grates gratiaſque habeo*
*fluctibus ſalſis,*
*Quos penes mei poteſtas boni, miſque foret & mea vita.*

 Inter-

Interpres tamen attollere conatur: *Quos penes mei poteſtas, bonorumque foret & mea vita.* At quis non videt in *mei* & *mea vita* liquido idem iterari? Et taceo ſuperuacuam talem correctionem cum vulgatum eiuſdem valoris ſiue ſenſus ſit. Nam *mis* gignendi caſu antique pro *mei* quid ni feramus? Deinde quietum & in ſua forma relinquendum illud; *mei poteſtas boni.* Nam *bonum* vnitatis numero pro peculio & rebus, Plauti genuinum germanum eſſe probabimus aliquando, ſi Deus & Muſæ volent, in *Decimationum libris.* Alia itaque via ad medicinam graſſandum; Verſus, inquam, ſyllaba vnica ad formam illam Maronis ſiue, quam protuli ex Rudente, Plauti augendus, & cetera aperta exibunt ac ſana: *Quos penes mei poteſtas boni, nauiſque foret & mea vita.*

Plautus, ſi fors, correctus.

### CAP. V.

PAG. 345. *Qua de forma dixit)* In ſcripto erat *fame.* Camerarij editio ad oram, *fama.* Veriſimile eſt reſpicere deſcriptionem *fama*, apud Maronem.

### CAP. VI.

Solini vetus lectio.

PAG. 347. *Fruſtrata vocatus haſta meos)* Sic cap. I. Solinus, *ob meritus profana vocis, neci datum.* Vulgatur tamen, *meritum.* Sed illud ſcriptum vidimus.

Maro emendatus.

PAG. 348. *Morienſque ſuo ſe in ſanguine verſat)* Immenſum melius Anglicanus noſter: *Suo ſe in ſanguine merſat.*

PAG. 349. *Vitrea te Fucinus vnda)* Apuleius; *videt fontem vitreo latice placidum.* Et poſſint huiuſmodi ad comparationẽ plurima aduocari; ſed ego ambitiones illas libens euito: tantum quod tali contentione melius fieri poſſe putem, non reticebo. Et, recte ſi iudico, tale eſt apud eundem Apuleium libro Mileſ. I.

> *Et haud ita longe radices platani lenis fluuius in ſpeciem placidæ paludis ignauus ibat, argento vel vitro æmulus in colorem. En, inquam, explere latice fontis lacteo. Adſurgit & opertus.*

Inſimulat enim poſterius membrum vitij varietas lectionum. Nam & *laceto* & *laqueo* reperitur in Scriptis. Deinde cum æmulus fuerit iſte latex argento vel vitro in colorem, quomodo *lacteus* locum hic habeat? Placuit Grutero, *tacito adſurgit.* Sed cui bono tam inſidioſa hic & ſollicita ſurrectio? Omnino ἐπίθετον aliquod hujus *laticis* deſiderari exiſtimem,

idque



idque a vulgi ore remotius, fueritque ni fallor: *Latice fontis bracteo. Bracteam* laminam quandam tenuiſſimam ex Iſidoro & aliis ſcimus. Hinc *Bracteus* & *bracteum* quod politie & leuigatura probe & decenter exaſciatum ſit, qualis in ſpeciem vel hic amnis depingitur Apuleio. Nec aliter philoſophus Seneca *bractealem felicitatem* dixit, quæ externo illo mundo & apparatu ſpectantium faſcinat oculos. Et Prudentius *fulgorem* nominauit *bractealem.* Sed Lucius *bracteus* & *bracteum* maluit quomodo a *pluuia pluuius* & *pluuium* vulgo frequentamus. In Gloſſario denique veteri, *Bractea* πέταλον, legend. pro, *Bratten*, quod vulgatur.

In Apuleiũ melior coniectura.

# IOHAN. ISACI AD LIBRVM V. SATVRNALIORVM NOTÆ.

### CAP. I.

PAG. 350.

SED *iſtam mihi neceſſitatem altam & profundam remittas volo)* Scriptura fere referebat, *& profundam rem mittas volo.* Sententiam meam non vrgebo pertinaciter, quod tamen iniecit ſuſpicio non ſilebo, compendio nimirum ſcribendi, elapſam fortaſſis legitimam lectionem, *neceſſitatem alteram.* Id certe a re non alienum, vt alluſerit obiter ad augurum diſciplinam, qui *alteram auem* pro non bona ſiue improſpera vſurpabant. Vnde poſtmodum, vt Feſtus docet, *Alter* pro *aduerſo* ſubinde dicebatur ac *malo.* Quid? nonne conuenienter hic & loco ſic frequentabitur, vbi Auienus Euſebio inopinam illam & odioſam contentionem oggerit atq. expetit ſuper Marone videlicet ac Tullio? Scripſerit itaque Macrob. *neceſſitatem alteram & profundam rem mittas volo.*

CAP.

## CAP. III.

*Vel certare præter Herculem robore*) Scriptus, *clarere præter Herculem*, non abſone; nam vt verba Firmiani ſunt, *Hercules ob virtutem clariſſimus*, cap. 9. lib. 1.

*Nec amplius vllæ apparent terræ*) Seneca Troade non diſſimiliter:

*Et nihil præter mare cum viderent*
*Vnici terris homines relictis.*

Quod ex Scripto ita refingimus, cum in excuſis ſit, *relicti*.

## CAP. V.

*Volucrique ſimillima fumo*) Ita conceptus etiam in Scriptis hic verſus. Vulgo, vt notum, *ſimillima ſomno*. Sed dixit & alibi Maro: *Et tenues fugit ceu fumus in auras*. Et apud Sophoclē lego: καπνοῦ σκιά. Nolo tamen magnopere defendere.

## CAP. VII.

*Vinaque fundebant pateris, animamque vocabant Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos*) Geminus quidem ſed controuerſus apud Tibullum locus lib. 3. Elegia 2. Ego vt relictum poetæ credo, appingam:

*Præfatæ ante meos manes, animamque rogatæ,*
*Perfuſæque pias ante liquore manus.*

Nam ita editiones omnes vetuſtæ & optima illa Scaligeri membrana. Maluerunt tamen correctores, *animamque precatæ*. quod putabant *rogari* non dici vt *precari*. At ego exiſtimo omnino; imo non aliter accipiendum, quam illud Maronis *animamque vocabant*. Extulit enim Tibullus, *animamque rogatæ* ἀρχαϊκῶς patiendi potius quam agendi verbo. Valerius Max. *Spreto mortali habitu, diuinum captatus eſt.* Item Solinus ſi cum ſcriptis legatur: *Egredientem in littore occurrens honoratus eſt*, nam vulgo, *honorauit eum*. Deinde *rogare* & *vocare* quam cognata ſint docet vel illo Apuleius, *clamitans roganſque vicinos*: Et Macrobius noſter lib. 1. c. 2. *ad cænam tum rogatus*. Et dum bella adeo occaſio eſt, addo vocem *rogare* ἁπλῶς veteribus frequentatam in ſolennibus conuiuiorum inuitationibus, quomodo *vocare* vſurpatum, aliis abunde diſputatum. Apuleius 1. Mileſ. *Et ecce Fotis ancilla, rogat te, inquit, hoſpes. At ego iam inde Milonis abſtinentiæ cognitor, excuſaui comiter.* Iterum lib. 3: *Et ecce quidam intro currens Famulus, rogat te*, inquit, *tua parens Byrrhena, & conuiuij cui te ſero deſponderas, iam appropinquantis admonet.* Hoc cum ita ſit, Lucij, qua locutione, parentem Plautum hanc etiam ad formam redigendum cenſeo, Captiuis, Scena *Aduorte animum*.

Tibulli vetus lectio firmata.

Apuleius interpretatus.



HEG. *Age ſis roga emptum.* PA. *niſi qui meliorem afferat.* Ita enim editur, at animo meo confuſe. Nec minus intricate Lambinus, HEG. *emptum niſi*. Dico diſtinguendum legendumque: HEG. *Age ſis, rogo.* PAR. *emptum niſi qui.* Obſeruauit quoque Moſtelaria: *Hic apud nos hodie canes, te rogo.* Clariſſime itaq. liquere puto, *præfatæ ante meos manes animamque rogatæ*, idem valere ac ſi dixerit, *vbi manes meos præfatæ eritis atque animam rogaueritis*, id eſt, *vocaueritis*, quod erat demonſtrandum.

Plautus fors correctus.

## CAP. XIIII.

PAG. 400. *Non per ordinem dirigendo*) Amplector lectionem, quæ ad oram Camerarianæ editionis: *digerendo*. Naſo: *Tempora digereret cum conditor vrbis.*

PAG. 401. Ηδη γοῦ ποτ') Locus ille ex Iliados primo eſt. In editione tamen quæ penes me, vetuſtiori, laudatur:

Μέμνημαι τό γε ἔργον, ἐγὼ πάλαι, οὔτι νέον γε
Ὡς ἦν, ἐν δ' ὑμῖν ἐρέω πάντεσσι φίλοισι.
Κουρῆτες τ' ἐμάχοντο &c.

Quod exſtat Iliad. nono, & vt ego opinor, accedit quam proxime ad locum qui comparatur, iſtum:

*Nam memini Heſionæ.*

## CAP. XV.

*Vbi vero enumerantur auxilia, quem Græci Catalogum vocant*) Nec aliter fere hanc apud Plautum vocem intellexerunt viri eruditi. Exſtat locus Milite Scena, *Cohibete intra*:

*Nam conſilium ſurripitur ſæpiſſime*
*Si minus cum cura, aut catalogo loquendi lectum id eſt.*

Alciatus enim catalogum hic ordinem loquendi credidit, & neſcio quis alius enumerationem ſermonis. Lipſius litterarum harum illuſtre lumen iuſte reiecit, & ſagaciter ſubodoratus eſt: *aut cate locus loquendi lectu' eſt*. Mihi nihilominus quod in mentem venit nondum euiluit; diuinabam,

*Sin minus cum cura, aut capto loco loquendi lectum id eſt.*

Feſtus,

Iterum in Plauto coniectura.

Feſtus, *captus locus dicitur ad ſacrificandum legitime conſtitutus.* Quid autem? nonne inſigni ſimiliter metaphora Plautus *captum* ibi *locum* vocet, quem adeo curioſe & ab arbitris immunem decernendum ſatagit? Virgilius imitatus eſt, *Telum ex inſidiis cum tandem tempore capto Conicit.*

Pag.402. *Vnde progrediens modo mediterranea*) Panegyricus incerti auctoris ad Conſtantinum Mag. Aug. huius occaſione loci commode emendabitur. Editur fere ſub finem:

> *Maſſilia enim (vt audio) in profundum mare prominens & eminentiſſimo accincta portu, in quem anguſto aditu meridianus refluit ſinus.*

Quid enim eſt meridianus ſinus? Meo monitu reſcribe, *mediterraneus ſinus.*

*Hinc rapit illum Cinirus*) *Cygnus*, editiones fere omnes.

*Quoties multam necem ſignificare vult, meſſem hominum*) Hanc fere Homericam cautionem adumbrauerat Nazarius Panegyrico Conſtantino Magno dicto: imo melliori & meliori genere extulerat ſi per correctores licuiſſet. Adſcribam locum, quomodo vulgatur:

> *Non enim qui bellorum euentus ſolet eſſe per varios & volubiles caſus Mars dubius errauit, nec fortunæ viciſſitudo, quæ plerunq. proſperis rebus triſte aliquid agglutinat, victorum lætitiam vulnerauit, ſed tanta hoſtium & tam ampla cædes, tam felix & incruenta victoria fuit, vt crederes non bello ancipiti dimicatum, ſed ſolas impiorum pœnas expetitas.*

In Nazarij Panegyrico correctio.

At, ſi tam ampla cædes, quomodo itaque incruenta victoria fuerit? Scribo, *tanta hoſtium & tam ampla ſeges.* Et ita ſenſiſſe ac ſcribſiſſe, innuunt etiam illa paulo inferius; *Incrementum quidem adeptæ felicitatis malorum commemorata depulſio, verum vt in ſegetibus, etiam ſi multa, quæ humum obſederant induſtria releuanda ſunt, laborē tamen purgati ſoli neſciunt qui fructus editos intuentur, ſic Conſtantini laudibus ſatis eſt, dum efloreſcentia bona cernimus ne mala exciſa reputemus.* Præclare & valde mihi laudabiles hi Panegyrici. Plurima enim in iis melioris auræ; & ideo multa quoq. exſcriptorum imperitia ſiue æuo male habita male lancinata. Qua cauſa non tempero mihi quin vnum inſuper aut alterū in medium adducam, &, vt ominor, in medelam. Exſtat Mamertini ad Iulianum:

> *Primum quod imperitia rudes indoctiſſimum quemque in conſilium deligebant, ſcilicet vt eorum prudentia vulgo ſui aliquatenus emineret.*

Acumen



Acumen ſententiæ euoluo, faciendo: *primum quod illi peritia rudi indoctiſſimum.* Vel, *peritia rudes.* Sed attentius qui conſiderabit, probabit prius. *Rudem peritiam* appellat barbarum illud ſiue iudicium ſiue inuentionem aſciſcendi in conſilium indoctos, vt illis prudentia aliqua ipſi principes præualerent. Non abſimile quod ſequitur ſtatim:

Et Mamertini.

> *Qui ideo tantum honorem in ſuos, ne in honores contennerent, conferebant.*

Sed Stephano video placuiſſe; *ne inhonores contemnerent*: id eſſet, *inhonoratos.* At bonum ſenſum ægre ſic excito; facillime ſi legas, *ne in honores contenderent.*

Pag.405. *Stant Gaurana acies*) Libri vetuſtiores *Sarrana acies.* Propertius adumbrauit, *ſtant mihi cum domina prælia dura mea.* Et Naſo, *Iam ſteterant acies ferro mortique parata.*

## Cap. XVI.

Pag.407. *Ab Homerica ſecta*) Secta hic, vti etiam Gloſſæ docent, ἀγωγή eſt. Quod cum non ignorē, paulo magis quam qui ante me locum iſtum expediam Apulei: lib.5. Mileſ.

> *Diſſimulanter occipiunt ſciſcitari qualis ei maritus, & vnde natalium ſectacula proueniret.*

Nam præter id; ſolens quoq. criticorum peccatum, remotior, inquam, a literarum ductu deuiatio hæc hactenus in mendo ligat. Quare nec *ſignaculo*, nec tale quid aliud loci languorem tollet, at interpuncta & diuiſa leuiter vocula, quæ male coalita, exſurget germaniſſimæ lectionis & ſententiæ facies, ita: *Et vnde natalium, ſecta cuia proueniret.* Ipſe Apuleius alibi ſæpicule ſimiliter lib.9. *Nam & ipſe ſemper cum mea coniuge tam concorditer vixi, vt ex ſecta prudentium, eadem nobis ambobus placerent.* Iterum, Floridorum libro, *Enimuero & pueritia apud vos & ſecta licet Athenis Atticis confirmata, tamen hic inchoata.* Denique Burdigalenſi vati, locus, quem iam emaculauimus, quodammodo in mentem fuit. Loquitur de ſe ipſe:

Apuleius emendatus.

> *Auſonius genitor nobis, ego nomine eodem*
> *Qui ſim, quæ ſecta, ſtirpe, lare & patria.*

*Adeo vt hoc vocabulum τύχη in nulla parte Homerici voluminis nominetur*) Iohan. Sariſberienſis: *Homerus in illo celeberrima perfectionis opere dedignatus eſt noſſe fortunam, adeo quidem vt in nulla parte tanti carminis nominetur.* Et ſtatim: *Maluit enim ſoli Deo, quem Morphan nominat vniuerſa re-*

*genda*

*genda committere.* Sed ſcribes, μοίρων. Porro notat in Arcad. Pauſanias reperiſſe ſe tamen in Hymnis Cereris. Tu videbis.

*Paride iudicante doluiſſe)* Petron. *Ipſe Paris Dearum libidinantium iudex.* Iudicium vero iſtud vbi habitum obſeruauit de vrbibus Stephanus: Ἔστι καὶ τόπος ἐν τῇ Ἴδῃ τρωϊκῇ Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος, ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν διακρῖναι τὰς θεάς.

## CAP. XVII.

PAG. 409. *Vt fabula laſciuientis Didonis, quam falſam nouit vniuerſitas per tot iam ſecula)* Exſtat venuſtiſſimum ſuper eadem hac re Auſonij Epigrammatium, quod meruiſſet vel propter rotunditatem adſcribi niſi molem euitaſſemus commentationum. Clauſula tamen talis eſt:

*Inuida cur in me ſtimulaſti Muſa Maronem,*
*Fingeret vt noſtræ damna pudicitiæ?*
*Vos magis Hiſtoricis lectores credite de me,*
*Quam qui furta Deum concubituſque canunt*
*Falſidici vates: temerant qui crimine verum:*
*Humaniſque Deos aſſimilant vitiis.*

*Hac re vel maxime in efficiendis ſimulachris)* Malim, *effigiandis.* Apul. Apologia: *Quid ſibi ſtatuæ & imagines variis artibus effigiatæ volunt?* Et quod præceſſit: *figmentis liciorum contextas imitantur effigies,* valde ſuſpicor exaratum, *filamentis liciorum.* Arbiter licet in re alia: *Illa de ſinu licium protulit varij coloris filis intortum.*

Macrobius extra ordinem tentatus.

PAG. 411. *Atque ille Græcus quidem, fontes imitus ignis eructare & fluere)* In Steph. & aliis editionibus corruptiſſime legitur; *Græcos,* item *imitatus* pro *imitus,* & *angues* pro *ignis.* Sed nos Agellij hæc verba expreſſimus, quomodo emaculata olim Cl. Lipſio 11. Electorum. & reſpondent ad verbum illis Pindari Græcis, τᾶς πυρὸς ἁγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί. Porro *imitus* poſitum vt *ſtirpitus, medullitus;* Et ita reliquerat quoque Martian. Capella lib. 2. *Poſtquam igitur illam bibliothecalem copiam nixa imitus virgo diffudit, exhauſto pallore confecta.* Nam male quoque vulgo, *imitatus.* Etiam Arnobius ſic fortaſſe legend. lib. 5. *Accedit blandus adulto comes, & quæ ſolum poterat amans imitus.* Seruat enim Romanus codex, *amans minus.* Vnde Ampliſſimum poſtea Canterum *mimus* refinxiſſe comperio, cui non operoſe refragor, imo accedo libens; ſicuti viciſſim illo ſtatim loco, eodem hoc Arnobij libro:

n Capella orrectiun-ula.

Quem



*Quem tamen ſi diceretis cum extraneis habuiſſe commercium fœminis, impia res quidem ſed tolerabilis eſſet maledictionis crimen.*

Facilem humaniſſimi viri aſſenſum mihi ſpero ſi ex veſtigiis vetuſtæ lectionis, *maledictionis* quæ ſepoſita, reduxero germaniſſimam auctoris ſcripturam & mentem; *maletractationis.* Τὸ *maletractatio* vt *maledictio* vnica voce intelligo, nec exiſtimo inuſitatum iuriſconſultis. Non refugit certe Arnobius. Supra lib. 4. *Et tolerari forſitan maletractatio hæc poſſit.* Quod iſti plane geminum. Alibi iterum commemini vſum, ſed non occurrit iam locus.

Item Arnobio.

## CAP. XVIII.

PAG. 413. *Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis)* Propertius:

*Ah pereat quicunque meracas repperit vuas,*
*Corrupitque bonas nectare primus aquas.*

Porro Poëtas Acheloium fabulari præ amoris impenſo ardore in amnem ſiue aquam liquatum, notum vel ex iſto eiuſdem Propertij:

*Num rurſus licet Ætoli referas Acheloi*
*Fluxerit vt magno factus amore liquor.*

Sed vt hoc notum: ita hinc denique verba *liqueſcere* & *liqui* in re amoris reſeruari non omnibus puto ſuboluiſſe, ſicuti nec Catulli locum iſto fortaſſis pacto interpolandum in Epigrammatibus:

*Non ſolum meminit, ſed quæ multo acrior eſt res,*
*Irata eſt, hoc eſt, vritur & liquitur.*

In Catullo conatus.

Nam vulgatur, *loquitur.* At indubie auxilium tale poſcit id Epigrammation, vt arguto epilogo innuat iratam eſſe, hoc eſt, non vri ſolum, ſed præ amoris penito illo igne quodammodo liqui. Ita idem alibi,

*Leſbia mi dicit ſemper male, nec tacet vnquam*
*De me; diſperearn me niſi Leſbia amat.*

Vult enim dicere iram eius amoris eſſe notam. Viri vero docti inuentum, *coquitur,* ex illo Ennij,

*Quæ nunc te coquit & verſat ſub pectore curæ:*

vix exiſtimem hanc ſiue poëtæ mentem plenitus exprimere. Denique Grammaticis, qui ſolum hoc verbi *liquor* perpetua prioris ſyllabæ longitate damnarunt quomodo auſcultandum? Quaſi videlicet *liquidum* in iſto Lucretij: *Craſſaque*

S ſ *conueniunt*

*conueniunt liquidis & liquida craſſis*; ideo indifferenter prolatum ſit, quod alterum v[illegible]li definiunt a *liquor*, alterum vero a *liqueo* fuerit deductum. Sed demus, quod volunt iſti, tamen ex veteri declinatu tuebimur conuenientiſſimam emendationem. Cæcilius apud Varronem, *præ lætitia liquitur animus.* Facit quoque ad rem illud Maronis:

*Limus vt hic dureſcit & hæc vt cera liqueſcit,*
*Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.*

## CAP. XIX.

PAG.417. *Orcus inducitur*) An rectior lectio quæ ad oram editionum veterum, *Charon*? Euariat valde Seruius: *Traxit hoc*, inquit, *de Alceſte Euripidis, qui inducit Mercurium comam ſecantem quia fato peribat mariti. Mercurium* dicit, quem hic *Orcum* Macrobius. Gloſſ. *χάρων, Orcus.*

PAG.418. *Pubentes herbæ*) Arnobius: *Cur quotidie gemmulas & pubeſcentes herbas adurit atque interficit nocentiſſimum frigus?* Deinde quod ait Macrobius; *in qua Medeam deſcribit maleficas herbas ſecantem*; animaduertendum eiuſmodi herbas veteribus ſeu poëtis, *pallentes* nuncupatas. Maro, Naſo, Arnobius & alij ita poſuerunt. Tibullus hac parte ſollicitatur, illo verſu:

*Num te carminibus, num te pallentibus herbis*
*Deuouit tacito tempore noctis anus?*

Tibulli ſcriptura firmata.

*Pollentibus* enim vrgeri comperi; ſed minus, vt exiſtimo, cogitate. Ouidius aſpexit, & imitatus eſt:

*Nupta quid expectas? non tu pallentibus herbis,*
*Non prece nec magico carmine mater eris.*

Et ideo forſan, *pallentes herbæ*, quod pallorem imo letum denique concilient. Propertius:

*At vos deducta quibus eſt fallacia lunæ,*
*Et labor in magicis ſacra piare focis;*
*En agedum Dominæ mentem conuertite noſtræ,*
*Et facite illa meo palleat ore magis.*

Vel quod inferis & defunctis dicatæ, quomodo *χοὰς*, id eſt, *vinum inferium* interpretatur illuſtris Scaliger. Iterum Propertius: *Senſi ego cum inſidiis pallida vina bibi.* Naſo omne frugum genus a vera ſua & ingenita indole ſiue ad corruptionem ſiue alio deriuatum, *pallere* dixiſſe videtur, in Faſtis:

*Interea creſcat ſcabra rubiginis expers,*
*Nec vitio cæli palleat vlla ſeges.*

Siue



Siue denique *pallere* eiuſmodi herbæ intelligentur quaſi lectæ funeſtis & Stygiis locis. Quod blanditur, & firmabitur quodammodo hoc Naſonis:

*Omnia tentabo latis medicamina terris,*
*Et freta, tartareos excutiamque ſinus.*

Vnde & *vmbræ* & *vndæ* quoque apud poëtas *pallentes.* Tibullus, *Parcite, pallentes vndas quicunque tenetis.* Et Claudianus in Rufinum:

*— ſimulacra coloni*
*Pallida, defunctaſque videt migrare figuras.*

Plauti locus excuſſus.

*Mecum habet patagus, æs, morbus.*) Locus eſt ex Plauti aliqua comœdia cuius adhuc in quæſtione nomen. Referam autem ad Corybantas ſeu Cybeles ſacerdotes. *Patagus* itaque capitum iſtam conquaſſationẽ denotabit, de qua apud Strabonem lib.10. *Æs* inconditum æris ſonitum. Vnde poëta: *Nec te progenitum Cybeleius ære ſonoro Luſtrauit Corybas. Morbus* ipſe *κορυβαντιασμὸς* erit. Obnoxij enim huic malo perpetuis mactabantur inſomniis vigiliiſque, & ſolent, vt ait Catullus, imaginoſum. Plato Critone: *ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν.* Claudianus etiam alluſiſſe videatur, libro in Rufinum: *Impatienſque ſui Morbus.* Feſti autem truncata verba, *Patagus, morbus*, omnino huc facere autumo; non, vt diuinauit eximius alias Turnebus, vitis morbum intelligi. Eum tamen qui volet videto lib. 16. cap. 22. Aduerſariorum.

## CAP. XXI.

PAG.425. *Anſatum mediocriter, anſis a ſummo ad imum pertingentibus*) Carcheſium nobis adumbrat Macrobius: At quomodo pote anſatum id eſſe mediocriter vbi anſæ, vt ipſe ait, a ſummo ad infimum demerſerint? Ego quantum ex his & Calixeni quoque Rhodij verbis quæ ex Athenæo, vt puto, Macrobius hic tranſtulit, coniecto; fuit hoc poculum, vt Græca verba ſunt, *ἱκανῶς ἐπίμηκες*, & ideo compreſſum quidem circa meditullium ſed protuberans leuiter. Quod Macrobius, vti opinio mea eſt, ſignate Latinitati reddiderat ſcripſeratque: *ancatum mediocriter*, niſi aliter fuiſſet viſum exſcriptoribus. *Ancatum* autem ab *ancus* formatum eſt. Feſtus: *Ancus appellatur qui aduncum habet brachium, vt exporrigi non poſſit.* Gloſſæ: *ancus, λορδός.*

Athenæus lib. 11. cap. 7.

 CAP.

CAP. XXII.

PAG.430. *Ingenio magis quam doctrina Maronis*) Vtrumque deſiderauit in eo Caligulæ liuor. Extat apud Tranquillum: *Sed & Virgilij & Titi Liuij ſcripta & imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum vt nullius ingenij, minimæque doctrinæ, alterum, vt verboſum in hiſtoria negligentemque carpebat.*

# IOHAN. ISACI AD LIBRVM VI. SATVRNALIORVM NOTÆ.

CAP. I.

Ex *diuerſis ornamenta libauerit*) Optimus ille Anglicanus non, *libauerit*, ſed, *leuauerit*, & animo meo germaniſſime. Vult enim dicere Macrobius, ſubtraxiſſe eum ornamenta præcipua veteribus, & ſubtraxiſſe plena manu. Dixerat libro ante; *Virgilium noſtrum vndique veterum ſibi ornamenta traxiſſe.* Nunc facile, vti puto, innoteſcet apud Arbitrum dictio ſub finem: *Vnde plani autem vnde leuatores viuerent niſi.* Vbi vir doctus in nuperis ad eum ſcriptorem Notis ſeu collectaneis admonuit ſibi nuſquam lectum vocabulum, *leuatores*, quod ego non abſone ex ſuperiori mente fures interpreter, ſiue, vt ipſe Petronius alibi dixit, *Nocturnos*, qui pallia & talia lucrifacere ſatagunt. *Plani* autem eodem Arbitri loco, idem erit quod voluit Gloſſarium vetus: *Stlatarus*, πλάνος. Ita enim corrigo Gloſſarium, nam editur inepte, *Silatarus*. Docuit me grammaticus priſcus & probus Caper; qui tamen *Stlataris* ſcribit non *ſtlatarus*, & forte vtrumque rectum. Verba ſunt: *Stlataris ſine c litera ſcribendum, a ſtlata rate pyratica.* Vnde iterum in Gloſſario

Petron. Macrobij occaſione illuſtratus.

Gloſſarium emaculatū.



Gloſſario pro *ſlatta* faciendum, *ſtlata*; πειρατικοῦ σκάφους εἶδος.

PAG.432. *Vt quod apud illum legerimus alienum, aut aliud eſſe malimus, aut melius hic.*) Placet priſca lectio: *aut illius eſſe malimus*, ſententia diſerte vera.

PAG.434. *Poſtquam defeſſi ſunt; ſtant & ſpargere ſeſe Haſtis.*) Coniectabam: *Poſtquam defeſſi ſunt ſtando, & ſpargere.* Et apte ita applicabitur ſtatim, *anſatis concurrunt vndique telis.*

PAG.435. *Clamor exortus vtriſque*) Malim, *vtrimque.* Idem Ennius in decimoquarto: *Horreſcit telis exercitus aſper vtrimque.* Nec editum aliter Cl. Merulæ.

PAG. 437. *Horror percipit*) Adumbrauit Plautus Menæchmis: *Quid ceſſas dare potionis aliquid, priuſquam percipit inſania?* Ad quem locum exigunt quoque illum, Stycho:

D. *At ego perij cui medullam laſſitudo perbibit.*
P. *Quid ego cui miſero medullam ventris percepit fames?*

Cl. tamen Lipſio placuit, *perrepit.* Meo iudicio loci illius germana lectio & mens nondum viſa Criticis, & abeſſet ambitio, dicerem viſam mihi. Lego: *Cui miſero medullam ventris peredit fames.* Captauit manifeſto ἀντίθετον Plautus in *perbibit*, & *peredit*, quomodo Curculione feſtiue ex illis ipſis vocibus regiones finxit a milite ſubiugatas, *peredeſiam* & *perbibeſiam.* Hinc Feſtus; *Plautus peredeſiam & perbibeſiam commentus eſt cum notare voluit cupiditatem edendi & bibendi.* Itaque a fame peredi ventris medullam apte & argute reſponſum exiſtimo a Comico paraſito. Catullus alluſit: *Ignes interiorem edunt medullam.* Et Maro: *Eſt mollis flamma medullas.*

Ad Plautum coniectura.

*Redeunt referunt petita*) Vel ob verſus legem legendum *referuntque*, & ita Camerarij liber.

*Varius de morte*) Lucanus panegyrico ad Piſonem:

*Mæcenas Tragico quatientem pulpita geſtu*
*Euexit Varium.*

*Magna oſſa lacertique Apparent homini*) Herculem ſentit Lucilius, & exſtat Priapæis: *Phœbus comoſus, Hercules lacertoſus.* Monuit me item Franciſ. Douza legere ſe ad Lucilium, *hominis.*

*Incubet & Tyriis*) Veſtimenta intelligit quæ cubitoria priſcis dicta. Petronius: *Veſtimenta mea cubitoria perdidit, Tyria, ſine dubio.* Quo tamen loco quid eſt, *Tyria ſine dubio?* Putem ego laborare lectionem, pictumque antiquitus, *elubie.*

In Petroniū diuinatio.

 Vnde

Vnde factum *dubio*, cum deberet, *eluuie*. *Tyria* ergo, *ſine elubie*, ſunt veſtimenta pura nec ſordidata. De ſordidatis Feſtus & alij. Lucilius illo verſu: *Hac veſtimentis maculoſis aſpicis ipſe.* Claudianus autem cubitorias ſimiliter veſtes Tyrias intellexit in Feſceninis. Ait:

*Et Veſtes Tyrio ſanguine fulgidas*
*Alter virgineus nobilitet cruor.*

Alia in Claudianum.

Sed an Claudiani illo verſu honeſte ſatis dictum: *alter virgineus cruor*? Malim ego: *Alte virgineus nobilitet cruor.* Et niſi fallor in mentem habuit illud Poëtæ; *Virgineumque alte bibat acta cruorem.*

PAG.440. *Virtuti is par diſpar fortunis patris*) Reſcribo: *Virtute ſis par, diſpar fortunis patri.* Clarum ex Maronia imitatione: *Diſce puer virtutem ex me verumq. laborem: Fortunam ex aliis.* Et addo Lucam Fruterium in Veriſimilium olim libris idem incurriſſe. quod diſſimulaſſe & rei & ingenioſiſſimi capitis cauſa piaculum cenſui.

CAP. II.

PAG.443. *Mox erat hoc ipſum exitio*) Non differam hac occaſione Plautini loci medelam Captiuis, Scen. *Nunc illud eſt.* Vulgatur:

*Neque exilium eſt, neque adeo ſpes quæ mihi*
*Hunc aſpellat metum.*

Plauti locus.

Sed ſcriptum vidi, *Neque exilium exitio eſt.* Vnde me iudice repones, *Neque exitium exitio eſt.* Quod fere dictum quomodo vulgo, *nec ſalus ſaluti*, & talia.

PAG.445. *Ennius in Cteſiphonte*) Faciendum, *in Creſphonte.* Et monuit in Ennianis reliquiis ille Italiæ nuper columen Hieronymus Columna.

CAP. III.

PAG.449. *Ennius in duodecimo ad pugnam Cælij tribuni*) *C. Ælij* ſubſtituit ex hiſtoria Merula. item *decimoſeptimo* vicem *duodecimo*. Cauſas habes ad Fragmenta ipſa.

*Semper abundantes haſtas frangitque quatitque*) Diſplicet hic, *abundantes haſtas.* Velim, *obundantes.* Metaphoram enim à re nauali ſeu littoribus monſtrant vel illa: *frangitque quatitq.* Papinius: *Interiore ſinu frangentia littora curuat Tænarus.* Vbi addit interpres vetus Lutatius: *Frangentia, quia in littoribus ſolent fluctus frangi.* Nec abſimile eſt quod Maro

Arcades



Arcades inundare armis fecit Ænei.12. *Hic denſi rurſus inundant Troës Agylinique & pictis Arcades armis.* Hæc exaraueram cum reperio, laudante Cl. Merula, placuiſſe Caſtricomio, *adundantes haſtas*. Sed illud fortius eſt.

CAP. IIII.

PAG.451. *Si mihi non prætor ſiet additus*) *Si mihi nunc*, ex monitu Nobiliſs. iuuenis Franciſ. Douzæ; & ſtatim *extenderet* pro *extenderat*.

*Totis vomit ædibus vndam*) Alluſit Iuuenalis Sat.4. *Ante tamen veniet: nobis properantibus obſtat Vnda prior.*

PAG.453. *Ille graui ſubito*) Furij eos verſus eſſe loquuntur editiones priſcæ. Habent, *Sic Furius in primo; Ille graui* &c.

*Deducta mihi voce garrienti*) Propert. *Et mea deducta carmina voce legis.*

PAG.454. *Atque ita ſcutis proiectis, tectis ſaxa certatim lenta manibus coniiciunt in hoſtes*) Confuſa & corrupta Siſennæ hæc verba. Scriptura non iuuat. Coniecto: *ſcutis proiectis tecti, ſaxa.* Quod profecto placet. & cogitandum porro de *lentis* illis *ſaxis*. Mihi ſuſpicio oborta, quod fortaſſis verum eſt, ſcriptum videlicet, *ſaxa certatim leuia*. Et certe quis anxie ambigat? Manibus enim, vt addit, hæc proiecta.

Siſennæ locus reſtitutus.

*Pineam nucem cum effodies, luna decreſcente eximito*) Puto fuiſſe, *effodis*, quod erit *effoderis*.

*Porro chænopodas, clinopodas*) Lucilij corruptiſſimos hos verſus ita reformaſſe intelligo Douzam patrem:

*Porro chenopodas, vt clinopodas lychnoſque*
*Dicimu' κοινὰς ἀντὶ pedes lecti atque lucernas.*

Videndum tamen ne *Cœnopodas* ſit verior lectio. κοινόποδες enim Sophocli οἱ ὁμοῦ ὁδοιπορήσαντες, *via comites, ſocij.*

PAG.455. *Quippe illi dixerunt & pauſam & macharam & aſotian*) Ita repoſuit H. Stephanus. *Acaciam* tamen quod in pleriſque editionibus eſt, religio mihi ſit peruertere. Reperio aliquoties id vocis apud Curopalatem, ὃ βλάτιον inquit, ἔχει χῶμα ἐντὸς καὶ καλεῖται ἀκακία, ὡς εἴπομεν, τὸ τὸν βασιλέα ταπεινὸν εἶναι ὡς θνητὸν &c. Id eſt. *Aureum hoc textile habet aliquid aggeſtum intus quod appellatur acacia, vt diximus, imperatorem docens humilem eſſe vt mortalem.* Exſtat quoque apud Tullium de Finibus libro, ni fallor, quinto. Quare me arbitro reuocandum.

Macrobij vetus lectio contra Stephanum probata.

*Vri enim Gallica vox eſt*) Gloſſarium, *vror*, βοῦς γερμανός. Quod fuerit *vrus*. Tertia vox quid velit etiamnum quæro.

S ſ 4 Camuris

*Camuris peregrinum verbum eſt id eſt in ſe redeuntibus)* Feſtus, *cameræ & camuri boues a curuatione & Græco καμπὴ dicuntur*. Scribo: καμπὴ. Gloſſarium, καμπὴ flexus. Sed in eodem Gloſſario quod eſt, *camuris*, ἄγνος πῦρος, quomodo expediam? An legend. ἄγνοις, πύρροις. Nam vt idem alibi, ἄγνος, ὅθεν οἱ λύγοι, *vimen*. Orus Apollo vocem κάμηλον huc quoque trahit, vbi ait: ἐκείνη γὰρ μόνη τῶν ἄλλων ζώων τὸν μηρὸν κάμπτει, διὸ καὶ κάμηρος λέγεται.

## Cap. V.

Pag. 456. *Denique Mulciber ipſe ferens altiſſima Cæli Contingunt)* Difficile ex tam abrupto loco ſtatuere de lectionis veritate. Conijcere tamen ex filo rei libet: *Contigna*, modo id Latium agnoſcat. Nam *tignum* & *tignus* crebra. Vide itaque ne fuerit, *Cum tigna*.

*Ennius in libro Sabinarum quarto)* Iterum Columna: *Satyrarum quarto*.

*Prædicant aurito parente me natum)* Afranij ait verſum eſſe, qui ita in prologo ex perſona Priapi. Quod itaque, *aurito parente* id eſt lepore genitum illum Diuum prædicabant, non puto temerarium. Petron. *At illa gaudio exultans vides, inquit, Chryſis mea, vides quod aliis leporem excitaui.* Quid velit facile capitur, & recte adaptatur illud Naſonis:

*Credula ſi fueris aliæ tua gaudia carpent,*
*Et lepus hic aliis exagitatus erit.*

Nec abludit quod in Faſtis idem Ouidius, vbi ſalacem Deam Floram poſcit, cur ei caprearum potiſſimum leporumque venatus ceſſerit, ſcribat:

*Eſt breue præterea de quo mihi quærere reſtat,*
*Si liceat, dixi: dixit & illa, licet.*
*Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis*
*Imbelles capreæ ſollicituſque lepus?*
*Non ſibi reſpondit ſiluas ceſſiſſe, ſed hortos*
*Armaque pugnaci non adeunda feræ.*

Porro ex his lucem aliquam ſperẽ loco iſti Caſinæ, prologo:

*Face iam tu præco omnem auritum poplum.*

Plautus explicatus. Nam non ita id languidum, vt cenſuit olim iuuenis doctus, ſi videlicet ex animalis, quod dixi, natura, *auritum poplum*, attentum & excitatum intelligamus. Imo tale eſt illud Comici Afri, *Arrige aures Pamphile*: De quo ita Diomedes, *Cacephaton eſt vitio compoſitionis inuerecunda ſuſpicio, vt, arrige aures Pamphile.* Denique Afranij verba videtur reſpexiſſe Plautus illo loco.



*Sed & Hoſtius libro ſecundo belli Hiſtrici)* Hunc Cynthiæ, quæ & Hoſtia dicta & Propertij poëtæ fuit amata, auum fuiſſe cenſet Illuſtris Scaliger. Ait Propertius:

*Eſt tibi forma potens, ſunt caſtæ Pallados artes,*
*Splendidaque a Docto fama refulget auo.*

Pag. 457. *Siluicolæ homines)* Reſtituit in Ennianis Fragmentis Cl. v. Merula,

*Siluicolæ homones belli inertes.*

*Roſcida noctiuagis aſtris labentibus Phœbe)* Aſpexit quoque Thebaidos primo Papinius:

*Titanis late mundo ſubuecta ſilenti*
*Rorifera gelidum tenuauerat aëra biga.*

## Cap. VI.

Pag. 459. *Ora pro perſonis)* Martial. *Perſonam capiti detrahet ille tuo.* Plautus *ora*, Pœnulo: *Quæ habent nocturna ora, noctu ſacrificatum ire occupant.* Porro Cornificius *oſcillantes* hinc dictos credidit. Feſtus: *Oſcillantes, ait Cornificius, ab eo quod os celare ſint ſoliti perſonis, propter verecundiam, qui eo genere luſus vtebantur.*

## Cap. VII.

Pag. 463. *Vexaſſe graue verbum eſt)* Nec latuit Gloſſarium, *Vexat*, ὀχλεῖ, σκύλλει, χειμάζει.

## Cap. VIII.

Pag. 465. *Gratum mihi eſt, Auienus ait, correptum)* In aliis editionibus atque adeo etiam Camerarij *correctum* eſt. At illud omnino verum. Gloſſ. *Corripies* ἐπιτιμήσεις.

Pag. 467. *Cui titulus nomen eſt)* Fecimus νόμος *eſt* ex Agellio. Afranius tamen an eiuſmodi Togatam ſcripſerit alibi non reperio laudatum. In Gloſſario eſt, *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων. In Feſto, *Satura, etiam lex multis aliis conferta legibus*. Laudat deinde Afranium, *Homine* Nonius; niſi quod Hadrian. Iunius eius vicem *omine* depromit ex Scripto. Crepera hæc & dubia in tanta nocte Scriptorum veterum. & quis illuſtret?

*Æneam ſuum tanquam omnia pium)* Expreſſit lectionem ſcriptam Stephan. Excuſi diſertim: *hominem pium*. Sed dixit

S ſ 5 & Sta-

& Statius, *Di bene quod tales ſtirpemque animoſque venitis.*

PAG.468. *Liquido exſpectatum*) Ita libri plerique omnes. At nos ex Agellio refinximus, *ſpectatum*: Quod & Gloſſis vetuſtis obſeruatum, *Spectata*, Δοκιμαζόμενα.

*Sed Cæcilius Gallus vir doctiſſimus in libro de ſignificatione*
Titul. de Verborum Sig. L. 157. *verborum quæ ad ius ciuile pertinent*) Eiuſmodi opuſculum ſcripſiſſe Ælium Gallum legitur in legum libris; & monuit me amicus meus inſignis adoleſcens Petrus Scriuerius. Certe coniectura inde probabilis ſit fuiſſe, *C. Ælius Gallus*. Seruant tamen ad oram Gelliani aliquot codices, *Aquilius Gallus*. Ille niſi ſit, diſpiciendum accuratius.

## CAP. IX.

PAG. 471. *Tum Seruius, Non ſine ratione Vergilius*) Clauſula hæc tota de Scripto eſt. Seruium vero vt ea dicentẽ facit Macrob. ita quoq. apud eundẽ Seruium eadem fore reperies. Vide ad verſum: *Cum iam trabibus cõtextus acernis Staret equus.*

*Statuerunt in craſtino Flauianum audire quoniam Maro in Augurali iure refulſit*) Ergone hoc aut præcedentibus libris ſuper Augurali apud Maronem diſciplina quicquam tractatum? Velint quidem id manifeſto ea verba, *quoniam Maro in Augurali iure refulſit*. Sed errauit, me iudice, leuiter hic exſcriptor, faciendumq. *quo etiam Maro*. Flauiani enim, vt liquet ex fine libri primi, partes fuere diſſerendi de augurali apud Maronem diſciplina. Verba ſunt, *Poſt hunc Flauianus, apud poëtam noſtrum, inquit, tantam ſcientiam iuris auguralis inuenio, vt ſi aliarum diſciplinarum doctrina deſtitueretur, hæc illum vel ſola profeſſio ſublimaret.* Et ſtatim, *Huic tu, mi Flauiane, ſuccedes vt & auditu veſtro recreer & aliquanto ſilentio inſtaurem vires dicendi.* Sed an hæc a Flauiano diſſertata, nequeo dicere. Si tamen; neceſſario poſt ſeptimum nouus huic ſermoni liber tributus fuerit iſq. tertij diei conuentum fecerit. Nam vt docui ſub finem Secundi, Tertius liber & ſubſequi quatuor ſecundi ſolius Diei conuentus ſunt. Octauus itaq. Macrobij liber exſtiterit, id eſt, tertij diei noua confabulatio, quomodo & dies tres legitimi Saturnales.

Macrobiani libri de Auguriis veſtigia apud Sariſberienſem. *Maro in Augurali iure*) Octauus ergo is Macrobij liber de re ea tota accurate pertractauerit. Et niſi plane iudicij fallor interpolauit compilauitq. id operis, vt pleraq. Macrobij alia Ioh. Sariſb. Lege libri primi poſtrema duo capita & quædam etiam Secũdi, & claras reperies reliquias melioris huius auri. *Flauianum audire*) An is ipſe Flauianus de quo ſæpe quem iam dixi Sariſberienſis? Ait lib. 2. cap. 26. *Hoc autem aſſerit Flauianus in libro qui de veſtigiis Philoſophorum inſcribitur.* Et lib. 8. cap. 11. *Tu hiſtoriam aut fabulam, quod his verbis refert Petronius, pro libitu appellabis. Ita tamen ex facto accidiſſe Epheſi, & Flauianus auctor eſt.*



# IOHAN. ISACI AD LIBRVM VII. SATVRNALIORVM NOTÆ.

CONVIVIORVM POSTREMI DIEI) SECVNDI adhuc PAG. 472.
diei, liquet, vt puto, ex præmiſſis. Proprie autem hic conuiualis ſermocinatio eſt. Nam quæ hactenus dicta, ante epulas intelligenda ſunt.

## CAP. I.

*Diſcurſum variantibus poculis*) Camerarij editio, *diſcurſim*. Prius retinet & Lugdunenſis. Varro: *Dum ſermone canulam variamus.* Petronius *volantibus* dixit. *Volabant inter hæc potiones meracæ.*

*Quæ præſens inquit locus & tempus*) Græcum non minus lepidum: ἐν οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς οὐχ ὁ νῦν καιρός: ἐν οἷς ἢ νῦν καιρὸς, οὐκ ἐγὼ δεινός. Senecæ illud quodammodo geminum: *Quod ego ſcio neſcit populus quod populus ſcit ego neſcio.* Et id quia tam oportune ſe offert, notandum vocem *populum* ſæpe ἄθροον ὄχλον ſignare in libris antiquorum. Quod ignoratum duos reddidit controuerſos locos, alterum Apulei, alterum ipſius Senecæ. Ait Lucius lib. 3. *Ac dum primum angiportum inſiſtimus ſtatim ciuitas omnis in populum effuſa, mira denſitate nos inſequitur.* Diuinatum enim, *in publicum effuſa.* Fruſtra: & ſiſtere eum impetum debuit, ſi non librorum conſenſus, at ipſe Apuleius, cui familiaris & ſuus quodam-

quodammodo hic ſermo.lib.10. *Venus ecce cum magno fauore cauea, in ipſo meditullio, circumfuſo populo latiſſimorum paruulorum, dulce ſubridens.* Nec capiendum aliter iſtud Catulli, *Per medium denſi tranſit iter populi.* Sed firmabit hæc vnice quem dixi Senecæ philoſophi locus, imo his firmabitur. Nam & illum iam diu abducere niſus eſt non vnus ſponſus. Pincianum certe inſignem alias Criticum, lapſum hic repulſumque comperio, nec vſi meliore fato ipſi repellentes. Sed locus quem tango legitur Epiſ.105. *Vt garrulitatem ſuam cuſtodiat & contentus ſit vnius auribus, populum faciet. Populus* enim & hic πλῆθος ſiue hominum multitudo eſt, quomodo etiam in Quæſtionibus Naturalibus *Stellarum populum* figurate & eleganter extulit. Sed & ſententiam id poſcere liquido videbit, qui non aſpicere ſolum Philoſophi totum locum volet ſed inſpicere. Ianus Gruterus doctus & diligens cenſor interpretatione fere verum erat aſſecutus, modo abſtinuiſſet mentem diuinando. Nam, *publicum* etiam hic contra codicum conſtantem fidem eſt.

PAG.474. *Carmadam dico*) Editiones pleræque aliæ omnes, *Carneadem.* Videndus Plutarchus lib. Sympoſiacõn 1.

*Et in riſum plane iuſte moueret*) Clarius veteres, *& in ſe riſum.*

## CAP. II.

PAG.478. *Cui nota quondam afflicta cenſoria eſt*) Alias *affixa* ſiue *adſicta. Adſicta* videatur non abſonum. Propert. *Quid mihi deſidiæ non ceſſas fingere crimen.*

## CAP. III.

PAG.480. *Quibus mos eſt aurem forare*) Imo & mollem hoc ſcommate Octauium iſtum denotauerit Tullius. Septimius Tertul. *Aurem quoque foratu effeminatus. Quod illi apud Sigæum ſtatua ſeruat plane.* Et Iuuenal. Sat.1. *Quamuis Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ Arguerint, licet ipſe negem.* Quibus addit interpres vetus: *Arguit homines qui cum propter libidinem libertatem meruiſſent, & in libertinorum corpus & tribus relati eſſent, pertuſis auribus ſigna libertinorum celare non poterant.*

*Vt Tullius in conſulem qui vno tantum die*) Non Tullio hoc tribuit ſcomma ſuperius Seruius, ſed M. Otacilio Pitholao. Vide lib.2. cap.2.

PAG 481.



PAG.481. *In naſum ſeu curuam erectionem ſeu Socraticam depreſſionem*) Plato lib.5. Politicorum. & ex eo Ariſtænetus, lib.1. Epiſ.18. καὶ ὁ μέν τις τῶν νέων ὅτι σιμὸς, ἐπίχαρις παρὰ σοὶ κληθεὶς ἐπαινεῖται· τοῦ δὲ τὸ γρυπὸν βασιλικὸν ἔφης. *Itaque iuuenum ſi quis ſimus, laudas vt gratioſum; aduncum naſum regium appellas.*

*Cur de albis & nigris loris ſimiles maculæ gignantur*) Seruos lororum ſiue flagrorum gymnaſia eſſe ſcimus luculenter ex Plauto. Et ita fortaſſis capiendum legendumque iſtud eiuſdem comici Aſinaria: In Plautum coniectura.

*Eas nunc legiones, copias, exercituſque lorûm.*

Nam in vulgatis eſt, *eorum.* In ſcriptis quos vidi *forum*, quod *furum* fors erit, ſed hic, vt exiſtimo, minus conuenienter. Reſpicit enim, quas enumerauerat ibidem, ſeruorum cruces, laminas, neruos, boias.

PAG.483. *Inter cetera exacta vita*) Non diſſimiliter Petronius, *exactam legem* dixit. Sic enim legerim locum iſtum Pag.4. *prius amore*

*Frugalitatis, legem pellat exactam.*

Et videtur idem voluiſſe poëta Venuſinus ad Mæcenatem: *Faſtidioſam deſere copiam. Legem* enim *exactam*, dixtæ exactum illud ſiue plenum, vt ita dicam, dimenſum intelligo. Meminit etiam alibi Petronius; *Vellem tam innocens eſſet frugalitatis meæ hoſtis vt deliniri poſſit.* Sed aptiſſime ei loco Romanæ Philoſophiæ Siren Seneca: *Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura.* Totum itaque Arbitri locum ſic conſtituerim; Item in Petronium.

*Artis ſeueræ ſi quis amat effectus,*
*Mentemque magnis aptat, prius amore*
*Frugalitatis legem pellat exactam.*

Interim non me latet aliorum ſuper his commentatio, quibus ſi ita videbitur, libens cedam de ſemita.

*Hoc quoque exercitij genus a Lycurgo eſt inſtitutum vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere*) *Scommata ſine morſu* videtur id eſſe quod dixit Plutarchus Lycurgo: παίζειν εἴθιζον καὶ σκώπτειν ἄνευ βωμολοχίας. *Aſſueſiebant iocari & dicteria citra ſcurrilitatẽ iacere.* Nam fuit alias acuta & aculeata Lacedæmoniorum dictio. Idem Plutarchus Sympoſ.2. quæſt.1. *Enimuero præclara illa Lacedæmone inter alias hæc fuit diſciplina ſalſe dictis impetere citra moleſtiã, & æquo animo dicteria ferre. nam ſi quis iniquius ferret, alter ſtatim mordendi finem facie-*

*faciebat*. Ita quidem interpres. Rei tamen & rationi conſentaneum magis, ſi dixiſſet, *is ſtatim alterum mordendi finem faciebat*, vt indignanti potius quam indignationem inferenti reticentiæ pęna ſtatuta fuerit. Verba Græca ſunt: εἰ δὲ τις ἀπείποι σκωπτόμενος, εὐθὺς ὁ σκώπτων ἐπέπαυτο, quæ preſſius intuenda; nam Macrobius, quod dixi ego, omnino ſenſiſſe videtur aut vertiſſe, *Ac ſi quis*, inquit, *eorum in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, vlterius ei in alterum dicere non licebat*. Nec aliter capio Heraclidem Ponticum: Μελετῶσι δὲ ἐμμελῶς καὶ σκώπτειν καὶ σκώπτεσθαι: quaſi dicat, *ſcommata & iacere argute & excipere ſeu pati animoſe*. Sed de his optimus tu cenſor eris, amice noſter Nicolae Cragi. Nam olim,

Reſpicio ad libros eius De Repub. Lacedæmoniorum.

*Quod fuit hoc vni debebat Sparta Lycurgo,*
*Quod nunc eſt, tota eſt gloria lauſque tua.*

*Et veſter Apuleius*) Ioh. Sariſberienſis, qui locum hunc exſcripſit, locupletius: *Et veſter Apuleius cum Frontone*. Vide lib. 8. cap. 10.

## CAP. IIII.

PAG. 484. *Ægreſcere autem inter illa quæ ſaginam compoſita varietate patiuntur*) Hæc item Camerarij editionis ſcriptura. Et ſtatim, *quia conſtat id genus alimoniæ non magis copia quam varietate crudeſcere*. Vetuſtior tamen editio ea omnia breuius: *ægreſcere autem quæ ſaginantur & compoſita varietate crudeſcere*.

PAG. 487. *Vt cuiuſlibet morbi*) Neceſſario ex Scripto & veteribus ſupplendum: *Vel cuiuſlibet ex confluentia morbi*. Nam mala capit quæ ἐκ ῥεύματος oriuntur.

## CAP. V.

PAG. 489. Πρίνου) Omnino legerim, πρίνου, cum Camerario & Lugdunenſi editione veteri. Gaza ilicem interpretatur. Xylander codẽ verſu pro ἁπαλοὺς ἁπαλοὺς adducit. At πλόρθους ἁπαλοὺς dixit Eupolis; quomodo apud Athenæũ ἁπαλὸς ἄρτος dictus ob mollitiem & teneritudinem. Lacte enim & oleo ac ſale panis iſte condiebatur. Exſtat Athenæi libro tertio.

Κόκκον, σχῖνον) Sola Lugdunenſis editio, ἐχῖνον, quod & animalis nomen, quem erinaceum indigitant. Vnde adagio, ἐχῖνος τραχύπρωρος. Eſt tamen & herba, alias ἐρῖνος appellata. Sed σχῖνον non ſpreuerim. Conſtantinus in Geoponicis, ἡ σχῖνος, τρεῖς δὲ καρποὺς, φησὶ, φέρει. Quod ipſum ab Arato eſt, cuius verba vertit Diuinationum primo Cicero,

*Iam vero ſemper viridis, ſemperque grauata*
*Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fætu;*
*Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.*



Sed de ἐχίνῳ vide ad Theophraſtum, & in eum Animaduerſionum Iulij Cæſaris Scaligeri librum tertium cap. 10.

Φλόμον) Camerarij & Lugdunenſis codex, φλῶμον. Apud Suidam eſt φλῶμος, quæ & φλόνος, θρυαλλίς. At φλόνος ἀντὶ τοῦ φλόμος erit. φλόμος itaque recte, & eadem ſit quæ *Lucernaria* Empirico Marcello.

Κισσὸν) Iterum Camerarij & Lugdun. κισθὸν. Ego prius retinuerim.

PAG. 490. *Sed & quanta ſit multis animalibus*) Expreſſimus Stephani & quam inuenimus ſcriptam lectionem. Non ambigo tamen quin exarauerit Macrobius, *mutis animalibus*: quomodo etiam editiones vetuſtæ. Generatim autem notat in animalibus brutis vitæ breuitatem, ſpeciatim vero, quod de coruis & cornicibus obiici poſſit obuiat his ſtatim verbis, *Nec recurras*, inquit, *ad ea quæ de cornis & cornicibus fabuloſa dicuntur*. Adi & Plutarchum Sympoſ. 4. Quæſt. 1.

*Et non modo edacitatis*) Scriptus, *perpetuæ edacitatis*. Fortaſſis, *perpetis edacitatis*. vt *noctem perpetem* Plautus.

PAG. 492. *In menſa Sicula vel Aſiana*) Eſt apud Suidam, Σικελικὰ τράπεζα. Lautam eam & opiparam fuiſſe docet apud Athenæum Eubulus Comicus:

Καὶ ποικιλὰ Σικελικὰ πατάνεια, στρώματα.

Vbi πατάνεια στρώματα (quomodo & illuſtri Scaligero obſeruatum) adumbrauit Curculione Plautus, *Tantas ſtruices concinnat patinarias*. Porro adagium a Diogeniano annotatum, ἀεὶ Λεόντιοι περὶ τοὺς κρατῆρας, *Semper Leontini iuxta crateres*, huc quoque facit. Nam Leontini Siciliæ populus eſt.

## CAP. VII.

PAG. 497. *Deinde licet vrendi corpora defunctorum vſus noſtro ſeculo nullus ſit*) Signandum hoc, & quod ſequitur porro: *Solitos funerũ miniſtros denis virorum corporibus adiicere ſingula muliebria: & vnius adiutu quaſi natura flammei & ideo celeriter ardentis cætera flagrabant*. Adiungo Cornelij Taciti ſuper Chriſtianis locum Annal. 15.

*Et pereuntibus addita ludibria vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi; atque vbi defeciſſet dies in vſum luminis vrerentur.*

Sed

Sed ambigo an ſatis is cohærens & firmus. Scribit Sulpitius Seuerus, qui Tacitum ſæpe tranſcribit: *Multi crucibus affixi, aut flamma vſti. Plerique in id reſeruati, vt cum defeciſſet dies in vſum nocturni luminis vrerentur.* Vnde cogitandum ne concinnius fuerit in Cornelio: *aut crucibus affixi aut flamma vſti; aliqui vbi defeciſſet dies.*

Conſtituta fors ex Sulpitio Taciti verba.

PAG. 498. *Non caloris erat ſed pinguis carnis & oleo ſimilis*) In Scripto reperiebam: *oleo ſimilioris.* Sed caro quomodo honeſte aſſimulabitur oleo? Non dubitabis verum eſſe, *oleoſioris.*

PAG. 500. *Quia exhalata aqua*) Nec aliter de hoc liquore Auctor Geoponicῶn: τὸ γὰρ ἐν αὐτῷ ὑδατῶδες ὁ χρόνος ἀναλίσκει. Communicauit filius Douza.

## CAP. IX.

PAG. 503. *Minutis illis & rorantibus reſponſionibus*) Beniſſime *Rorantibus*, quaſi quæ reſponſioni iuſtæ & plenæ præluderent, quomodo, rorarij olim milites, pugnæ. Tranſtulit quoq. facete ad pocula Tullius: *Pocula, vt in Sympoſio Xenophontis, minuta atque rorantia.* Dicenda hæc cenſui quia obſidet turpiter editiones paſſim *rotantibus.*

## CAP. X.

PAG. 507. *Vnde quibus capilli ſunt criſpi*) Venuſtius & breuius veteres, *Vnde capillo criſpi.*

PAG. 508. *Aut cuiuſlibet vitioſitatis occaſione*) Anglicanus emendatiſſime, *viſcoſitatis occaſione.* Et confidenter ſuperius paulo, pariter reſtituo: *Inde ſenecta ſicca eſt inopia naturalis humoris, humecta eſt abundantia viſcoſi ex frigore procreati.* Nam *vitioſi* ſimiliter vitioſum eſt. Seneſcentium enim phlegma innuit; & quis illud Plautini ſenis non meminit?

Macrobius extra ordinem emaculatus.

*Minime ſputator, ſcreator ſum, itidem minime muccidus.*

## CAP. XI.

PAG. 509. *Commaſcula frontem & ſequeſtrata verecundia, quam in te facies rubore indicat*) Præclare de hac re Seneca Epiſ. 11. *Vbi ſe collegit, verecundiam, bonum in adoleſcente ſignum, vix potuit excutere: adeo illi ex alto ſuffuſus eſt rubor. Hic illum, quantum ſuſpicor, etiam cum ſe confirmauerit, & omnibus vitiis exuerit ſapientem quoque ſequetur.*

PAG. 510. *Trahit ſecum ſanguinem, quo, velut curru, ſemper vehitur*) Suſpicionem meam, rem puto: *quo velut curru ſuperuehitur.* Apuleius de Deo: *curru volucri ſuperfertur,* in libello de Mundo.



## CAP. XII.

PAG. 511. *Mulſum quod probe temperes, miſcendum eſſe nouo hymettio & falerno vetulo*) Apuleius 10. *Lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulſo & multo contempera.* Putem, *muſto.* Martial.

In Apuleio dubia lectio.

*Attica nectareum turbatis mella falernum,*
*Miſceri decet hoc a Gamymede merum.*

Vbi *miſceri, infundi* eſt. Gloſſarium Arabico Latinum, *miſceo, infundo.* Et Iuuenal. *Neſcit tot millibus emtus Pauperibus miſcere puer.* Gloſſarium vero, quod dixi, ineditum eſt; fuitque penes peritiſſimum Orientalium linguarum Franciſcum Raphelengium. Fuit dico, ſed inuitus. Cogit tamen illa vis nupera fati, quæ & hunc nobis inuidit virum & rapuit. Sed rapuit, vt res humanæ ſunt, lucem ei ſolicitam, & ætatem ſenilem: famam vero meritorumque gloriam adeo non abſtulit vt etiam auxerit. Viuit viuetque per hominum memoriam Raphelengius, & operum monumentis poſteritati traditus *creſcet laude recens.*

PAG. 514. *Aqua qua obſita globis nubium*) Hæc quoque ſcripta lectio. Et videatur ita niuem rigide conuolutam, proprie appellaſſe. Sammonicus Serenus:

*Deſinet interea glomerari farrea nubes,*
*Ceſſabitque grauis crebra porriginis imber.*

*Non minus in potu noxia eſt*) Primam dictionem vel Mureti libri fide eliminauimus. Nam omnino verum, *minus in potu noxia eſt.* Et vidimus ipſi, in Vrbe Orbis quondam domina, hanc, quam tangit Macrobius, rationem, niuibus videlicet intra vitreas phialas circumuallandi ſine mixtione potabilem liquorem. Martialis quoque intellexit illo verſu:

*Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem,*
*De niue commenta eſt ingenioſa ſitis.*

Sed maxime ſi tali interpunctione legas, *ſed aquam potare rigentem De niue, commenta eſt ingenioſa ſitis.* Et ita Raphelengiana editio. Idem enim vult quod dixit Macrobius iſtis paulo ante verbis; *Aqua, quæ obſita globis niuium, perducitur ad niualem rigorem. Rigentem* itaque *de niue*, eſt ob niuem phialæ circumiectam.

PAG. 515. *In quas licet frigori quaſi leuatiores marina*)

Hiantia hæc verba & fracta. Libri vetuſtiores & Camerarij: *In quas licet frigore concreta, tamen ſunt natantes, quaſi leuatiores marina*: quæ pleniora, nec plena tamen plane aut proba. Quo enim referas iſtud, *in quas?* Rem ipſam vide; nec ambigo quin probabis quod coniectando inuenimus: *Inquantum licet frigore concreta.* Vult enim dicere Ponti illas glacierum proſicias, quantæcunque licet rigiditatis & molis fuerint, fluere tamen & vagari vtpote leuiores aqua, quæ ſubſidet, ſalſa. Fefellit autem librarios inſolentior dictio, *inquantum licet frigore concreta*, quæ tamen & Plinio iuniori frequentata. *Quæ*, inquit, *vt domus ipſa, perierunt, a me tamen inquantum poterit, requirentur.* Porro de Pontico mari, imo omni marina aqua quod diſſerit contra Herodotum Macrobius, vix eſſe videlicet eam congelationis capacem; nos, vt de Ponto noſtro Danico omittamus dicere, contrarium ex Naſone (niſi eum vt poëtam eleuemus) cognoſcimus. Ait ipſe non ſtringi modo leuiter gelu Boſphoricum, & illum ſinum, aut proſicias ei ſolas, vt verba Macrobij ſunt, innatare & ſuperfluere; ſed tegi planitus & transuehi plauſtris. Verſus ſunt:

De Ponto & mari notatio.

*Ipſe vides certe glacie concreſcere Pontum,*
*Ipſa vides gelido ſtantia vina gelu.*
*Ipſe vides onerata ferox vt ducat Iazyx*
*Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas.*

Item de vini congelatione.

Vbi & de vino obiter habes, quod idem Aurelius noſter nunquam aut rarenter credidit ſtringi. Cui addas velim inſignem hunc ex Cominæo locum: *Vinum ſic erat aſtrictum gelu in ipſis vaſis, vt ſecuri fractum diſtribueretur militibus, qui aſcito aliunde calore, circumferebant illud, donec liqueſceret.*

## CAP. XIII.

PAG. 519. *Quos ſolos fides deceret*) Seruoſne igitur fides dedecet? Putem verius quod in Scripto & editionibus priſcis: *decerneret.* Decernebantur a ſeruis liberi, ſignaculi poteſtate & poſſeſſione. Poſtea tamen & inualeſcente Romanorum luxu aliter obtinuit. Plinium videto & alios.

*Cui commendaretur annuli pretioſitas*) Vetus idem, *otioſitas.*

*Vnde nec ſeruus mihi eſt*) Catullus, *Furi, cui neque ſeruus eſt neque arca.*

CAP.



## CAP. XIV.

*Ab omnibus corporibus iugi fluore*) Admonet me hic locus loci Velleiani; cui quis non ſymbolam ſuam contulit pag. 56. editionis poſtremæ, *Nuſquam erat Pompeius corpore adhuc vbique Iuba nomine?* Verſatur, inquam is, vexaturque a Criticis & inuicem eos vexat. Coniecturas has reperio: *adhuc vbique ibat nomine.* item *viuebat nomine*; item, *vbi vbique nomine.* Titij antagoniſtæ deleri turbantem vocem *Iuba* placuit; quod & mihi perplaceat, niſi conſtanter adeo libri omnes ſuggererent. Quocirca, *Me quoque permixtum ducibus cognoſcite Achiuis*; lego, *adhuc vbique iugi nomine.* Corruptelæ indoles manifeſta eſt, & aliam ſimilem in eodem Velleio, ſed rei maioris & quæ ad hiſtoriæ ſeriem faciebat, probauimus olim elegantiſſimo & publici rei literariæ boni meique amantiſſimo viro Martino Lydio. Sed nunc præterfugimus occaſioni reſeruaturi & tempori.

Coniectura in Paterculum.

PAG. 524. *Cum ſit anguloſa rotunda exiſtimatur, facit rationis negligentia*) Pulchre Petronius & appoſite:

*Fallunt nos oculi, vagique ſenſus*
*Oppreſſa ratione mentiuntur.*
*Nam turris, prope quæ quadrata ſurgit,*
*Attritis procul angulis rotatur.*

## CAP. XV.

PAG. 525. *Iſti plauſus ſunt*) Arbiter, *Damus omnes plauſum a familia captum.* Vnde emaculandus obiter Epiſtolarum libro ſeptimo Plinius iunior:

*Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti*
*Plauſus de Cicerone daret, palmamque decuſque.*

Nam vulgo eſt, *auſus de Cicerone dare.* & corrigitur alias ex veteri, vti intelligo, libro, *daret.* Sed liber ille firmauerit ſolum quod diuinauimus alioqui frigida lectione.

Plinius iunior correctus.

PAG. 526. *Cum polenta bibuntur*) Ita ſcripta & Stephani editionis lectio, quam reliquimus. Aliæ editiones, *corpulenta.* *Polenta* hoc genere aut forma alibi non reperio. Apuleius vſurpauit vulgariter. Locum quia ab hoc non admodum abit, adſcribam vt corrigatur, ſtatim ſub initium libri primi Mileſ. Sermonis:

*Ego denique veſperna, dum polenta caſeata offulam grandiorem in conuiuas æmulus contruncare geſtio, mollitie cibi*



*glutinoſi*

*glutinoſi faucibus inhærentis, & ima gula ſpiritus detinentis, minimo minus interij.*

Ita quidem editiones recentiores. In antiquis auctius legitur, vti etiam in Beroaldina Venetiis cuſa. Nam habent: *Ego denique veſperna, dum polenta caſeata modice ſecurius*, item *mordico ſecurius*. De vtroque varie commentatur idem Beroaldus. Ego conabar: *dum polenta caſeata immordico ſecurius, offulamque grandiorem*. Ita certe rite decurret oratio; imo vix alias cohærebit ſolide. Cauſa enim offenſionis ſecuritas fuit inglutiendi. Introduxit autem erroris hanc primam labem particulæ *q;* in dictione *offulam* a proxima abſorptio. Hoc quam ſæpe turbauerit in optimis ſcriptoribus alij abunde monuerunt. Ego ſub vnico inſuper & claro oſtendam exemplo ac deſinam. Exſtat in Culice Virgiliano pag. 4.

Apulei ſcriptura conſtituta.

*Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas*
*Libera ſimplicibus curis.*

Et vidit tamen accuratus ille & nuperus editor mendo obſideri poſtrema iſta verba, *libera ſimplicibus curis*. Nam quomodo, *ſimplicibus curis*, cum liquido graues ſententia depoſcat moleſtaſque? Quare quod tunc concinnatum non eſt ipſe poſtliminio expediam; ſcioque pictum Poëtæ, *Liberaque implicibus curis*, eleganti nec obuia cuiuis voce.

Ad Culicem Maronis certa diuinatio.

PAG. 527. *Τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται*) Videtur legiſſe Agellius, *ἄκρον*, quomodo quoque noſter Vetus. Et quæ præcedunt; *Alcæus poëta dixit & vulgo canitur, Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε*, vinoſum eum arguant, niſi ſcriberet inſuper Athenæus lib. 10. c. 9. *καὶ Ἀλκαῖος δὲ ὁ μελοποιὸς, καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα.*

*Quibus æger eſt pulmo accenduntur in maximam ſitim*) *Aliamque famem cum pulmo falerno Arderet.* Iuuenal. Sat. 6.

## CAP. XVI.

PAG. 530. *In quibus hac veneratione ouum colitur, vt ex forma tereti ac pene ſphærali*) Plutarchus in Sympoſiacis: *ὅθεν οὐκ ἀπὸ τρόπου τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμοῖς, ὡς μίμημα τοῦ τὰ πάντα γεννῶντος καὶ περιέχοντος ἐν ἑαυτῷ, συγκαθωσιοῦται τὸ ᾠόν. Quare non abs re in Bacchi orgiis ouum ſacratum eſt, veluti ſimulachrum mundi e quo cuncta nata ſunt, cuiuſque complexu cuncta continentur.* Vide quæ ſuper hoc annotauit vberius Hadr. Iunius libro Animaduerſionum 4. cap. 4.





PAG. 532. *Qui vitro ſoluendo firmandoque curant*) Scriptus videbatur referre: *nitro*, ſed falſo. Firmatur enim lectio illa calculo Plutarchi Sympoſ. lib. 3. Quæſtione 10. vbi eſt, *περὶ δὲ τὴν τοῦ ὑέλου μάλαξιν καὶ τύπωσιν*, vnde firmiter in Aurelio etiam reſingo, *ſoluendo formandoque*. *μάλαξις* enim ea *καὶ τύπωσις emollitio formatioque* vitri ſit, non *firmatio*.

*Hinc & nutrices pueros alentes operimentis obtegunt*) Locus quem non temere aut leuiter tranſuolem. Quæ enim gratia aut notatio verborum, *nutrices pueros alentes?* Nam infantes innuere vult qui lacte adhuc & manu veluti aliena nutriuntur. Ad quod liquido ducit & iuuat vetus ſiue ſcripta lectio, quæ habebat, *pallentes*, nec dubitabis germaniſſimum verum eſſe: *pueros paſcentes*. Iſidorus, *paſcere, natos cibo ſaginare*. Loquendi autem mos ex priſca elegantia eſt; nec abludit hoc Virgilianum: *ſponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos.* Sed Macrobius iſtud ſuum de Petronio, ſi rectũ iudicium meum eſt, adumbrauerat, pag. 3. editionis poſtremæ; vbi vulgatur:

*Et eloquentiam, qua nihil eſſe maius confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus.*

Nam omnino imbibi exaratum Arbitro: *pueris induunt adhuc paſcentibus*. *Naſcentibus* enim enormis eſſet figura ac oppido intempeſtiua; quod aliis quoque viſum. Deinde literæ *p* facilem & crebrum eſſe deflexum in *n* annotaui aliquot locis in Veterum ſcriptis. Duo iam adducere non pigebat, vt, quod dico penitus ſtabiliatur. Martialis lib. 3. Epigr. 25. in pigros nautas, *Ceſſatis pueri nihilque noſtis*. Fallor enim? aut ſcribendum, *nihilque poſtis*. *Poſtis* pro *poteſtis*, vt *biſtis*, *terſtis* pro *bibiſtis*, *terſiſtis*, & ſimilia veteribus & potiſſimum poëtis crebra. Præluxit ad hanc correctionem Cl. Lipſius. Ille, inquam, qui hodie Belgio ſuo, imo Europæ vniuerſæ doctrina, virtute prælucet. Coniecerat tamen ipſe, *nihilque moſtis*, animo meo minus conuenienter præmiſſæ & ſubſequis vocibus: *mouetis* enim eæ poſcunt non *mouiſtis*. Scriptum continenter: *Ceſſatis, figitis, luditis*. Apte itaque conſonat his, *poteſtis*, quod & ſenſu iſto elegantiſſime frequentari, clarum. Ipſe alibi Martialis,

Macrobij occaſione Petronius emendatus.

Ad Martialem coniectura.

*Poſſum nil ego ſobrius, bibenti*
*Succurrunt mihi quindecim poëtæ.*

Plautus quoque non inuenuſte vſurpauit: *Non hic vt poſſit, edit, ſed poſſe cupit, vt edat.* Alterum deinde quod innuo, in Perugilio Veneris eſt, & ita editur:

*Vere concordant amores, vere nubent alites.*

Item ad peruigilij Scriptorem.

Emendant, *nubunt*. At ſcripſit quiſquis ille ſcriptor; *vere pubent alites*, idque valet quod dicitur vulgo, *vernant*. Plautus, *Dum anicula vernant*. Et Arbiter, *vernanteſque comas triſtis abegit hiems*. Sententiam vero hanc eſſe adſtruit quoq. quod ſequitur: *Et nemus comam reſoluit de maritis imbribus*. Totum ita expreſſit Naſo:

*Prataque pubeſcunt variorum flore colorum,*
*Indociliqué loquax gutture vernat auis.*

Sed vt ad prius & rem redeam, quomodo itaq. *pueros paſcentes* dicebant veteres, ſic quoque *inuberes* & *ſububeres* dixerunt. Gloſſæ, *ſububeres*, ὑπομαςίοι. Priorem vocem redonandam Catullo puto, vbi vulgatur, de Atty: *Ego puber, ego adoleſcens, ego ephabus, ego puer*. Sic enim meliores libri. Pudenter tamen veritatis indagandæ ab illis diſſentior. Nam dici certe aliquid hic poſſit de pubertate & adoleſcentia; vtramque videlicet vocem eodem quaſi ſpectari ac referri. Sed talia iam omitto. Lectio vetus; *Ego mulier*. Vnde elementis & ſententia plane manuducentibus eliciebam; *Ego inuber*. Et quis dubitabit ita fuiſſe reſcribendum? Notetur dictio tota; litterula vix mutat. Innuit vero Poëta ætatem quæ vberum ſuctum iam primulum deſueuit, &, vt Hippocrates ait ὀδοντοφυεῖν προσάγ. Græci ἀπογαλακτοὺς appellabant, quomodo etiam infantes *exuberes* intellexit magnus Feſti cenſor. Nec abſimile valde eſt, quod Agellius, *oſtreas inuberes* dixit, quæ ſenio Lunæ macreſcunt; plenitudine enim illius & vbertate quodammodo paſcuntur & increſcunt. Et dum hic ſum, vnicum adhuc adferam ex eodem Catullo Coronidis veluti vicem. Exſtat verſu de Acmè & Septimio:

In Catullo noua lectio.

Libro tertio Aphoriſmorum.

*Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra vt ante,*
*Dextram ſternuit approbationem.*

Corruptum arguit ſententia. Nam hoc demum loco ſternit Amor *dextram approbationem* non *ante*. Quod etiam vir doctus admonuit; & obiter concinnabat hac forma; *Hoc vt dixit amans, Amor ſiniſtra*. Sed ſcripſit doctiſſ. poëtarum:

*Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra amanti.*

Vitij cauſa fuit quod *a* in alterum vicinius abierit ac remanſerit *manti* vnde natum ineptum iſtud, *vt ante*. Quod quam pronum fuerit quis non videt? Recte vero iam ſequitur infra: *Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra, vt ante*. Hæc dum ſcribo redit in memoriam parilis plane apud Plautum corruptio, quæ hactenus



hactenus & turpiter occupauit. Ego non vltra permittam tam bella præſertim occaſione. Editur Menæchmis Scena, *ſi voltis*.

M. s o. *Poſtquam ad nos renunciatum eſt, te & patrem eſſe mortuum,*
*Auos noſter mutauit, quod tibi nomen eſt, fecit mihi.*

Quid ais Acci? Vide ne ſi hoc verum ſit, comœdia ea tota probetur vana. Nam quid hanc operam ſumpſiſſe fratrem ſcribis, quæritandi & omnes oras, quaſi mare (vt ipſe loqueris) inſulas, circumeundi, ſi mortuum germanum rumor attuliſſet, non ſurreptum? Et adde quod in fabula hac omni de nuncio tali ne mu quidem. Quid multa? Falſitatis conuincunt vel illa prologi tui verba:

*Poſtquam Syracuſas de re ea nuncius redit,*
*Ad auom puerorum, puerum ſubductum alterum,*
*Patrem pueri Tarenti eſſe emortuum,*
*Immutat nomen auos huic gemino alteri.*

Clare parentem emortuum inquit; puerum vero ſubductum. Quapropter ſimilis, vt dixi, abſorptio hic facta, nec elementi tantum ſed vocabuli pleni. Scribo:

Plautus emendatus.

*Poſtquam ad nos renunciatum eſt de te, & patrem eſſe emortuum.*

Huius illiuſque in Catullum coniecturæ Hafniæ olim arbitrum approbatoremque habuiſſe memini virum elegantiſſimum veteriſque literaturæ diligentiſſimum Ionam Venuſinum; cuius mihi multis de cauſis merito colenda memoria. Atque hæc digreſſio non inutilis, ſpero, fuerit. Certe conſtare iam putem Macrobio Petronioq. ſuam, id eſt, genuinam germanam lectionem de *pueris paſcentibus*. Et ne vel minima porro ſuperſit erroris ſuſpicio; iniecit, dum hæc iſta fabulamur, feliciſſimi ingenij adoleſcens Petrus Scriuerius, Iuuenalis illo loco Sat. 14.

Item Iuuenalis.

*Hæc monſtrant vetula pueris reptantibus aſſa.*

Iniecit, inquam, concipi in M S S. *pueris poſcentibus*, quomodo diſerte etiam in noſtro Scripto. Quocirca & illic, *pueris paſcentibus* legendum, ne vel ipſi Pyrrhonij, Philoſophi qui de omnibus dubitare ſolebant, addubitent.

# IN LIBELLVM DE DIFFERENTIIS ET SOCIETATIBVS

## Græci Latinique verbi,

## IOHAN. OPSOPOEI ET IOH. ISACI PONTANI BREVIORES NOTÆ.

*Libellus hic, Lector, P. Pithœi munus eſt. Dedit eum primus eiuſdem Pithœi liberalitate Ioh. Opſopœus, adiectis his, quæ ſubdimus, Monitis ſiue Notis.*

MAGNA cum religione ſecuti ſumus veteris codicis auctoritatem, ita vt Græca vocabula Latinis litteris ſcripta, iiſdem hic quoq. repræſentauerimus, vt *idiomata, encliſis, diatheſis, periſpomenon, barytonon, aparemphaton*, & ſimilia: quia τεχνικὰ iſta Latinis ſatis trita ſunt. Ἰῶτα quod vulgo ſubſcriptum vocant, in pleriſque neglexímus, quod auctor ne huius quidem vſquam meminerit. At vbi adſcriptum fuit, fideliter expreſſimus. Et pag. 545. v. 33. συνχεάφω cum eodem ſcribere voluimus, quanquam Grammaticorum conſuetudo συγγεάφω probet. Verum licentia maiore vſi ſumus in accentuum notatione, & Græcarum vocum repræſentatione, quæ in antiquo exemplari partim Latinis, partim Græcis characteribus deformatæ, nullis aut prauis apicibus inſignitæ, perperam modo coactæ, modo diſtractæ fuerant. De mendoſis vero in ſequentibus monuimus.

PAG. 536. verſus 17. & duo primi ſequentis non bene cohærent. Concinnior foret lectio: *modus quem Græci* ἔγκλισιν *vocant, qualitas, forma ſiue ſpecies, genus quod apud Græcos* διάθεσις *nuncupatur. Latini eandem pene cum Græcis in caſibus conſtructionem ſeruant.*

PAG. 537.



PAG. 537. verſ. 6. Exemplum non conuenit. nam συντρέχω ἐκ δύο πλείων compoſitum eſt, vt auctor ipſe præmiſit, & in duo integra reſolui poteſt. aliud itaque exemplum quærendum erit. Vet. cod. habebat TOMEN CINTPEXω.

Lin. 12. δομεύω quidem nihil ſignificat, at δομῶ Heſychio idem eſt quod compoſitum οἰκοδομῶ, *ædifico*. ſed id apud maiorum gentium auctores vix reperias.

PAG. 538. lin. 32. Verſus eſt ex Hom. Odyſ. φ. Sequens exemplum ex eodem videtur depromptum, ſed, vt hic legitur, metro repugnat. Lector viderit num verius aliquid elicere poſſit ex hac vet. cod. ſcriptura, NYξ deMaλa ANO φεPH; KaTAIX OYPaNON.

PAG. 539. lin. 26. Vet. c. πωλω cum ſuperſcripta ſignificatione *vendo*. quod primæ declinationis contractorum eſt, nec ad quintam ſimplicium referri poteſt. Idcirco ψάλλω ſubſtitui. at propius accedit πάλλω, *vibro*.

PAG. 542. lin. 2. ῥιπτω & κιω apicibus notata non ſunt, quod accentus diuerſitatem, quæ eſt in ῥίπτω & ῥιπτῶ, κίω & κιῶ, in vna eademque voce exprimere non licebat.

Lin. 3. In hiſce Grammatici ρ geminare ſolent, ἔρριπτον, ἐρρίπτων. at vet. cod. ρ vnicum vtrobique habet, idque ab analogia non alienum eſſe his teſtimoniis confirmari poteſt. In oraculo Athenienſibus dato apud Euſebium lib. 5. de Euang. præparat. πολλὰ δὲ τῆδ᾽ ἀπολεῖ πυργώματα, καὶ καταρίψει. quod vulgus καταρρίψει ſcribit. Lib. 8. Sibyllin. orac. vt vet. cod. refert, αὐτοὺς δ᾽ εἰς θάνατον καὶ πῦρ αἰῶσιν ἔριψεν, vbi vulgatæ editiones præter metri regulam ἔρριψεν. Zoſimus lib. 2. in oraculo de Byzantina vrbe, — ταχὺ δὴ ῥαχίῳ αἱμορρηθεὶς quod Grammaticis eſt αἱμορροήσας.

Lin. 15. Vet. eaκω EIaKON. tale thema nullum eſt apud Græcos. nam ἴακον, ἰακὼς & ἰακότες, *dolentes*, quæ Heſychius habet, deriuantur ab inuſitato ἄχω, vnde ἀχέω, *doleo*. Quare vel dempto κ, ἰάω, ἴαον, *ſino*, vel α in λ mutato, ἴλκω εἶλκον ſcribendum erit. Et de hoc poſteriori non dubito, quod in ſcripto cod. α, λ & δ ſæpe confundantur.

Lin. 28. Temere excuſum eſt ἀττικόν ἐστι. Vetus ſcriptura ATTIKONωC. *Multo*, veſtigia veræ lectionis retinet, quæ (vt exempla ab auctore ſubiuncta indicant) huiuſmodi eſt: ἀττικόν. *ω & η multo conſtantius manent*. harum enim vocalium tempus creſcere nequit.

PAG. 543. lin. 31. forte ἐγχαίρω. ἐνιχαίρω poëticum eſt.

Tt 5 PAG. 546.

PAG. 546. l. 32. Vet. c. perfectum habet ἔφθαρκα. ſed præcedentia minus perfectum poſtulant, ἔφθαρκα.

PAG. 547. lin. 31. Vet. χρειώω χρειωσ. quod nemo agnoſcit. repoſui χραίνω.

PAG. 548. lin. 14. forte leg. *in contrarium non redeunte neceſſitate*, vt lin. vlt. *hæc in ſe neceſſitas redit.*

PAG. 549. lin. 23. Ita v. c. ſed legendum eſt, *ſiquam vocalem.* Mox ſuſpectum eſt verbum *tenuit*. forte leg. *renuit.*

PAG. 551. lin. 20. lege ſine virgula γκ. Huius exemplum omiſſum repræſentabit πέφαγκα, πέφαμμαι.

PAG. 554 lin. 2. Græcum membrum corruptum ita videtur corrigi poſſe, ἡ μονὰς ὀρθῶς καθηγεῖται, quæ verba reſpondebunt totidem Latinis, *recte eſt præmiſſa vnitas.*

Lin. 31. In vet. ſcribitur ΕΝΩΕΚΑΙΣΙΣ; ne quem de impreſſa lectione dubitantem lateat.

PAG. 556. lin. 10. retrahe accentum in primam, τέτρατος.

PAG. 558. lin. 16. diſtingue poſt *temporum.*

Lin. 24. ἀποτελᾶμαι neſcio quid ſit. ἀποτελάζομαι quidem reperitur, ſed id nihil ad rem facit. arbitror ἀρτελῶμαι legendum eſſe, quod etiam ſupra pagina 555. in exemplum Macrobius citauerat.

P. 563. l. 1. δῆναι ſubſiſtere nõ poteſt. nam δίδωθι facit. forſan διδῶναι ſcripſerat. Sed & ſequens θῆναι corruptum eſt. an θεῖναι reponere licet? quod in imperatiuo non τίθεθι, ſed τίθετι facit.

PAG. 564. lin. 11. Vet. cod. ſcriptura hæc eſt, ωρ ωρας ΕΚ ΤΗΣΗ ΣΥΜΒΟΛΗ πεπληρωσθαι ΛΕΛΗΜΑΧΗ πεπλυσθω ΛΗΟπολεμος ΝΕΝΙΚΕΣΘΑΙ.

PAG. 567. lin 6. V. c. λαρείλω. prima littera laborat. vel igitur nobiſcum δαρείλω lege, a δέρομαι, vel, ſi mauis, καρείλω a κείρομαι.

PAG. 574. l. 1. κινητιῶ, alibi non extat. Non longe recedit eiuſdem formæ verbũ βινητιῶ, *inire cupio*, vel κυνητιῶ, *catullio.*

PAG. 576. lin. 22. Videtur deeſſe membrum hoc, *quæ caſibus iunguntur, & actiuam* &c.

*Hæc vt dixi Opſopœus. Nos quæ poſtmodum animaduertimus, & illuſtris viri Ioſephi Scaligeri iudicio accepimus (communicauerat enim is nobiſcum exemplar ſuum appoſitis ad oram locorum aliquot emendationibus) iſta ſunt:*

PAG. 538. Ανωφερῆ κάπεχ' ὕδατον) Repoſuimus Scaligeri coniecturam ſiue correctionem. Vulgo erat; ἄνω φέρει κατέχ' ὕδατον. Veſtigia ſcripturæ veteris poſuit ſupra Opſopœus.

PAG. 542.



PAG. 542. Ελκω, εἵλκυν) Editum erat, ἑάκω εἵακυν. Sed illud eiuſdem Scaligeri iudicio confirmabitur; nam & ita Opſopœus diuinauerat, vti liquet ex præmiſſis.

PAG. 549. *Spiritum vehementiorem aut recipit aut tenuit)* Coniectauerat Opſopœus, *renuit*. Ego putem verius, *tenuat*. Tenuat, inquit, vehementiorem illum ſpiritum. Hodiernis Grammaticis *leuigare* eſt.

PAG. 552. *Vt apud Dracontem*) Auſonius:

*Quod ius Pontificum, veterum quæ ſcita Quiritum,*
*Quæ conſulta patrum, quid Draco, quidve Solon*
*Sanxerit.*

Ex μονάδος κατάγει) Ita inueni emendatum ad oram Scaligeri libri ex vulgato ſeu corrupto, ἐκ μονάδος. Opſopæi coniecturam ſuperius habes. tu comparabis.

PAG. 559. Εἰρήκειν, εἰρήκειν) Alias εἰρήσαι erat vulgatum, ſed operarum, vt vides, lapſu.

PAG. 573. A verbo, *Deceo, deces*; πρέπω, πρέπεις) Euripides, πρέπω τῇ κόρῃ. Quomodo reſcribendum in Tibullo cenſeam lib. 3. eleg. 1.

*Illam quicquid agit, quoquo veſtigia mouit,*
*Componit furtim ſubſequiturque decor.*
*Seu ſoluit crines, fuſis decet illa capillis,*
*Seu compſit, comtis eſt veneranda comis.*

Eleganter enim ita ad Graiam formam. Vulgo eſt *decet eſſe*. In Tibullum
Sed de hoc alibi & plura dicenda ſint. coniectura.

*Contingit me veniſſe)* Appinxerat & aſteriſmum Opſopœus, putem quia fors ſuſpectum habuit locum. Et certe ſequentia iſta, *ſimiliter apud Græcos, συμέβη μοι ἡ ἐλπὶς declinationis eſt*; arguunt falſitatis. Quid tamen ſcriptum difficile ſit dicere, cum ipſe libelli huius deflorator multa, vt fatetur, aut ambigua ſibi aut auctoritatis incertæ vel prætermiſerit vel immutarit. Interim ex reliquiis illis Græcis videamus ſi fuerit fors, *contigit mihi venilia. Venilia* enim, vt ait Varro, *a veniendo* & illa Plautina formula, *Ventum gaudeo*. Sed omnium appoſitiſſime ad mentem noſtram Auguſtinus lib. 4. c. 11. de ciuitate Dei. *De ſpe*, inquit, *quæ venit venilia*. Tamen cogitabimus.

PAG. 574. *Candidus Auguſtæ ſternuit omen Amor*) Hodie in Propertio & paſſim editur: *Aridus argutum ſternuit omen Amor*. Quod interpretem deſiderauit; & conatum nupere re- Veriſimi-
perio iuuenem eruditum & nobilem Scoppium. *Aridus* ait lium lib. 4.
dictus *Amor* ob ſonum quem ſternutans edit quomodo & cap. 11.
*argutum*.

*argutum*. His deinde & rationes iungit, *& errorem quo tueatur, habet*. Quocirca laudo conatum; ſed quæ tandem hinc Propertiana maieſtate vel gratia digna vel lepos? Omnino ex Macrobianæ lectionis ſaciendum veſtigiis, *Candidus auguſtum ſternuit omen Amor*. *Auguſtum omen* artis auguralis propria dictio. Ennius: *Auguſto augurio poſtquam incluta condita Roma eſt*. *Candidus Amor*, idem Propertius, *Roma faue: tibi ſurgit honos, date candida ciues Omina*. Deinde *ſternuit* non capiendum craſſiori illa Minerua & quaſi naturalis hic aliquis fuerit πταρμός; ſed dicere ita ſolebant cum vel annuerent vel fauerent. Catullus, vti emaculauimus ſupra:

Propertij inſignis emendatio.

*Hoc vt dixit, Amor ſiniſtra amanti*
*Dextram ſternuit approbationem*.

Poſſim denique erroris huius originem adnectere; eraſam videlicet in Propertianis exemplaribus ſiue euanuiſſe (vt ſæpe in obſoletis iſtis & ſitu & carie codicibus deprehendimus) primorem ſeu capitalem literam in voce *Candidus*, remanſumque *andidus*, vnde enatum poſtmodum ineptum iſtud. Hæc, inquam, poſſim. Sed ſufficiet probaſſe nos aliquando hanc qualemcunque coniecturam noſtram illi Poëtarum veterum omniſque doctrinæ antiquæ Genio, illuſtri Ioſepho Scaligero; qui & obiter Catulliani loci, vbi Cupido ſiue Amor *candidus* quoque inſignitur, tunc admonebat. Locus hic eſt:

*Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe Cupido*
*Fulgebat crocina candidus in tunica*.

Propertij itaque verſus totus erit eiuſmodi:

*Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus*
*Candidus auguſtum ſternuit omen Amor*?

Exſtat lib. II. Eleg. 2.

PAG. 579. *Quam Iohannes carpſerat*) Cenſet Pithœus eſſe hunc Iohannem Scotum virum illum Græcæ Latinæque linguæ peritiſſimum qui Carolo imperatori coætaneus & Dionyſij libros Latinos fecit. Meminerit quoque eiuſdem interpretationis in epiſtola quadam ad Carolum Regem Pontifex Nicolaus. Suggeſſit Opſopœus.

IOH.



# IOH. ISACI PONTANI COLLECTANEA AD AVR. MACROBII COMMENTARIVM IN SOMNIVM.

## LIBRI PRIMI

### CAP. I.

HVNC *iuſtitiæ affectum pectoribus inoculandum*) Minus accurate in aliis libris, *inculcandum*. *Inoculare*, ἐνοφθαλμίζειν eſt, metaphora, vt admonet Camerarius, ab inſitionibus tracta. Siue etiam alluſum, quod non abſone exiſtimes, ad dictum Poëtæ apud Athenæum veteris, qui iuſtitiæ dixit χρύσεον ὄμμα. PAG. 2.

### CAP. II.

PAG. 5. *Quibus vel multum ſe Arbiter exercuit*) Ita Camerarij & alia illa vetuſtior editio. Tamen quod ſuggerit Stephanus, *Quibus vel multum eſſe Arbitrum*, ſi ex libris eſt; non diſplicebit quod aliis iam diu obſeruatum, *In quibus vel multum* &c.

PAG. 6. *Ei ſimilimum de viſibilibus ſolem repperit*) Nec vane apud Plutarchum Zoroaſtes *Lucem* appellauit. Et ipſe inter homines homo olim Deus, quid niſi ſe *Lucem* eſſe profeſſus eſt? Vnde nec alienum fortaſſis vulgatum illud Pythagoræ; *De Deo non eſſe ſine lumine loquendum*. Nam vt ait Romanus Philoſophus, *furioſa res eſt in tenebris impetus*.

PAG. 5. *E ſacrario ſuo in nutricum cunas ſapientiæ tractatus eliminat*) Seruat ad oram, liber Lugdunenſis, *directo*. Quæ fortaſſis ſuggeſtio non temeraria, & velificaretur modo Ms. aura, credam fuiſſe: *Sapientia directo eliminat*. Videndus de voce ea Feſtus & Plautus.

CAP.

CAP. III.

*Oraculum nuncupatur*) Oraculum ſomnium intellexit antiquitas, quod in fanis ſiue templis ſingulari cura captabant, Cic. 1. de Diuinatione: *Qui praerant Lacedamoniis Ephori non contenti vigilantibus curis in Paſiphaes fano, quod eſt in agro propter vrbem, ſomniandi cauſa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Apulei ſimile ſomniũ in templo Iſidis, extat Mileſij ſermonis vndecimo. Suetonij quoq. locus Veſpaſiano c.7. notabilis, *E plebe*, inquit, *quidã luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentẽ pro tribunali Veſpaſianum pariter adeunt, orantes opem Valetudinis demonſtratã a Serapide per quietem.* Certam eam fuiſſe demonſtrationem addit idem Suetonius: *Cum vix fides eſſet rem vllo modo ſucceſſurã, ideoq. ne experiri quidem auderet* (Veſpaſianus) *Extremo hortantibus amicis, palam pro concione vtrumq. tentauit nec euentus defuit.*

*Animi; vt ſi amator delitiis ſuis*) Ἐνύπνιον par deſcripſit eleganter Petr. Vbi & id ab oraculo ſiue χρηματισμοῦ diſcriminat:

*Somnia quæ mentes ludunt, volitantibus vmbris,*
*Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,*
*Sed ſibi quiſque facit. Nam quum proſtrata ſopore*
*Vrget membra quies, & mens ſine pondere ludit:*
*Quicquid luce fuit tenebris agit, oppida bello*
*Qui quatit, & flamis miſerandas ſæuit in vrbes:*
*Tela videt, verſaſque acies, & funera regum,*
*Atque exundantes perfuſo ſanguine campos* &c.

PAG. 8. *Corporis; ſi temeto ingurgitatus*) Apul. lib. 1. *Ne merito, inquam, medici fidi cibo & crapula diſtentos ſaua & grauia ſomniare autumant. Mihi denique, quod poculis veſperi minus temperaui, nox acerba diras & truces imagines obtulit.* Plutarchus quoq. Sympoſiacõn li. 8. quæſtione decima, *cibos*, ait, *certos eſſe qui difficiles ſomnos faciant & animam perturbent; teſtatumque id fieri fabarum exemplo & polypodis capite, quibus abſtinere iubentur qui diuinare per ſomnum cuperent.* Hinc Cicero (quod a re alienum non erit addidiſſe) cenſuit Pythagoreis interdictum, ne faba veſcerentur, quod is cibus tranquillitatẽ mentis quærentibus conſtaret eſſe contrarius. Sed Ariſtoxenus muſicus, (vti annotat ſtudioſe Noctiũ Scriptor) vir literarum veterum diligentiſſimus, Ariſtotelis auditor, in libro quem de Pythagora reliquit, nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit vſum quam fabis: quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim aluũ & leuigaret. Verba ipſa Ariſtoxeni adſcripſit,





adſcripſit, quem dixi, Auctor, & obiter de κυάμων non eſitato cauſam erroris adnectit ex male intellecto Empedoclis verſu. Locus eſt lib. 4. c. 11. Porro in Apulei, quæ poſui, verbis, *medici fidi*, non fidam ſatis ſcripturam animaduerterunt viri eruditi. Cenſuit Cl. Lipſius reſcribendũ, *medicifici*, vel *medicifices* pro ipſis *medicis*, quiq. artem eam faciant, vt *ſignifices* & talia. Alij *medici viri* vrgent. Ego hic nihil definiam: videndum tamen moneo, ne Auſoniana voce fuerit; *medicini cibo & crapula diſtentos ſaua & grauia ſomniare autumant.* Nam ita pro *medicis* dixiſſe alicubi Burdigalenſem illum in Epiſtolis obſeruaui. Hoc, inquam, videndum; quamuis ipſe, vt rem dicam, malim: *Medici filij.* Macrob. lib. 1. c. 17. *Eadem opinio ſoſpitalis & Medici Dei in noſtris quoque ſacris fouetur. namq. virgines Veſtales ita indigetant:* APOLLO. MEDICE. APOLLO. PAEAN.

Apulei ſcriptura ſollicitata.

*In quadam (vt aiunt) prima ſomni nebula adhuc vigilare ſe exiſtimans, qui dormire vix capit*) Non abſimilem dixit ſomnum ſuum Seneca ad Lucilium Epiſtol. 83.

*Conſuetudinem meam noſti, breuiſſimo ſomno vtor & quaſi interiungo; ſatis mihi eſt vigilare deſiiſſe.*

Sed clarior res erit, ſi cum ſcriptis pleriſque reformes: *& quaſi interuigilo*, id enim eſt, quod explicat ipſe, & quaſi dicat; ſufficit mihi nec indormiſſe omnino, nec plane vigilaſſe. Senſit hoc liquido Seneca illud ſcripſit, ſed ita vt vocem *interuigilo* interpretemur non veluti verbum, verum vt *ſomni* adiectionem. *Somno* itaq. *breuiſſimo & quaſi interuigilo* erit leui & veluti inſomni. Tale de canũ natura expreſſit poëta vetus; *Hæc leuiſomna canũ fido cum murmure corda.* Dictio deniq. quam eruimus poſſit aliquid, qua flexione, adferre dubitationis, ſed nõ debet. Plautus, *Tuam fidem Venus noctiuigila.* Amo autem virum doctum qui licet mentẽ hanc Philoſophi non tetigerit, maluit tamen de ſcriptura ſatagere quam temere reiicere.

Senecæ vetus lectio retractaatq. expoſita.

PAG. 9. *In quo genere eſt ἐφιάλτης*) Maro in Culice:

*Deuictum maſtus procul aſpiciens Ephialten.*

*Et matutinus ei precator occurrit*) Locus eſt Senecæ Philoſophi cap. 16. lib. 6. de Beneficiis;

*Itaque medico qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine vllo affectu facienda vitandave præcipiens, nihil amplius debeo; quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam imperatorem.*

Qui quam miſerum in modum huius ſuperiorisque ætatis doctiſſimos exercuerit, abunde ſciet quiſquis conſuluerit Alciat.

Alciat. lib.7.cap.13. parerg. Duarenum lib.1.cap.54. Diſput. Anniuerſ. Connanum, Hotomannum, Pincianum: &, omnes ne enumerem, vnus Gruterus ad Senecam eſto inſtar omnium. Eo autem ſententiæ fere ſingulorum redeunt vt ægrotos imperantes ſiue imperatores antiquitus cenſeant appellatos. Quod quam abſonum hoc certe Senecæ loco ſit vberius aliquando, ſi volentibus Muſis erit, demonſtrabimus; nunc ſufficiat monuiſſe omnino Macrobiana illa voce

Iterum in Senecam coniectura.

faciendum: *quia me non tamquam amicum vidit, ſed tanquam precatorem.* Vitij cauſa fuit quod finalis litera in voce *tanquam* geminauerit in ſequenti. Deinde *amicum* & *precatorem* quam eleganter comparauerit Philoſophus, quis, niſi cui animus pro ſale ſit, non videat?

*Somnium proprie vocatur quod tegit figuris*) Idque ὄνειρος eſt. Artemidorus ſignanter: *Siquidem ὄνειρος Græcis ab ὂν id eſt verum, & εἴρειν quod eſt loquor conſtruitur.*

*Huius quinque ſunt ſpecies*) Sumptum ab eodem, quem dixi, Artemidoro. Qui & aptiſſime adnectit eiuſmodi tunc ſomnia dici proprie ἀλληγορικοὺς ὀνείρους. Vide cap.1. lib.1. Doctos itaq. viros qui hanc ſugillant Macrobij partitionem, ſugillare prius oportuit in hac palæſtra principis Artemidori.

*Seu alia ſidera vel cælum omneſque terras aliquid ſentiat innouatum*) Ita accipio iſtud Aſtrampſychi in Onirocritico,

Aſtrāpſychi locus conſtitutus.

πολὸν βλέπειν θέοντα, μυστικὸν τόδε. Nam quod alias legitur, πῶλον, quomodo nouum aut notabile? Hippocrates quoq. aſpexit in rebus ægri, Libro de Inſomniis: Γῆ κινουμένη θεωμένη, ἢ οἰκίη, ὑγιαίνοντι μὲν ἀσθένειαν σημαίνει· νοσέοντι δὲ, ὑγείην καὶ μετακίνησιν τοῦ ὑπάρχοντος. *Terra aut domus moueri viſa, ſano quidem viro debilitatem ſignificat, ægrotanti vero ſanitatem & ex præſenti ſtatu tranſmotionem.*

PAG.10. *De ſtatu, inquit, publico credendum regio ſomnio*) Neſtoris verba ſunt Iliad. B.

Ω φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες
Εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπε,
Ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον.
Νῦν δ' ἴδεν ὃς μέγ' ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔχεται εἶναι.

Nos ita obiter reddebamus,

*O ſocij, Argiuumque duces late induperantes,*
*Si quis ab hoc alius Danaum ſua ſomnia narret,*
*Vana aiam & veris confutabo argumentis.*
*Nunc vidit, populo qui præſidet, ille Agamemnon.*

Vbi



Vbi ὄνειρον ἔνισπε formulariter intellexi quomodo Amphitruone Plautus, *Recte dicit, vt conniuet; ſomnium narrat tibi.* Et Martialis, *Semper mane mihi de me mera ſomnia narras.* Homeri verſus expoſiti.

CAP. IIII.

*Non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis*) Hinc adumbrata Tiberij Cæſaris verba apud Tacitum Annal.4. *Satis ſuperque memoriæ meæ tribuent (poſteri) vt maioribus meis dignum, rerum veſtrarum prouidum, conſtantem in periculis, offenſionum pro vtilitate publica non pauidum, credant. Hæc mihi in animis veſtris templa, hæ pulcherrimæ effigies & manſuræ. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur.*

CAP. V.

PAG.14. *Prima incorporea natura, poſt corporea*) Ita & Camerarius. Præfero tamen quod in vetuſtis eſt, *poſt corpora.* Infra, *primam poſt corpora diximus incorpoream naturam.*

*Quas ſuo nomine grammas Græcia nominauit*) Gloſſæ, *Liſta* γραμμή.

CAP. VI.

PAG.20. *Illa vero quinario numero proprietas excepta potentia*) Quinarij ſeu imparis numeri magna ratio & reuerentia fuit apud Veteres. Notum verbum Græcum; ἢ πέντε πῖν' ἢ τρεῖς πῖν' ἢ μὴ τέτταρα. Qui locus in Plauti Sticho eſt, & male interpretes, quot vidi, ad vini temperationem referunt. Liquet ex præmiſſis,

*Quot cyathos hos bibimus? St, tot quot digiti ſunt in manu.* Plautus explicatus.
De cyathorum itaque numero capiendus. Plinius hanc ad rem proprie: *Numerum quoque quaternarium prodidit Demetrius condito volumine; & quare quaterni cyathi ſextariiue non eſſent bibendi.* Exſtat lib.28. cap.6. & mirum quomodo Plautinis id enarratoribus fugerit, cum & Eraſmo iam olim annotatum in Chiliadibus.

PAG.23. *Vnde Homericus cenſor cum Græcis imprecaretur, Vos, inquit, in aquam & terram*) Menelaum intelligit Iliad. η dicentem: ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

PAG.25. *Deinde nouem*) Numerorum itaque digramma refingendum. Loco VIII. ponendum IX.

PAG.28. *Die ſeptimo folliculum genuinum*) Ita ad oram Camerarius, quod ſequutus Stephanus. In textu tamen &

Vv vetuſtiori-

vetuſtioribus quoque libris, *genitiuum* remanet. Cato de Liberis educandis, *Nutrix hæc omnia faciat in verbenis ac tubis ſine hoſtia, vt Deli ad Apollinis Genitoris aram.* Porro de *folliculo* Arnobius: *Nihil enim eſt nobis promiſſum ad hanc vitam, nec in caruncula huius folliculo conſtitutis, opis aliquid ſponſum eſt.*

*Septimo die ſaltum ſeptimum eiiciendo cum tali folliculo*) Hæc antiqua & ſcripta lectio. Alias diſerte legitur, *ſeptimo die ſaltu eiectum cum.* Illud cogitandum ſi fuerit: *ſeptimo die conceptum eiiciendo.* Vide Hippocratem libro περὶ φύσιος παιδίου.

*Quorum vnum diſſiptum*) Faciendum cum Fruterio, *imum diſſiptum. Diſſiptum, diſſeptum* eſt, vt *conſiptum* Feſto. Celſo, *ſeptum* memini dictum. Græcis, διάφραγμα eſt.

## Cap. VIII.

Pag.36. *Humaniſque actibus, tanquam diuinis arbitris prouidere*) Editiones pleræque, *diuis arbitris.* Quod placet, & malim porro, *præſidere.* Arnobius lib. 3. *Niſi forte hoc dicitis Deos artifices non eſſe, ſed eos his artibus præſidere.* & iterum, *Cornificius halare conuincitur qui nouitati præſidentibus diuis aliena potentia vim donat.*

*Quas purgatorias vocant*) Præclare & appoſite Pythagoræ interpres Hierocles, φιλοσοφία ἐστὶ ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσις, καὶ τελειότης. κάθαρσις μὲν ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητοειδοῦς σώματος. τελειότης δὲ, τῆς οἰκείας εὐζωΐας ἀνάληψις, πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἐπανάγουσα. *Philoſophia eſt vita humanæ purgatio & perfectio. Purgatio quidem cum fece rationi contraria mortalique corpore liberat. Perfectio, cum vita ſuæ præſtantia ad diuinam ſimilitudinem deducit.*

*Et quadam humanorum fuga ſolis ſe inſerere diuinis*) Platonis hæc omnia Pythagoræque moneta percuſſa. Arnobius, *Quid Plato veſter in Theæteto, nonne animo fugere ſuadet e terris, & circa illum ſemper (quantum fieri poteſt) cogitatione ac mente verſari.*

## Cap. X.

Pag.42. *Vulturem iecur immortale tondentem*) Plane eiuſdem notæ Petronij Epigrammatium:

*Qui vultur iecur vltimum pererrat,*
*Et pectus trahit intimaſque fibras,*
*Non eſt quem timidi vocant poetæ,*
*Sed cordis mala liuor atque luxus.*

Non



Vbi non diſplicet filij Douzæ diuinatio, *Titij vocant poetæ,* licet vulgatum ſua quoque ratione probum. At vltimo verſu, quod nondum, quod ſciam, aduerſum, & tamen rei quodammodo cardo eſt, admoneo ego ſcriboque, *liuor atque luctus.* Eodem hoc capite Macrobius; *Cocytum quicquid homines in luctum lachrimaſque compellit.* Sed hoc quoque poſtmodum ex Euſthatio aſſertum comperi in nuperis ad Arbitrum Spicilegiis filio eidem Douzæ. Quod rei & fidei meæ cauſa dictum volui; & illud inſuper Epitaphium breue melos additum, iudicij & amoris erga eum noſtri ſi non æternum certe pium monumen. In Petronio correctio.

## IANI DOVZÆ FILII EPITAPHIVM.

*Hos quiſquis lapides teris viator,*
*Noli nobile præterire marmor.*
*Phœbi delicium, Mineruæ amores,*
*Phœbi lux Latio, Mineruæ Athenis,*
*Ars & gratia, * Cæliturnque norma,*
*Patris gloria, floſculuſque vatum,*
*Plautini decus & dolor choragI,*
*Atque illæ Veneres Triumuirorum,*
*Hoc, quo Douza iacet, manent ſepulchro.*

* Referendum ad *Rerum Cæleſtium* librú.

*Admiſſi ſceleris admonitione laniantis*) Efficacius foret, *lancinantis.*

*Infauſtam ambiunt tyrannidem nunquam ſine timore victuri*) Talem inquietudinem expreſſit in Caligula Suetonius, cap.50. *Magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus, inuocare identidem atque exſpectare lucem conſueuerat.* Cui plane par Taciti ſuper Nerone locus; obſcuriuſculus tamen & non omnibus fors intellectus. Ego adſcribam vt illuſtrem & alium eius occaſione emaculem. Lib.14. Annal.

*Reliquo noctis modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exſurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitium allaturam.*

Vulgariter enim ſi penultimam vocem interpretemur, ſimilius vero & omni hiſtoriæ fuerit, *ablaturam.* Præter lauda-

 tum

Taciti locus expenſus. tum iam Tranquilli ſuffragium, ipſe Tacitus ea mente lib. 3. Hiſtoriarum de Vitellio: *Qua, inquit, natura pauoris eſt, cum omnia intuenti, præſentia maxime diſplicerent, in palatium regreditur.* Pariter hic Nero, quaſi metum omnem & diſcrimen dies eximeret, luce noctem mutare deſiderat. Hæc ſententia germana Taciti, quam tamen ſeruata ſcriptura veteri, rite elicio; modo *exitium* cum Feſto & ἀρχαϊκῶς capiatur pro fine & exitu cuiuſque rei. Apuleius, *Lanceam venatoriam, qua parte minatur exitium, in ima viſcera condidiſſe. Initium* deinde ſimiliter vſitatum idem Feſtus & Veteres annotarunt.

Alius correctus Ego Tacito, vt dixi, redonandum cenſeo, vbi editur lib. Hiſtoriarum 3.

*Iam reſerata militia, impulſas Vitellij res audietis; iuuabit*
*ſequi & veſtigiis vincentis inſiſtere.*

Putauit autem æternus ille Cornelij cenſor reſcribendum: *reſerata Italia.* At, *reſerata initia* elementa literarum & mentem auctoris propius erit.

*Sibi videntur exitium quod merentur excipere*) Aſpexit indubie Petronij verba; *Dij deæque quam male eſt extra legem viuentibus, quicquid meruerunt ſemper exſpectant.*

*Dionyſius aula Sicula inclementiſſimus incubator*) Seruius in Tertium Æneidos: *Apud nos incubator imperij tyrannus dicitur.* Martialis alluſit,

*Largiris nihil, incubaſque gaza*
*Vt magnus Draco.*

Videndus vberius Turnebus Aduerſ. primo.

*Familiari quondam ſuo ſolam beatam exiſtimanti vitam tyranni*) Quod de Saturnino Vopiſcus ſcripſit plane geminum eſt: *Et cum eum animarēt vel ad vitam vel ad imperium, qui induerant purpuram, in hac verba diſſeruit; Neſcitis amici quid mali ſit imperare. Gladij & tela noſtris ceruicibus impendent, imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur. Non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur.*

## CAP. XI.

PAG. 44. *Ipſamque Lunam vitæ eſſe mortiſque confinium*) Vel hinc lucem aliquam accipient verba Apulei; quæ, vt ipſe aſſerit, non poſſunt ſine piaculo ad prophanorum enunciari

Apuleio lux. intelligentias. Exſtant libro vndecimo: *Acceſſi confinium mortis*



*mortis, & calcato Proſerpinæ limine per omnia vectus elementa remeaui. Nocte media vidi Solem candido coruſcantem lumine Deos inferos & Deos ſuperos; acceſſi coram & adoraui de proximo.*

*Deinde illam æthereā terram phyſici vocauerunt*) Idem infra, *Lunam quoque terram ſed ætheream vocauerunt.* Statij interpres vetus & doctus Lutatius hinc emaculandus eſt. Ait Lutatius corrigitur. ad iſtud Thebaid. 1. *Mediaque ſilentia Lunæ: Philoſophi lunam eſſe in terra dicunt, quæ circa noſtrum hoc ſolum circulo altiore ſuſpenſa.* Certiſſima emendatio: *Lunam æthéream terram dicunt.*

*Habitatores eius lunares populos nuncuparunt*) Recepta opinio, Lunam non minus ac terram habitari ac coli. Arati interpres: εἶναι δὲ ἐπ' αὐτῆς οἴκησιν ἄλλων ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς. Videndus Politianus ad illud Tragici,

*Sublimis alias Luna concipiat feras.*

PAG. 45. *In qua Elyſios campos eſſe*) Maro de Elyſio magnifice lib. 5. *Sed amœna piorum Concilia Elyſiumque colo.* Aliter in Sexto Martialis:

*O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad vndas,*
*Elyſiæ vidi nubila fuſca plagæ!*

Quo tamen loco tenent me illa verba, *nubila fuſca.* Nonne enim vtraque vox eiuſdem notæ? An augere loci tenebras voluit geminatis copulatiſque epithetis? Mihi vix probabile, & credam magis non ſincera ea verba, imo ineptum par. Emaculem componamque: *Elyſiæ vidi nubila fluſtra plagæ.* Feſel- In Martialem coniectura. lerat fortaſſis librarios priſca dictio. Tertull. *Mare de fluſtris temperatum & exemplo de decumanis inquietat.* Feſtus: *Fluſtra dicuntur, cum in mari fluctus non mouentur, quam Græci* μαλακίαν *vocant.* Quo quid aptius liuenti huic ſilentique paludi?

*Pondere ipſo terrenæ cogitationis paulatim in inferiora dilabitur*) Senſit idem ſublimis ille inter Chriſtianos Philoſophus, inter Philoſophos Chriſtianus Origines: Notauit ad Pammachium D. Hieronymus. *Dicit Origines*, inquit, *cunctas rationabiles creaturas incorporales & inuiſibiles, ſi negligentiores fuerint paulatim ad inferiora labi, & iuxta qualitates locorum ad quæ defluunt aſſumere ſibi corpora. Verbi gratia, primum æthérea, deinde aërea. Cumque ad vicina terræ peruenerint craſſioribus corporibus circundari, nouiſſime humanis carnibus alligari.*

## Cap. XII.

Pag.46. *Ideo primam naſcentibus offerri ait lactis alimoniam; quia primus eis motus a lacteo incipit)* Hinc & Circulo huic nomen natum innuit libro de Nympharum antro Porphyrius: Δῆμος δὲ, inquit, ὀνείρων κατὰ πυθαγόραν αἱ ψυχαί, ἃς συνάγεσθαί φασιν εἰς τὸν γαλαξίαν τὸν οὕτω προσαγορευόμενον ἀπὸ τῶν γάλακτι τρεφομένων, ὅταν εἰς γένεσιν πέσωσιν. Vide Spicilegium Meurſij ad illud Theocriti, καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος, Idyll. 25.

P.47. *Volens nouum potum materialis alluuionis intelligi)* Non debet hac occaſione inſanatus abire illuſtris alioqui Arnobij locus. Editur lib. 1. *Puerile, puſillum eſt, & exile, vix & illis conueniens, quos iam dudum experientia doctorum dæmonas appellat, & hos non noſſe cæleſtia & in hac rerum materia craſſiori, conditionis ſuæ ſorte verſari.* Sed oſtendit clare, præter ſententiæ ſalebram, loci plagam liber Romanus, qui

In Arnobio melior emendatio. ſeruat, *errores non noſſe cæleſtia.* vnde probabiliter, diducta compendiali ſcriptura extractaque ex proxima voce litera, fecerim: *terreſtres non noſſe cæleſtia & in hac.* Quaſi vero, inquit, cæleſtibus illis numinibus terreſtrium non eſſet perſpecta conditio & natura. *Materiam* autem *craſſiorem* intelligit quam Macrobius *materialem* dixit *alluuionem*, quæ, vt Plato ſentit, hyle influente hauritur.

Pag.49. *Nec te moueat quod de anima, quam eſſe immortalem dicimus, mortem totiens nominamus)* Tangit Platonem Arnobius; quod *cum animas dicat immortales perpetuas & corporali ſoliditate priuatas, puniri eas dicat tamen & doloribus affici ſenſuum. Quis autem,* ſubdit, *hominum non videt, quod ſit immortale quod ſimplex, nullum poſſe dolorem admittere? quod autem ſentiat dolorem, immortalitatem habere non poſſe?* Hinc itaque συλλογίζεται gentium ille antagoniſta, mediæ eſſe qualitatis animas. *Sunt enim,* inquit, *mediæ qualitatis (ſicut Chriſto auctore compertum eſt) & interire quæ poſſunt, Deum ſi ignorauerint, vita & exitio liberari, ſi ad eius ſe minas atque indulgentias applicarint.*

## Cap. XIII.

Pag.50. *Et ipſam philoſophiam meditationem eſſe moriendi)* Hæc fere ſententia corrumpendo fuit inſigni apud Senecam



Senecam loco. Ait de morbo ſuo, quod ſuſpirium appellat Epiſtol. 55.

*Itaque medici hanc meditationem mortis vocant.*

Et ambigit vir eximius noſtraque tempeſtate medicinæ antiquæ princeps Hieron. Mercurialis, quæ proprie hæc fuerit ægritudo. Ὀρθόπνοιαν vix dicendam cenſet, cum aiat Seneca intra horam deſinere conſueuiſſe, illa vero diutius protrahatur. Ipſam itaque δύσπνοιαν vel cordis palpitationem ſtatuendam non reſtat, cum in ea non modo grauiſſima anhelandi difficultas, quaſique ſuſpiratio, verum etiam præſentaneum ſuffocationis periculum ſit. Nam inquit iterum Philoſophus, *Quis enim diu exſpirat?* Itaque vt ad rem; miratur hoc loco Mercurialis cur aiat Seneca medicos malum hoc *mortis* dixiſſe *meditationem.* Maluiſſet ille *exercitationem*, cum profiteatur ipſe Seneca nihil aliud eſſe eiuſmodi ægritudinem, quam animam agere. Præclare hæc Mercurialis, niſi quod ego ipſum ἆσθμα fuiſſe cenſeam; nam, vt diſerte Celſus, *ἆσθμα eſt cum vehementior eſt ſpirandi difficultas & ſpirare æger ſine ſono & anhelitu non poſſit.* Et ſtatim, *Ἆσθμα & ὀρθόπνοια acuta eſſe conſueuerunt, δύσπνοια poteſt diutius trahi.* Præclare tamen Mercurialis, & eo duce pedum mihi viſa via eſt. Senecæ, inquam, ſuam vocem & mentem eruiſſe mihi videor tali emendatione: *Modulationem mortis vocant.* Corruptio, vt dixi, a ſuperiori illi non diſſimili gnoma dimanauerit, quæ ſacro illi gregi in animo & calamo crebrior, quam hæc venuſte a Philoſopho efformata dicendi figura. *Modulationem* enim *mortis* quam ſignate dixerit funeſtum illum reciprocumque ſpiritum vel illud κύκνειον ᾆσμα a Martiale celebratum comprobauerit:

Lib. 6. c. 16. Variarum lectionum.

In Senecam notabilis diuinatio.

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*
*Cantator cygnus funeris ipſe ſui.*

## Cap. XV.

*Eſt autem lacteus vnus e circulis qui ambiunt cælum)* Imo non vnus ille e cæli circulis, ſed vnicus quodammodo in cælo circulus. Errantium enim reliquique circuli nec re nec ſpecie tales, ſed *eos*, vt caute ſcripſit Capella, *Circulos non ita dicimus, vt liquentis naturæ diſcrimina corpulenta fingamus, ſed vt aſcenſus deſcenſuſque ad nos errantium demonſtremus.* Et de ipſo Lacteo paulo poſt:

Vv 4 Nam

*Nam confinio ſeptentrionis circuli natus in finitorem antarcticæ regionis acclinans, penè totum videtur permeare cælum, quem quidam mihi deſipere videntur, qui circulum negauerunt.* Quæ verba in ſuſpicionem me ducunt ſcriptum paulo ante eidem Capellæ: *Ego præcepta potius ediſſeram diſciplinæ, ac vndecim mundi circulos aſſenero*, pro quod editur *decem*.

In Capella correctiuncula.

## Cap. XVI.

Pag.65. *In punctum quaſi vere iam poſtrema deficiat*) Seruant ad oram libri loco *vere, ſphæra.* Quaſi terram non ſphæram dignaretur dixiſſe ſed ſphæricum quaſi punctum. Quod non abſonum adeo fuerit. Prius tamen quis ſollicitet?

## Cap. XIX.

*Vt ratione tamen deprehenderint & edixerint*) Animo meo poſtrema hic vocula ſpuria ſit. Suggerit ad marginem Lugdunenſis: *elicuerint.* Fallor? aut ſcripſit Aurelius, *delicuerint*, quod nos *delicauerint* aut *declarauerint* dixiſſemus. Nonius: *Delica eſt aperi vel explana. Titinnius, Quid iſtuc eſt? aut quid iſtic ſibi vult ſermo, mater delica.*

*Circulus per quem Sol diſcurrit a Mercurij circulo*) Reſpexit ingenioſiſſimus ſeculi ſui Nicolaus Copernicus. *Quapropter*, inquit, *minime contemnendum arbitror, quod M. Capella, qui Encyclopædian ſcripſit, & quidam alij Latinorum percalluerunt. Exiſtimant enim, quod Venus & Mercurius circum errant Solem in medio exiſtentem, & eam ob cauſam ab illo non vlterius digredi putant, quam ſuorum conuexitas orbium patiatur. quoniam terram non ambiunt vt cæteri, ſed abſidas conuerſas habent.* Quam deinde ſolertiam æmulus Clariſſimus ille Danorum & æui noſtri Atlas, vir inluſtris Tycho Brahe, non Soli Cælove, vt Torinenſis ille torpentem quietem, ſed naturæ eorum, * quæ vt anima noſtra in motu ſemper, conuenientiſſimum habitum tribuit, aſſimilem plane Ægyptiorum huic, vti noſter ſentit; vt Capella, Pythagoræ inuento. Tychonianas vero hypotheſes ipſas, cæleſti ingenio & cura elaboratas (quod nos, dum in inſula Ponti Danici Venuſia iucundiſſime cum eo degimus penitius didicimus) agnoſcet aliquando nec mirabitur ſatis noſtra aut poſtera ætas.

* *Nam vt corporis humani puriſſima pars anima, ita Mundi cælum. Si itaque puriſſima & neceſſario motui aptiſſima.* Vide etiam Macrob. ſupra pa. 66.

*Lucem niſi de ſuperpoſito Sole cui reſplendet*) Malim, *deſuper oppoſito.* Dixit iam ante, *Sic enim euenit, vt aut Luna contra Solem poſita ad mutuandum ab eo ſolitum lumen.*





Pag.75. *Humana perſuaſio eſt; quæ ſtellis numeros & nomina fecit*) Plenus fere verſiculus eſt, & Senecæ quoque annotatus lib. 7. Natural. Quæſtionum cap. 25. *Nondum ſunt*, inquit, *anni mille quingenti ex quo Græcia*
*ſtellis numeros & nomina fecit.*

## Cap. XX.

Pag.79. *Poſſidonius multo multoque ſæpius*) Cleomedes, Ποσειδώνιος ὑποθέμενος μυριοπλασίονα τὸν ἡλιακὸν κύκλον τοῦ τῆς γῆς κύκλου. ἀπὸ τούτου ὁρμώμενος, δεικνύσιν, ὅτι μυριάδων τετρακοσίων εἶναι δεῖ τὴν τοῦ ἡλίου διάμετρον.

Pag.82. *Diem condidit*) Quomodo Callimachus, ἥλιον κατεδύσαμεν. Et Maro, *ſoles condere.* Nec aliter locus ille Senecæ ſcribendus in Epiſtolis; *Alexandrum ille Herculaneus & fatalis ſcyphus condidit.* nam *perdidit* gloſſematium eſt. Idem Conſol. ad Martiam: *Atque ita lumen omne prcludi iuſſit & ſe in tenebris condidit.*

## Cap. XXI.

Pag.85. *Duobus igitur vaſis æneis præparatis*) Expreſſit hanc veterum aſtra ſpectantium inuentionem non minus perſpicue Theo in Commentariis ad Ptolemæū lib. 5. συντάξ. μεγάλης. Quam qui volet ibidem recognoſcito. Ptolemæus vero ipſe rationē iſtam vt incertam præterit. Hipparchus in rectis aſcenſionibus locum aliquem dat, in obliquis nō item. Verba ſunt Theonis: Ἵππαρχος δὲ ἐπὶ μὲν τῆς ὀρθῆς σφαίρας ἀληθὲς εἶναι τοῦτο φασὶν ὡς ἀδιαφοροῦντος ἐν τῇ ἰσημερίᾳ τοῦ χρόνου τῆς τοῦ κόσμου περιστροφῆς πρὸς τὸν χρόνον τῆς ὅλης ἡμέρας, ὅς ἐστιν ἀπὸ τῆς πρώτης ἀναβολῆς τοῦ ἡλίου μέχρι τῆς κατὰ τὴν ἑξῆς ἡμέραν πρώτης ἀνατολῆς. ἐπὶ δὲ τῆς ἐγκεκλιμένης ψεῦδος. Cauſam deinde adiiciens ait, διὰ τὸ τὸν ἥλιον ἐπὶ τῶν βορειοτέρων κλιμάτων παρὰ τὴν τοῦ ἰσημερινοῦ ἔγκλισιν ἐν πλείοσι χρόνοις ἀναφέρεσθαι τοῦ ὁρίζοντος ἤπερ ἐπὶ τῶν νοτιοτέρων.

Pag.87. *Paribus æque vicibus annotauit*) Omnino reducendum quod ad oram Camerarij edit. *paribus aqua vicibus.* Elegans ea dictio & a militia ducta. Plautus, *vices memorat & cicatrices denudat.*

*Qui ideo mundi natalis iure vocitatur*) De tota hac re videndus vberius Iulius Firmicus cap. 1. lib. 3. vbi mundani thematis auctores ponuntur Æſculapius, Anubis, & eos ſecuti Petoſyris & Necepſo.

Pag.88. *Vel vetuſtatis ingenium*) Apuleius de Mundo: *Sola philoſophia ſuum non deſpexit ingenium.* Gloſſarium; *ingenium, εὐφυΐα, φύσις.*

## LIBRI SECVNDI

### Cap. I.

Pag.94. Compositvm, *ſibique conſentiens modulamen editur*) Alias eſt *educitur.* Ego præeunte marginali lectione *efficitur*, refingam, *elicitur.*

### Cap. III.

Pag.102. *Mortuos quoque ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu*) Hinc apud Gloſſographum, *ὕμνοι, ἐπὶ τῶν νεκρῶν, Nania.* Et Apud Agellium, *Siticines dicti quod apud ſitos id eſt vita functos canebant.* Quales erant & *præficæ*, niſi quod lamentabilior harum fuerit clangor. Macrobius autem hoc loco quarundam gentium peculiare inſtitutum notat, quibus hilariores erant & gaudentes exequiæ. Et addit, *Hac rſuaſione id factum, quia poſt corpus anima ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt, ad cælum redire credantur.* Fortaſſis itaque & Chriſtianorum eo æuo ritus hic aſpexerit Aurelius. D. Hieronymus in funere Fabiolæ: *Sonabant pſalmi & aurata templorum reboans in ſublime quatiebat aleluia.* Vbi adnotat eruditiſſimus Scholiaſtes, *canebatur aleluia quaſi gratulantium quod euolaſſet ad cælum.*

Pag.103. *Et quid mirum ſi inter homines muſicæ tanta dominatio*) Cenſorinus: *Hominum quoque mentes ipſa, quamuis Epicuro reclamante, diuinæ ſuam naturam per cantus agnoſcunt. Denique, quo facilius ſufferant laborem vel in nauis metu a victore ſymphonia adhibetur.* Quibus in verbis bis peccatum. Primum lego: *diuinam ſuam naturam.* Et hoc erit quod dixit Macrobius, *Anima in corpus defert memoriam muſicæ cuius in cælo fuit conſcia.* Deinde, *nauis meatu*, vel quod potius puto: *metatu. Metare* enim proprie de re prolixa & longa. Maro de Serpente: *Metabat ſeſe circum loca*, &c.

ius cur.

Cap.



### Cap. IIII.

Pag.105. *Si tardior lentiorve*) Ad oram editionum veterum eſt, *leniorve* Et firmat quod ſequitur, *ſi leniore; in grauius ferit auditum.* Vbi tamen libri alij *lentiore.* Sed illud retinuerim.

*Ergo & ſuperiores orbes, dum pro amplitudine ſua impetu grandiore voluuntur*) Capiet Macrobius de diurno curſu, qui indubie concitatiſſimus in ſupremis, ſi ambitionis videamus ad inferiores orbes diſparitatem, & tamen progreſſionis æqualitatem. Alias autem, & aſpectu annui motus, Saturni orbem tardiſſimum intelligi, peruulgatum eſt. Macrobius i excuſatur.

*Dumque ſpiritu vt in orgine ſua fortiore*) Malim, *ſui.*

Pag.106. *A nonnullis Aſtronomiæ ſtudentibus*) Lego apud Senecam, *ea philoſophiæ vis, vt non ſolum ſtudentes, ſed etiam conuerſantes iuuet.* Et iterum, *Minore labore opus eſt ſtudentibus in diem.*

### Cap. V.

Pag.108. *Vides habitari in terra raris & anguſtis locis*) Senecæ locum Natural. Quæſtion. lib. I. ſub Prologi finem hac occaſione correxerim. Vulgatur: *Quid tibi inquam iſta proderint? Si nihil aliud hoc certe, ſciam omnia anguſta eſſe.* Correxerim, inquam; *cætera ſciam omnia anguſta eſſe.* Facit pro hac mente ſententia præmiſſa & illa paulo ante verba: *Nec poteſt ante contemnere porticus & lacunaria ebore fulgentia & penſiles ſiluas & deriuata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem ſuperne deſpiciens, anguſtum & magna ex parte opertum mari, etiam ea parte qua extat late ſqualidum, & aut vſtum aut rigentem, ſibi ipſe ait; Hoc eſt punctum quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur.* In Senecam coniectura.

*Et in ipſis quaſi maculis, vbi habitatur*) Hac forma inſulas *nauulos maris* elegantiſſime dixit in libello de Mundo Apuleius; *Minores*, inquit, *vt nauuli quidam per apertas Ponti ſunt ſparſæ regiones.* Quam lectionis venuſtatem debemus Cl. V. Vulcanij Manuſcripto. Nam alias editur, *vt nebulæ quidem.* Et ſtatim eiuſdem Apuleiani libelli eodem capite locus, qui huc quoque faciat, in mendo etiamnum manet, & neſcio an iuuare potuerit idem ille codex, certe non iuuit. Extat pag. 64.

Multa

*Multa alia vrbes admodum ſparſa hanc noſtram inſulam, id eſt, hunc terrarum orbem, ornamentis ſuis pingunt & continuatione, vt quibuſdam ſertis, coronant.* At obſecro quænam iſtæ vrbes ſiue oppida ſint, hunc terræ orbem tam decore cingentia? Ego interpretem nullum reperio, nec puto reperiri. Quocirca ingenio duce, &, niſi valde fallar, certiſſima correctione expedio, *Multaque alia, tuberes admodum.* περὶ τῶν νήσων φύσεως καὶ θέσεως omnis hic ſermo. Ideoque Apuleius Ariſtotelis mentem proprie & preſſe ſublegens μεγίϛας νήσους interpretatus eſt, *aggeres inſularum.* Minuſculas vero quas Philoſophus μικρὰς appellauit καὶ οὐκ ὀλίγας, ille metaphoræ ſuæ memor *tuberes admodum ſparſas* aptiſſime extulerat ſi per imperitos licuiſſet. Nos reducamus περιλογίῃ huic conuenientiſſimam vocem. Petron. *lauior are, vel rotundo Horti tubere quod creauit vnda.* Et Martialis: (Apuleius corrigitur.)

*Lata ſuburbanis mittantur apyrina ramis,*
*Et verna tuberes: quid tibi cum Lybicis?*

PAG. 109. *Huius igitur ad cælum breuitas, cui punctum eſt)* Cælo videlicet terra punctum eſt. Male alias, *qua punctum eſt.* Quod ad oram, *ceu punctum eſt* proxime verum eſt, non tamen verum. Liquet ex filo orationis.

PAG. 111. *A quibus non licuit vnquam nobis nec licebit agnoſcere)* Melior & verior ille apud Senecam Tragicum vates. In Medea:

*— Venient annis*
*Secula ſeris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat tellus, Typhiſque nouos*
*Detegat orbes; nec ſit terris*
*Vltima Thyle.*

## CAP. VII.

*Cingulos in cælo vocauere)* Supra ſimiliter *ſtadios* dixit, pag. 62. *Vltra trecentos & ſexaginta ſtadios longitudinem in ſe continere non poteris. Centum enim & octoginta ſtadios,* &c. Gloſſarium, *Cingillus* στρόφιον. ζώνιον.

## CAP. VIII.

*Ex vtraque parte accipere temperatas)* Scripſerit Macrob. *occipere.* Conſidera, & probabis.

*Fami-*



*Familiariter autem, per, pro, inter, ponere ſolet)* Nec aliter P. Arbiter illo verſu:

*Nec, vaga paſſim,*
*Flumina per notas ibant morientia ripas.*

Nec audio qui in nuperis & electiſſimis alias Notis *morientibus* hiſce *fluminibus* mederi conatur, quaſi ſcriptum fuiſſet Petronio:

*Nec vaga paſſim*
*Flumina per notas ibant torrentia ripas.*

Hoc ſenſu: *vaga flumina paſſim torrentia, tunc non ibant per notas ripas.* Sed veriſſimum eſt, quomodo poſui ego, & interpunxi. Non manebant, inquit, intra ripas ſuas flumina, paſſim vaga. Et ne hæſitet quiſpiam porro, ponam Manilianos verſus, lib. 4. Aſtronomicōn, quos hic adumbrauit Petronius, (Petronij lectio conſtituta & firmata.)

*Donec in Ægyptum redeant curuata per vndas*
*Littora, Niliacis iterum morientia ripis.*

Quod autem ait Arbiter, *ibant morientia,* aſpexit quodammodo Claudianus, *Naſcentes ibant in ſecula libri.* Nec tempero mihi quin hac occaſione inſigni item loco ſubueniam, qui nondum diſcuſſus ſatis, in *Culice Maroniano.* Exſtat a principio non longe:

*Hæc teneras fruticum ſentes rimatur, at illa*
*Imminet irrigui præſtanti marginis vnda.*

Vbi ambigere video viros doctos num faciendum potius *properanti marginis vnda.* At germaniſſimum hic eſſe *præſtanti vnda,* obſeruo luculenter ex Iuuenali: (Item Maronis in Culice.)

*Quanto præſtantius eſſet*
*Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet vndas*
*Herba, nec ingenuum violarent marmora Tophum.*

Qui locus ex Satyra tertia eſt, & vnicus explicandis iſtis Maronianis.

## CAP. IX.

PAG. 122. *In eadem deſcriptione poterimus aduertere)* Nec abſonum quod ad oram Lugdunenſis, *Id eadem.*

## CAP. X.

PAG. 126. *Simplicitas; quæ nomen auri primis ſeculis præſtat)* Claudianus;

*— Lætatur Terra reuerſo*
*Numine, quod priſci poſt tempora perdidit auri.*

*Æmu-*

*Æmulatio, quæ primum bene incipiens, in inuidiam latenter euadit*) Velleius; *Alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia nunc admiratio incitationem accendit.*

### CAP. XI.

PAG.128. *Suo quoque acceſſu tam ſero promouentur*) Placet quod ad oram vetuſtæ editionis, *premouent.* Imo omnino reducendum.

PAG.129. *Quiſquis in digitos mittit, inueniet*) Talis erat Veterum computus modus. Plautus, *Dextra digitus rationem computat, feriens femur dextrum.* Sed hæc talia aliis yberius enotata. Et exſtat de eo ſingularis libellus Bedæ quem in commentariis Hieronymianis exſcripſit fere Eraſmus. Tu videbis.

### CAP. XII.

PAG.131. *Et hominem breuem mundum eſſe dixerunt*) Nec abſonum iſtud Carphilidis; τί ἄνθρωπος; ὀλιγοχρόνιον φάντασμα. *Quid homo? minimi temporis phantaſia.*

PAG.132. *Nihil intra viuum mundum perire*) Seneca: *Non credis nihil in hoc mundo perire ſed mutare regionem? Magni iſta credidere viri.*

*Ideo Elementa licet fluant*) Appoſite ad Mallium Claudianus:

*At quoties elementa doces, ſemperque fluentis*
*Materiæ cauſas, quæ vis animauerit aſtra*
*Impleritque choros.*

### CAP. XIIII.

PAG.134. *Ariſtoteles vero adeo non acquieſcit, vt animam non ſolum ex ſe non moueri*) Sanior apud Gloſſographum Niciarius, τί ψυχή; τὸ κινούμενον. τί ἄψυχον; τὸ μὴ κινούμενον. *Quid anima? Quod mouetur. Quid ſine anima? Quod non mouetur.*

### CAP. XVI.

PAG.146. *Ignis, cuius eſſentiæ calor ineſt*) Malim ego: *cuius eſſentia calor eſt.* quomodo diſerte Lugdunenſis editionis ora. Supra dixit: *Cum ipſe motus, animæ ſit eſſentia.*

PAG.147. *Si iam creſcendi ætas & tempus exceſſit*) Camerarij liber, *ceſſit.*

PAG.149.



PAG.149. *Vt amet vltro quo iuncta eſt*) Omnino legerim, *quo vincta eſt.* Amat, inquit, corpus anima; & eo licet carcere veluti quodam teneatur arcano nihilominus Naturæ conſulto, amat tamen. In Lugdunenſi erat, *cui deuincta eſt.* Quod ſuffragatur.

### CAP. XVII.

PAG.152. *Multique alij qui & philoſophiam hauſerunt altius & firmamentum reipublicæ præſtiterunt*) Talis ille apud Tacitum Priſcus: *Heluidius Priſcus,* inquit, *ingenium illuſtre altioribus ſtudiis iuuenis admodum dedit: non vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita Rempub. capeſſeret. Doctores ſapientiæ ſecutus eſt qui ſola bona quæ honeſta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum; neque bonis neque malis annumerant.* Et Aurelij noſtri verba quo attentius noto; hunc ille virum hæc verba reſpexerit.

*Pœnam ſancit extra hæc præcepta viuentibus*) Petron. *Dij deæque quam male eſt extra legem viuentibus.*

---

# OMISSA.

## IN SAT. LIB. I. CAP. XII.

VAS *in quo vinum inditum, mellarium*) Coniectauimus, *miliarium,* cauſa duplici. Primum, *mellarium* non vas aut poculum ſit, quale intelligendum hic, ſed, vt Varro docet, μελιτροφεῖον eſt. Deinde Arnobius vas aliquod requiri, quod liquorem recipiat, peruicerit, qui diſerte, *amphoram* dixit *conſtitui obtectam.* Verba ſuperius poſuimus. Nec video quomodo receptæ lectioni patrocinetur quod de ſacerdotibus huius Deæ quaſi apes eæ dictæ adferri poſsit. Tamen videbimus. PAG.210.

### CAP. XIII.

PAG.210. *Manium conſulem*) Camerarij & Lugdunenſis editio: *Martium conſ.*

### CAP. XVI.

PAG.221. *Tanquam inominalem*) Videndus Agellius lib. 5. cap. 17. Ne quis forte *innominalem* refingat calidius.

CAP.

CAP. XVII.

PAG.234. *Geminam ſpeciem ſui numinis præfert*) Monuerunt amici de coniectura ſummæ ſpei adoleſcentis Hugiani Grotij. Refingendum hic videlicet *numinis* in *luminis*. Et placuit placetque ſerio, moneoque inſuper interpretem Statij veterem Lutatium ſimiliter emaculandum, vbi vulgatur: *Hoc vultu fingitur* (Sol nimirum) *vel quod hic Deus ceteros ſui nominis & potentia impetu excellat vt inter reliquas feras leo.* *Luminis* enim *impetus* recte dicetur, at *nominis* quomodo poteſt? Exſtat ſub finem libri ſecundi Thebaidos.

Lutatius purgatus.

CAP. XVIII.

PAG.236. *Quæ Apollini celebrant, Hyacinthia vocantes*) Iuuenal. *Facit hoc illos hyacinthos.* quomodo & *hyacinthina lana* apud Perſium, ni fallor, legi; & apud D. Hieronymum leui item diſcrimine, *hyacinthina ſacra* non hyacinthia. Vide libro primo aduerſus Iouinianum.

CAP. XXI.

PAG.241. *Cuius ambitu aër continetur, qui vehit terram*) Opinio hæc, ſi ad naturę potius quam poëtarum decreta exigatur, ridebitur viris philoſophis. Excuſſiſſe tamen maioribus operis ait in Poëtices libris vir ſcientiæ nullius inſcius Iul. Scaliger: qui & Philoſtrati prolato loco non diſſimilem de aqua ſententiam veterum referente, cenſuit Lucani, quæ & nos ſupra laudauimus, verba, non negligendæ cenſuræ.

CAP. XXIII.

PAG.255. *Adad nomen dederunt*) I. Ræuardus libro Variorum tertio cap. decimo vbi de Heliogabali nomine diſſerit, laudat nummum veterem cum hac inſcriptione: SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGAB. Vnde videndum ait, monente Cl. V. Guidone Laurino, num hoc Macrobij loco pro ADAD, AGAB refingendũ ſit. Vide item quæ annotauimus in Notis.

## LIBRI SECVNDI

CAP. IIII.

PAG.270. PLVRA *in iocos effuſa ſubtexuit*) *Effuſus*, Caſaub.

*Berille Porſena*) Laudauimus in Notis carmen Mæcenatis non aſpectis curioſe aliorum ſuper eo vel emendationibus vel cenſuris. Vox enim *Flacce* quæ ſecundo verſũ vulgo inſeritur, vbi nos, *Berillus quoque, & ipſe*; ſuſpecta mihi admodum in Iſidoro. Suffecerat enim dixiſſe, *mea vita*. Sed nos quia eo omiſſo laudatum inuenimus, placuit & nobis coniecturam ponere. Coniecturam dico; nam abſque ſcriptura qui hic veret vir eſto.



CAP. IX.

PAG.284. *Is quondam cum incederet elaboratus ad ſpeciem*) Interpres Hiſtoriæ Apollonij Tyrij: *Videntes omnes ciues ſpeciem Tarſiæ & ornamentum, dixerunt, felix pater cuius filia Tarſia.* Placuit tamen Scriuerio noſtro, *elaboratus ad ſpeculum*, quia præceſſit, *vt bene amictus iret faciem in ſpeculo quærebat*. Nobis vix euileſcet prius.

CAP. XI.

PAG.290. *Ab vſque freto Siculo quod Rhegium a Meſſana reſpicit*) Diximus referre ſcripturam veterem, *deſpicit*. Vnde correctione electã Scriuerius idem, *diſpeſcit*, electa dico & addo recta. Plinius de Nilo: *Africam ab Æthiopia diſpeſcit.*

CAP. XIIII.

PAG.298. *Vir doctus Oppius*) Meminit *Oppij* Suetonius libro de illuſtribus Grammaticis. Cognomen eius *Cares* facit. Meminit quoque Oppilij cuiuſdam eodem libello cap. *6.* Tu comparabis.

*Bulbam madidam dari*) *Madidantem dare* laudat ad Feſtum Scaliger.

*In procliui profundere*) Scripta lectio, vti monſtrauimus ante, talis fuit, *in pliuis*. Nos ſupra diuinauimus. Scriuerius poſtmodũ elicuit; *in prabiis*. Videndus Feſtus in voce *prabia*.

*Admiſce tu Acca*) Non temerarium id ait Turneb. Aduerſ. 11. cap. 1. Nam & Maro Æneidos 2.

*Tunc ſic exſpirans Accam ex æqualibus vnã Alloquitur.*

CAP. XVI.

*Culminea, conditiua*) *Colmineana* agnoſcit Cato, & alij rei ruſticæ ſcriptores. Item *Albicerus* paulo ſuperius pro *Albigerus*. Monuit Scriuerius.

## LIBRI TERTII

### CAP. VII.

PAG.319. EST *ſuper hoc liber Tarquitij tranſcriptus*) Cenſuimus in Notis refingendum, *Tarquinij*, ex verbis quæ libro ſecundo ſub finem. Quo & illa Lactantij ſpectauerint: *At Tarquinij Priſci librorum nullus quod ſciam ex auctoribus.* Nolim tamen aduerſari elegantiſſimo Pithœo, qui ex Plinio & Marcellino *Tarquitij* hoc loco retinendum cenſuit, & altero illo, id eſt, Secundo libro refingendum. Tu videbis Aduerſ. libro primo cap. poſtremo.

### CAP. VIII.

PAG.320. *Vti alma nocti luca*) Citauimus verba Sariſberienſis in quis Gloſſarij lectio, *nocticula*. quod ſi retinemus, ſcribetur rectius, vt monuit Franciſ. Douza; *Nocticola*. Locus Sariſberienſis videtur deſumptus ex ſcriptore aliquo veteri. Refinximus itaque pro *Herodiadem*, *Heroidem*. Alias non ſollicitauerim.

### CAP. X.

PAG.326. *Et nos aliquando manum ferulæ ſubduximus*) Poſt D. Hieronymi locum, addendum ex Sidonio Apollinari lib.2. Epiſt. ad Heſperium ſuum: *Nam cum videmus in huiuſmodi diſciplinam iuniorum ingenia ſuccreſcere, propter quam nos quoque ſubduximus ferulæ manum, copioſiſſimum fructum noſtri laboris adipiſcimur.* Aſpexere, omnes vt dixi, Iuuenalem. Iuuenalis ni fallor illud Timoclis apud Athenæum, *πληγὰς λαβεῖν ἁπαλαῖσι χερσὶν ἡδύ γε.*

## LIBRI QVINTI

### CAP. XVI.

PAG.411. IMITVS *ignis eructare*) Vide in Notis. Vbi Arnobij locum adduximus ex codicis Romani lectione. Sed in eo eſt; *& qua ſolum poterat minus*, non *amans minus*, vti halucinanter
Arnobius corrigitur. excudimus inducti laudatione viri docti. Monendum id fuit, & illud inſuper, facillime iam poſſe conſtitui illum locum; quomodo & amico noſtro Ioh. Meurſio comperio factum. Ita: *Et qua ſolum poterat, minus teſtis aſſentationibus* &c.

PAG.412.



PAG.412. *Καὶ ἰνῶ μελικέρτῳ*) Agellius emendatius, *εἰναλίῳ* lib.13. cap.25.

### CAP. VII.

PAG.370. *Animamque vocabant*) Laudauimus in Notis firmauimuſque Tibulli illum locum, *animamque rogata*, adductis inter alia verbis Apulei; quis addi velim hunc ex interprete Apollonij Tyrij locum: *Athenagoras ait ad vnum de ſeruis Ardalium nomine, dabo tibi duos aureos, tantùm deſcende & dic ei, Rogat te Athenagoras princeps ciuitatis huius, procede de tenebris ad lucem.*

## LIBRI SEXTI

### CAP. I.

POSTQVAM *defeſſi ſunt ſtant & ſpargere ſeſe haſtis*) Refinximus nos, *defeſſi ſunt ſtando, & ſpargere.* Blanditur PAG.434.
tamen magis quod admonuit poſtea Scriuerius, *defeſſi ſunt ſtantes ſpargere.*

### CAP. IIII.

PAG.455. *Vri Gallica vox eſt*) Veſtigia ſeruant hodieque Germani & ſeptentrionaliores homines dicendo, *vrox.* Et fortaſſis loco Gloſſarij quem laudauimus, *vror βοῦς γερμανὸς*, legendum, *vrox, βοῦς γερμανῶς.* Nam, vt fatetur hic Macrobius, Gallica & peregrina vox eſt. Et adde non abſimili forma piſcem quempiam indigetatum Romanis. Feſtus, *Diox, genus piſcis frequens in Ponto.*

Conſtitura fors Gloſſarij lectio.

### CAP. VIII.

PAG.467. *In Togata cui titulus νόμος eſt*) Variantes lectiones poſuimus ante. Conſtantiſſima earum eſt *νόμος* ſiue *Nomen.* Non reticebo quod venit in mentem mihi, ſcriptum videlicet, *cui titulus Nomos eſt*, ſiue, *Nomus. Nomus* præfectura, dominium ſeu territorium vulgo. Plinius lib.5. cap.9. *Diuiditur in præfecturas oppidorum, quas nomos vocant.* Et ſtatim, *Quidam nomina aliqua permutant & ſubſtituunt* Afranio
*alios nomos; vt Heroopoliten, Crocodilopoliten.* Græci vt a Togatæ nomen
*νόμος* diſcriminent trahunt accentum in vltimam. Sed de redditum.
voce eiuſque notione non puto dubitabitur. Hic autem ea forma & mente requiri comprobauerit vel verſus quem laudat ex ea Togata Aurelius noſter,

*Appetis dominatum demens præmature præcocem.*

*Tanquam omnia pium*) Vide in Notis, & adde ex Statio Achil. *Non adeo parebimus omnia matri.*

## LIBRI SEPTIMI

### CAP. XV.

PAG. 525. DIXIT (Plato) *cibum quidem per ſtomachum trahi; potum vero per arteriam, quæ trachia dicitur, fibris pulmonis allabi*) Oſtendere nititur in ea hæreſi Platonem non fuiſſe, Galenus lib. περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων η. Hippocrates vero ipſe quid de re ea tota ſenſerit operæpretium exiſtimo adnotaſſe. Ait in libro περὶ νούσων: τοῖσιν γὰρ δοκέουσιν ἀνθρώποις τὸ ποτὸν εἰς τὸν πλεύμονα φέρεσθαι ἐναντιώσομαι. *iis itaq. qui potum per pulmones ferri cenſent ego aduerſor.*

# ADDENDA

## LIBRI PRIMI

### CAP. XXI.

PAG. 247. CVIVS *ambitu aër continetur, qui vehit terram*) Suggeſſit oportune Scriuerius Lucretij verſus, vnde hæc iſta de Matre Deum, & aërea quoq. Terræ libratione; quod & Lucanus, vti in Notis & iam iam monuimus, & Claudianus etiam extulerat,

*Et qui perpetuo terras ambitque vehitque*
*Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit aër.*

Sed Lucretij, quos dixi, verſus illuſtres ſunt, & digniſſimi adſcriptione:

*Hanc veteres Graium docti cecinere poëtæ*
*Sublimem in curru biiugos agitare leones,*
*Aëris in ſpatio magnam pendere docentes*
*Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere Terram.*

Exſtant lib. 2. vbi de Deum Matre.

## AD LIBEL. DE DIFF. &c.

PAG. 537. AB *mouetur in auctore Cicerone*) Turbat locum immiſſa vocula *in*. Delenda omnino ea, & verba quæ aſpexit Macrob. ſunt in Oratore Tullij, iſta: *Quid ſi etiam abfugit turpe*



*turpe viſum eſt, & abfer noluerunt, aufer maluerunt; quæ præpoſitio præter hæc duo verba nullo alio in verbo reperitur.* Indicauit Scriuerius.

PAG. 546. *Et f digammon eſt* Αἰολέων) Monuit recte amicus, F maiuſcula hæc commode illuminanda. Ea enim apud Æoles digamma. Laudat ex Tripode Apollinis, qui Bizantij, Priſcianus; ΔημαφάϜων, λαϜοκάϜων.

PAG. 579. *Verro perfectum ignorat*) Apud Senecam tamen in dialogo de ſuperſtitione, *verſa templa*, inuenit Diomedes.

*Licet Varro dixerit genunt*) Varronis locus fortaſſis ex Andabatarum Sat. Menippæa, iſte: *Sed quod hæc loca aliquid genunt.* Arnobio obiter reddiderim lib. 2. pag. 76. vbi de ani- Ad Arnobium coniectura.
marum origine diſſerit; ita, *Atque vt exercerent, vt generent, vt percelebrarent hæc mala.* vulgo eſt, *gererent*, quod a priore, *exercerent*, qua notione vix abit. Sed dixit & infra Arnobius, *mali eſſe conſcium generatoremque nullius.*

# AD COMMENTARII

## LIBRI SECVNDI

### CAP. VII.

ATQVE *vmbras nunquam flectente Siene*) Sugillat Ma- PAG. 118.
crobium Brodæus, quod verſu hoc Lucani peruerſius legerit, *nunquam.* Ipſe *nuſquam* reponit. At tu vtcunque legeris habebit rationem Macrobiana nota. Verſus Poëtæ totus talis eſt: *Calida medius mihi cognitus axis Ægypto, atque vmbras nuſquam flectente Siene.* Si enim dicat cognitum ſibi etiam meridianum illius oppidi quod vmbras neſcit; φυσικῶς dixerit nimis, nam vmbras nouit ſemper, præterquam exiſtente in tropico meridiano Cancri Sole. Si iccirco ex- Lucanus excuſatus.
plicueris, quando vmbras non flectit; mathematicum non poëtam intelliges. Et certe iuuanda in plurimis potius vatum ſenſa, quam exigenda omnia ad rigidam normam.

### CAP. XII.

PAG. 49. *Quam immortalem dicimus, mortem totiens nominamus*) Neſcio an refingi debeat, *ominamus.* Pomponius, *ita tibi bene ſit, qui recte ominas.* Sed in peiorem partem, Plautus: *Ob iſtud omen ominator capies quod te condecet.* Et de *Ominibus* quia tam oportune ſe offert; & pagellas aliquot

vacaturas alioqui intelligam; adferam ea de re quæ ſub manu mihi, vt dicitur, nata. Sub manu, inquam, nata; nam ea potiſſimum promam quæ vel lucis huiuſmodi egere videbuntur vel medicinæ. Cætera autem, & quæ talia huic negotio aptanda ſcio, non otij huius non loci ſunt.

De *Ominibus* eorumque apud Veteres ſuperſtitione & vſu paucula dicta, & obiter auctores varij correcti, explicati.

*Omen* itaque Feſtus explicat quaſi *orimen*, quod ore fiat augurium. Id accidebat vel Deorum vel hominum nutu. Hominum proprie appellat *omina* Cic. de Diuinat. *Neque ſolum Deum*, inquit, *voces Pythagorei obſeruabant, ſed etiam hominum quæ omina vocabant*. Apuleius de Deo Socratis: *Ita eſt apud Platonem. ne quiſquam arbitretur omina eum vulgo loquentium captaſſe*. Et ſtatim, *Videmus pleriſque vſu venire, qui nimia ominum ſuperſtitione non ſuopte corde ſed alterius verbo reguntur. Ominis* tamen finitionem ad voces ſeu effata non conſtringo, vtpote quod late adeo pateat ac ipſa vita & vitæ actus. Quare cum Græcis σύμβολα interpreter, quæ indicia & notas credebant antiquitus ſecundorum ſeu aduerſorum. Tale eſt (vt a Cæſare initium ſit) *quod Auguſtus læuum ſibi prodidit calceum præpoſtere indutum quo die ſeditione militari prope afflictus eſt.* Itidem Lampridius inter indicia imperaturi aliquando Alexandri recenſet, *Quod tabula Traiani Imp. quæ lecto Geniali Patris imminebat, dum mater eum in Templo pareret, in lectum decidit.* Idque *caducum auſpicium* Feſto aliiſque auctoribus. Spartianus in Hadriano, *Natali vltimo cum Antoninum commendaret, prætexta ſponte delapſa caput ei operuit. Annulus in quo imago eius ſculpta erat, ſponte de digito delapſus eſt.* Hinc cecinit Naſo:

*Omina ſunt aliquid: modo cum decedere vellet*
*Ad limen digitos reſtitit icta Nape.*

Intellexit huiuſmodi quoque obſtacula ſiue remoras Plinius, & *offenſiones pedum* dixit. Plautus *auſpicia* ſiue *religionem* appellauit. Amphitruone: *An te Auſpicium commoratum eſt?* Et alibi, *An religio tibi obiecta?* Tale capio quod oblatum Othoni in Vitellium eunti. Tacitus, *Fuere qui proficiſcenti Othoni moras religionemque non conditorum ancilium offerrent*. Vide & Suetonium in Nerone cap. 19. Porro offenſiones pedum diſerte quoque innuit Tibullus:

*O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi*
*Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem!*

In acceſſu talia. Ex receſſu etiam auſpicia captabant: vtpote





ſi quis deſtinato quopiam proficiſcens, ſubito vel infecto propoſito reuerteretur. In ſacrificiis id potiſſimum occupauit. Apollonius ſuper Sacris Triuiæ Deæ ita vertitur:

*— Sacriſque peractis*
*Rurſus abire pyra moneo. conuertere nullus*
*Te retro ſtrepituſque pedum, fremituſque caninus*
*Cogat; nam ſacri fiat labor irritus omnis.*

Recte inquit irritum reddi Sacrum ſtrepitu vel ſimili interpellatione. Valerium ita explico & ex veteri Scripto corrigo lib. 3. *Ne ſacrificium Alexandri aut concuſſo thuribulo aut edito gemitu impediret.* Vulgo magiſtelli alicuius Gloſſema legitur: *gemitu regias aures aſpergeret.* Sed vti hoc in Sacris præſertim, religioſe ſeruatum, ita Pythagoras perpetuo ſymbolo & paſſim præcautum voluit: βαδίζοντας, inquit, εἰς ἀποδημίας, μὴ μεταστρέφεσθαι. Cauſam addit & aperit, *Furiæ enim tranſeunt.* Nec abſimile, ſed maioris momenti, ſalutis humanæ datoris monitum, *Qui aratro manum applicuit ne reſpiciat.* Denique vt iſta *religionem obiectam* nominabant, ſic contra ex Plauto iterum diſco, cum omen in melius mitiuſq. interpretari amabant, dixiſſe, *Religionem a ſe reiicere*. Græci ἀπομυκλῶ appellarunt. Quod vt exemplis plurimis depromi poſſit, ita illuſtriſſimum in Iulio reperio. Suetonius, *Cum Cæſar Africæ oram appuliſſet & in terram inſiliturus corruiſſet, dixit vt infauſtum ex caſu omen auerteret: Teneo te Africa.* At idem ille Cæſar adeo ſuperſtitionibus hiſce maiorem ſemper extulit animum, vt nulla vnquam religione vel ab incepto abſterritum vel retardatum legamus. Iterum Suetonius, *licet immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem aduerſus Scipionem & Iubam non diſtulit.* Quo reſpexiſſe fortaſſis Senecam Conſol. ad Marciam valde probabiliter credo, ſcripſiſſeque, *tam cito dolorem vicit quam omina ſolebat.* nam vulgo eſt *omnia*. His adnecto *manum, pedem* & ſimilia corporis ſiniſtra, vt infauſti ominis paſſim habita; ab Apuleio in indicium felicius replicata. Ait de ſiniſtra lib. 11. *Quartus æquitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrecta palmula: quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia prædita, videbatur æquitati magis aptior quam dextra.* Macrobius Satur. 1. *Apollinis ſimulacra manu dextra gratias geſtant, arcum cum ſagittis ſiniſtra, quod ad noxam ſit pigrior & ſalutem manus promptior largiatur.* Iſta videndum an alluceant Catulli loco:

Valerius Max. correctus.

ἀποπομβῶ

In Senecam coniectura.

Macrobio ab Apuleio lux.

*Hæc vt dixit, Amor ſiniſtra amanti*
*Dextram ſternuit approbationem.*

Nam ſubdit, *Nunc ab auſpicio bono profecti,*
*Mutuis animis amant amantur.*

Sed hæc proprie humanæ vitæ ipſos actus reſpiciunt. Erant inſuper veteribus *omina* quædam occultiora, quæ ex *Rebus*, ex *Diebus* etiam & *nominibus*, ex *locis* denique & *veſtibus* deducebant. Ad *res* ſpectare videbantur omnia infeliciter vſurpata, vtpote naufragia eorumque reliquiæ. Et præſertim natæ olim parœmiæ: *Aurum Toleſanum, equus Seianus.* Quæ ſingula vti notiſſima, ſciens præteruolo. Nouiter vero inſignem his adapto Virgilij locum, quem poëta ille Auguralis Pythagoricæque doctrinæ peritiſſimus, occulte hac ſuperſtitione velauit. Ne enim infauſta Didoni eſſe dona illa Æneæ palam aſſereret, tali ambitione verborum inſinuauit:

Maro explicatus.

*Munera præterea Iliacis erepta ruinis*
*Ferre iubet, pallam ſignis auroque rigentem,*
*Ornatus Argiuæ Helenæ: quos illa Mycenis*
*Pergama cum peteret, inconceſſoſque Hymenæos,*
*Extulerat Ledæ matris mirabile donum.*

Et paulo inferius,

*Dona ferens Pelago & flammis reſtantia Troiæ.*

Intellexit lib. 1. Thebaid. Papinius, & imitatus eſt:

*Nec mirum. Nam tu infauſtos donante marito*
*Ornatus Argia geris; dirumque monile*
*Hermiones. Longa eſt ſeries, ſed nota malorum*
*Perſequar, vnde nouis tam ſæua potentia donis.*

Baltheus deinde Pallantis huc quoque facit ex Æneidos 12. Donaſſet enim proſtrato Turno vitam Æneas, niſi infauſtum iſtud inſigne, quod Pallante necato Turnus rapuerat, ſuauiſſimi amici memoriam doloremque reuocaſſet. Verba parco ſubſcribere, ſicuti & Homeri; qui Achillem viſis, quæ Patroclo Hector detraxerat, armis, ita atrociter exſurgentem deſcribit. Tu videto. Sequitur de *diebus*. Ij cladibus vel alias ominis alicuius diritate inſignes & impediti, *Religioſi, nefaſti, atri* dicebantur. Super quis ordine viſendus Agellius; & addendus illuſtris Taciti locus, lib. 2. Hiſt. *Funeſti*, inquit, *ominis loco acceptum eſt quod maximum pontificatum adeptus Vitellius, de Ceremoniis* XV. *Kal. Aug. edixiſſet, antiquitus infauſto die Cremerenſi Allienſique cladibus.* *Nomina* deinde omina præferebant vel proſperitatis vel diuturnitatis, & con-

tra,



tra. Bona erant *Craſſus, Valerius, Macrob. Lucius, Lucris* apud Plautum Perſa. TO. *Nomen atq. omen quantiuis eſt precij.* DO. *Si te emam mihi quoque Lucridem confido fore te.* Vbi tamen leue, me iudice, mendum ſit, quod ita emendem: *confido fore re.* Non nomine tantum, reſpondit Dordalus ſed re quoq. Lucridem mihi futurã ſpero. Omnino correctio talis neceſſaria vt extollatur acumen loci alioqui iacentis. Mala deinde, *Furius, Hoſtilius, Macer.* Martial.

Plautus emendatus.

Item Martialis,

*Quintum pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Macrum,*
*Ante ſalutabat Rhetor Apollonius.*

Ita enim recte leges pro quod vulgo *Marcum*; & addes ex Feſto in *Lacu Lucrino*. Agellius quoq. non omittendus lib. 1. cap. 28. *Cauenda igitur non improprietas ſola verbi, ſed etiam prauitas ominis, ſi quis ſe nunc ſenior aduocatus adoleſcenti ſupereſſe dicat.* Sed pertinaciter in libris omnibus hactenus legitur, *prauitas omnis.* Inepte. & vidit id ſolus, quod ſciam, Ariſtæneti nuperus editor. Quiſquis is eſt, agnoſco lectiſſimum ingenium. Porro, *loca ominoſa* ce[illegible]bant vel a nuncupatione vel a tractatione aliqua ferali. *Nuncupationem* reſpexit Plautus Menæchmis; *Ne mihi damnum in Epidamno duas.* Et Petronius, *Epidamni nomina quære.* Super *feralibus* vero præter ab interpretibus cumulatim & paſſim dicta, Taciti inſigne teſtimonium indictum reperio lib. Annal. 1. vbi Germanicus campos ſeu loca luſtrat in quis cum exercitu toto occubuerat Varus: *Quod Tiberio,* inquit, *haud probatum, ſeu cuncta Germanici in deterius trahenti; ſiue exercitum imagine cæſorum inſepultorumque, tardatum ad prælia & formidoloſiorem hoſtium credebat. Neque imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis ceremoniis præditum, attrectare feralia debuiſſe.* De *Veſtibus* deniq. aliquid apponi poſſit non occupatum. Quod nempe Q. Curtius ominoſum & imperij mutationem portendiſſe credidit, Alexandrum Perſarum & exotico habitu delectatum delitiarumque. Quo, niſi fallor, reſpexit firmi & alti iudicij doctor Tertullianus: *Video,* inquit, *quaſdam & capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis ſuæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ ſint. Ita Patriam capillo transferunt. Male ac peſſime ſibi auſpicãtur flammeo capite. Flammeo capite,* ignem illum innuit perpetem, vt alibi appellat, & iugem. D. Hieronymus ſimiliter: *Ne caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de Gehennæ ignibus auſpiceris.* Exſtat epiſt. ad Lætam, & indubie a Tertulliano, vt alia illius multa, tractum.

Et Agellius.

Tertulliani & Hieronymi locus collatus.

# AVCTORES
## Qui in
# NOTIS
## laudati, illuſtrati vel emendati.


A.

ÆLIANVS. 600. 603. expoſitus. 620
Æſchylus. 629
Agellius. 590. 613. 614. 616. 633. 660. 682. 687. correctus. 588. 697
Albinouanus. 611
Apicius. 619. 623
Apuleius. 591. 595. 609. 615. 654. explicatus. 610. 636. 676. 682. correctus. 588. 600. 619. 635. 639. 660. 671. 684. eius lectio firmata. 651
Aratus. 654
Arati interpres. 677
Ariſtanetus. 590. 610. 653
Ariſtonicus. 615
Ariſtophanes. 595. 601. 613
Ariſtoteles. 684
Arnobius. 594. 597. 598. 599. 601. 629. 631. 642. 674. correctus. 641. 678. 690. 693
Artemidorus. 672
Aſtrampſychus. 672. eius locus conſtitutus. ibid.
Athenaus. 616. 623. 627. 660. 669. emendatus. 615
Auguſtinus. 667
Auguſtus Caſar. 591. 613
Auſonius. 609. 639. 640. 667

B.

Butas. 597

C.

Calixenus Rhodius. 643
Callimachus. 681
Caper. 622
Capella. 640. 679. 680. emend. 640. 680
Carphilides. 604
Catullus. 605. 614. 645. 658. 668. emendatur. 591. 592. 641. 662. noua lectio, ibid.
Cato. 674
Cacilius. 642
Celſus. 623. 624. 674. eius lectio notata. 623
Cenſorinus. 596. 597. emend. 682
Cicero. 595. 613. 654. 646. 670. 692. emend. 598. illuſt. 610
Claudianus. 643. 685. 686. 691. emend. 646
Claudius Caſar. 622
Cleomedes. 681
Codex Theodoſianus. 587
Columella. 619
Cominaus. 658
Conſtantinus, Geoponicũ auctor. 624. 656
Copernicus. 680
Curopalates. 647
Cyprianus. 621

D.

Dio. 595. 516
Diogenes Laertius. 627
Diogenianus. 655
Diomedes. 621. 693

E.

Empedocles. 671
Ennius. 621. 641
Eubulus Comicus. 655
Euripides. 667
Euſebius. 665. melior lectio, ibid.
Euſthatius. 675

F.

Feſtus. 588. 591. 593. 595. 598. 601. 606. 608. 629. 631. 633. 635. 643. 645. 646. 649. 669. 676. 691. emendatur. 649
Firmicus. 681

G.

Galenus. 692
Georgius Codinus. 594
Gloſſarium. 592. 595. 596. 598. 600. 608. 609. 615. 619. 620. 621. 622. 626. 629. 639. 642. 643. 662. 684. emend. 597. 598. 599. 618. 628. 635. 644. 691
Gloſſarium Arabicolatinum. 657

H.

Heraclides Ponticus. 654
Herodotus. 658. defenditur ib.
Heſiodus. 604
Hierocles. 674
Hieronymus. 599. 610. 618. 630. 682. 688. emend. 609. 617
Hipparchus. 681
Hippocrates. 632. 662. 674
Homerus. 600. 631. 637. 673. illuſt. 600. 673
Horatius. 616

I.

Interpres Hiſtoria Apollonij Tyrij. 689. 691
Interpres Apollonij. 629
Ioh. Sariſberienſis. 618. 622. 650. 654. emend. 628. 640.
Ioh. Scotus. 668
Iſidorus. 635. 661
Iul. Modeſtus. 629
Iuſtinus. 622
Iuuenalis. 596. 602. 606. 607. 611. 614. 615. 618. 619. 623. 660. 685. 688. emend. 630. 663. eius vetus lectio. 603
Iuuenalis interpres. 652. emen. 608

L.

Laberius. 623
Lactantius. 595. 636. emend. 592
Lucanus. 603. 645
Lucianus. 615
Lucilius. 646. coniectura. 647
Lucretius. 599. 609. 641. 692
Lutatius. 646. emen. 601. 677. 688
Lycophron. 603

M.

Macrobius. 601. 605. 606. 608. 636. 671. extra ordinem emend. 616. 640. excuſatur. 683. illuſt. 695


Mace-

*Mæcenatis verſus.* 611.688
*Mamertini Panegyr.* 638. *emend.* 639
*Manilius.* 605. 685. *emend.* 604.633
*Marcellinus.* 670
*Marcellus Empiricus.* 655
*Martialis.* 588.607.612.616. 619.626.630. *illuſtr.* 601. 610.620.657. *emend.* 661. 677.697
*Minutius Felix.* 605

N.

*Nazarij Panegy. emend.* 638
*Niciarius.* 686
*Nicolaus Papa.* 668
*Nonius.* 649.680

O.

*Origines.* 677
*Orus Apollo.* 648
*Ouidius.* 591.605.609.637. 639.642.648.658.662

P.

*Palladius.* 624
*Panegyricus incertus* 620. *emend.ibid.*
*Pauſanias.* 640
*Perſeus.* 606
*Perſius.* 589.596.627.688
*Perſii Interpres.* 593
*Peruigilij Veneris ſcriptor.* 594. *emend.* 662
*Petronius.* 592.609.627.631. 648.659.687. *emend.* 593. 609. 610. 645. 653. 661. 675. *firmatur.* 683
*Plato.* 643.653.674
*Plautus.* 591.596.600.604. 617. 619. 627. 655. 661. 671. *emend.* 591.606.622. 624. 634. 637. 645. 646. 653.663. 697. *explicatus.* 618.643.673
*Plinius.* 594.612.613.619. 624.630.658.673.691
*Plinius Iunior.* 658. *emen.* 659
*Plutarchus.* 595.597.613. 622.653.660.661. *eius ſententia dubia.* 654
*Pollux.* 605
*Pomponius.* 602.693
*Porphyrius.* 678
*Priapea.* 614.645
*Priſcianus.* 693
*Propertius.* 630.639.641.647. 652. *corrigitur.* 668.
*Ptolemæus.* 681
*Pythagoras.* 669

Q.

*Quintilianus.* 590.598

S.

*Saluſtius.* 594.598
*Sammonicus Serenus.* 657
*Seneca Philoſophus.* 595.596. 612. 626. 635. 653. 656. 681.683.686. *emend.* 615. 671. 672. 679. 681. 683. *Firmatur eius lectio.* 652. *illuſt.* 669
*Seneca Rhetor.* 607. *emend.* 615.619.
*Seneca Tragicus.* 628.684. *emend.* 602.628.636
*Seruius.* 642. *emend.* 631
*Sidonius Apollinaris.* 690
*Siſenna locus reſtituitur.* 647
*Solinus.* 597. *emend.* 612.634
*Sophocles.* 636.647
*Statius Papinius.* 601.620. 650.692. *emend.* 626
*Stephanus de vrbibus.* 594. 640
*Strabo.* 643
*Suetonius.* 593.596.597.609. 612. 613. 615.616. 623. 644.670.675. *emend.* 620. *firmata lectio.* 627
*Suidas.* 605.655

T.

*Tacitus.* 616.621.633.673. 687. *Lectiones conſtitutæ.* 610.656.676. *Illuſt. ibidem*
*Terentius.* 648
*Tertullianus.* 601.615.652
*Theo.* 681
*Theophraſtus.* 655
*Tibullus.* 608. *emend.* 636.642. 667
*Timocles.* 690
*Trebatius.* 628.630

V.

*Valerius Max.* 593. *emend.* 589.595. *expletus de Scripto.* 612
*Valerius Flaccus.* 627
*Varro.* 589.619.621.629.667. 687.693. *emend.* 622.628
*Velius Longus.* 594
*Velleius.* 659.686. *emend.* 659
*Verrius.* 629
*Vergilius.* 596.600.605.622. 636.638. 642. 645. 661. 671. *emend.* 626.633.634. *in Culice,* 660.685.
*Vopiſcus.* 676

Z.

*Zoroaſtes.* 669
*Zoſimus.* 616.665

## ERRATA *operarum in Macrobio.*

Pagina 3 *ditemus* leg. *dicemus* p.45 *longiorum* leg. *longiorem* p.47. *aduerſam* leg. *aduerſum* p.82. *conclidit* leg. *conlidit* p. 131. *poſtemo* leg. *poſtremo* p.236. δυρσσιπ leg. Θύρσοισι. p. 246. *increditur* leg. *ingreditur.* pag. 263. *propteruiam* leg. *propter viam.* pag. 288. *ſaltandique* leg. *ſaltandi* p.297. *liber primus* leg. *liber ſecundus* p.300. *Scandiancum* leg. *Scandianum* pag. 302. *diſciſſio* leg. *diſceſſio* p.331. *rethor* leg. *rhetor* p.431. *inter ſæpe* leg. *inter ſe ſæpe* p.444. *ſuco* leg. *ſucco* p.458. *nouauerit* leg. *nouerit.* p.492. *Aſiana exced.* leg. *Aſiana. ex.* p.515. *in uari* leg. *in mari.*

### IN NOTIS.

Pagina 587. *Id & alia* leg. *Et id & alia* p.588. *ſimiliter* leg. *ſimiliter.* p.593. *vrbes fere* leg. *vrbeſque f.* p.598. *iam ſit* leg. *iam ſit.* p.600. Απόλωνα leg. Απόλλωνα p.609. *Platena* leg *Platanona* p.610. *tangit cæcilianum* leg. *Cæcilianum.* Ibid. *Canam* leg. *canam* p.616. *Suetonium Auguſto* leg. *Suet. Caligula* p.620. *digrediendi* leg. *digredienti* p.623. *proluuiem* leg. *proluuium* p.637. *Famulus* leg *famulus* p.646. *Maronia* leg. *Maroniana* p.650. *fore* leg. *fere.* p.658. *Ipſa* leg. *Ipſe* p.661. *ſandix* leg. *ſandyx.* p.662. *ſternit* leg. *ſternuit* Ibid. ad oram, *ſcriterem* leg. *ſcriptorem.* p.667. *venilia* leg. *Venilia* p.674. *Apollinis Genitoris* leg. *Apollinis Genitiui.*

SYL-

# SYLLABVS AVCTORVM
## QVI
# MACROBIO
## NOMINATIM LAVDATI.


ACTERIANVS. 520
L. Accius. 183.439.440. 444.455.457.465.546.
Æſchylus. 236 419.420.424. 430
Afranius. 302.453.456.467
Alcæus. 423.527
Alcman. 534
Alexander Ætolus. 419
Anaxandrides. 426
Antipater Stoicus. 230.233
Antias Valerius. 210
Antonius Gnipho. 330
Apuleius. 5.483
Apollodorus. 184.227.243
Apollonius. 409
Aratus. 354
Ariſtoteles. 135.235.282. 416. 495. 569. Notatus. 143.520
Arbiter Petronius. 5
Ariſtophanes. 320.413.423
Archilochus. 225
Ariſtomenes. 423
Archimedes. 104
Aſclepiades. 425
Aſinius Pollio. 166
Aſper. 318. Notatus. 315
Atteius Capito. 211.326. 518
Atta. 299
D. Auguſtus. 269. Vide Indicem.
Aurelius Cornutus. 417. Notatus. ibid.
Boëthus. 57
Cor. Balbus. 318
C. Baſſus. 187.318
Cæcilius. 290
Cælius. 168
Callias. 420
Caluus Actorianus. 320
Carminius. 418
Caſſius Hemina. 210.221. 312. Notatus. 220
Catullus. 261.437
M. Cato. 168.190.211.288. 296.310.315.454.463
Chryſippus. 225
Cicero. 169.262.291.302. 339. 369. 448. 452.464. 537.546.566.572
Cincius. 202.203.205.285
Cleanthes. 219.225.230. 237.252
Cloatius. 298.299.300.301. 316
Cornificius. 187.225.229. 234.252.453.457
Critolaus. 171
Demoſthenes. 264.339.416. 461
Didymus. 414.415.430
Diodorus. 59
Dracon. 552
Egnatius. 455.456.457
Empedocles. 231.491
Ennius. 167.433.434.435. 440.444. & deinceps. item 450.471
Epaphus. 317
Epicurus. 464. Notatus. 422
Epicadus. 199
Epicharmus. 422
Ephippus. 428
Epictetus. 199
Ephorus. 414.422
Eraſiſtratus. 525
Eratoſthenes. 426.528
Eupolis. 489.528
Euripides. 225.226.231.233. 253. 415. 416. 417. 427. 478.529
Fauorinus. 299
Fab. Pictor. 306
Feneſtella. 189
Feſtus Pōpeius. 310.315.321
Fuluius Nobilior. 203.210
Furius. 436.438.450
Gellius. 184.226.294
Geminius. 222
Glaucippus. 209
Granius 222.236
Herodotus. 515. Notatus. ib.
Heſiodus. 39.105.253.354. 512
Heraclitus. 57.77
Hyllus. 307
Hipparchus. 57
Hippocrates. 20.28.57.243. 297.491
Homerus. 23.33.178.202. 223. 226. 227. 230. 231. 241. 244. 252. 253. 301. 357. vſque ad pag. 429. deinde 449. 450.452.475. 476. 479. 499. 514. 521. 533
Horatius. 299.410
Hoſtius. 450.456
Hyginus. 180.313.321.415. 470.
Ilius. 435
Iunius. 210
Iulius Cæſar. 221.223.278
Iul. Modeſtus. 165.190.221
Iuuenalis. 138.326
Corn. Labeo. 203.221.238. 312.326
Laberius. 277.278
M. Lælius augur. 174
Læuinus. 326
Liber veterum Carminum. 424
Licinius Macer. 190.210
Liuius Andronicus. 457
Lucanus. 118. Notatus. ibid.
Lucilius. 170.293.295.437. 438.451.565
Lucretius. 436. & deinceps.
Mallius. 189
Marcius vates. 228
Maſurius Sabinus. 165.166. 189.317
Mattius. 302
Menander. 227.427
M. Meſſala. 187
Metelli pontificis Index. 185
Mummius. 189
Muſonius. 171
Q. Mutius. 163
Næuius. 238.298.301.437. 448.456.457
Nicander Colophonius. 427. 430
Nigidius Figulus. 186.291. 312.466.470
Niſus. 205
Nouius. 189
Numenius. 67


Octa-

Octauius Herſenius. 330
OEnopides. 229
Oppius. 300.298
Orbilius. 276
Orpheus. 231.237.238.255
Pacuuius. 437.457
Papyrianum ius. 328
Parmenides. 158
Parthenius. 412
Perſius. 38
Peſtanus Vibonenſis. 453
Pherecydes. 227.425.428
Phileas. 422
Philemon comicus. 426
Philochorus. 191.320
Pindarus. 410.411
Piſo. 203.307
Plato. 1.22.47.50.77.97.99. 133. 143. 226. 252. 265.
Notatus. 525
Plautus. 219.290.291.299. 327.418.425
Plinius. 292.290.291.351
Plotinus. 36.37.51.68.131.224
Polemon. 421
Pomponius. 453.470
Pomponianus. 168
Porphyrio. 11
Poſſidonius. 252.253
Poſthumius Albinus. 302
Val. Probus. 430
Propertius. 574
Protarchus Trallianus. 180
Ptolemæus. 76
Publius. 264.279
Pythagoras. 5.7.94.152
Q. Claudius Quadrigarius. 167.170.221
Rutilius. 222
Saluſtius. 165.284.287.351. 516.572.375.
Sammonicus Serenus. 291. 292.294.323.334
Sappho. 426
Scæuola pontifex. 285
Siſenna. 454
Sophocles. 418
Speuſippus. 225
Statius Tullianus. 321
Ser. Sulpitius. 309
Sueuius. 299 300.437.458
Symmachus. 351
Tarquinius Priſcus. 302
Terentius. 563 572
P. Tertius. 328
Theocritus. 354
Theophraſtus. 298
Thucydides. 317
Timotheus. 227.533
C. Titius. 221.293.307
Trebatius. 221.308.309.313. 320
Tuditanus. 210.222
Varius. 437.445
M. Varro. 161.170.178.180. 181.184.188.193.199.202. 204.210.220.221.236.280. 286.289. 290.292.312.317. 318.321.324 329.330.452. 572.579
Velius Longus. 316
Veranius. 301.305.314
Veratius Pontificalis. 318
Vergilius Maro. 8.11.24.33. 39.52.56. 61.63.66.68.71. 103.109.120.121.127.163. 180.184.211.218.223.229. 239.256.260.300.305.332 & deinceps vſque ad pag. 472. deinde, 537.546.561. 563.572
Vmbro. 219
Xenagoras. 421
Xenon. 186

INDEX

# Index

## RERVM ET VERBORVM

### APVD MACROBIVM.

A.

ACARNANVM annus ſemeſtris. 201
Acca Larentia, nobiliſſimum ſcortum, populum Ro. hæredem moriens nuncupauit, Fauſtuli coniux, Romuli & Remi nutrix. 190
Ἀκέφαλοι verſus. 399
Ἀκερσεκόμης Apollo. 231
Acetum frigidum. 495. gelu non ſtringi. 515
Achelous cur pro aqua Vergilio dictus. 414
Acheron fluuius quid. 42
Acipenſer in deliciis. 290
Acipenſer Traiani tempore nō in magno pretio. ibid.
Acipenſeris ſquama aduerſa. 292
Accitani. 240
Ἀκόλαστοι. 282
Aconitum hauſtum plurimi meri potu curari. 494
Ἀκρατεῖς. 282
Adad ſummus Deus apud Aſſyrios. 255.
Adargatis Dea apud Aſſyrios. 255
Ἀδελφός. 234
Adeps ſine ſenſu. 504
Addita pro infeſta & inimica. 451
Addubitatio ad pathos mouendum. 347
Adiectiuum, Græcis ἐπίθετον. 166
Adonis pro Sole. 246
Adonis quando Veneri redditus intelligatur. 247. ab apro interemptus. ibid.
Ad vnguem, prouerbium. 223
Aegæon aliter ab Homero quam Vergilio deſcriptus. 407
Aegæum mare. 516
Aegris ſimpléxne an varius cibus offerendus. 483
Aegyptus torridæ zonæ vicina. 119
Aegyptus artium mater. 213
Aegypti calidiſſimæ regionis cur frigida vina. 501
Aegyptij philoſophicæ diſciplinæ parentes 72. primi aſtrorum ſcrutandorum autores. 85 diuinarum rerum maximè periti quondam. 211
Aegyptiorum prophetæ. 518
Aegyptiis nūquam fas pecudibus aut ſanguine litare. 179
Aegyptiis ſolis certum modum fuiſſe anni. 200
Aemilia Veſtalis quãdo damnata. 189
Aemilianus ab Aemilio. 176
Aemilius Regilius prætor. 190
Aeneas pontifex. 307
Aenea ſacris plerunque adhiberi ſolita. 418
Aeneis Vergiliana quomodo ad Homeri Iliada & Odyſſeam effigiata. 353. 354. & deinceps.
Aequinoctialis parallelus. 60
Aequinoctialis circulus. 117. ambitus eius. 82
Aer humidus & calidus. 21.491
Aer cœlo ſubiectus. 68.91
Aeris non ſimplex qualitas. 491
Aerem motum in ventum ſolui. 502
Aerarium Ro. cur Saturni templum. 184
Aes primum ab Iano ſignatum nauis imagine. 180
Aeris in re diuina apud veteres vſus. 418
Aeris ſquamæ cõtra putredinem. 533
Aeris ſtyptica vis. 533
Aeſculapius pro ſole. 243
Aeſculapius idem cum Apolline, diuinationibus & auguriis præfectus. 242
Aeſculapij ſimulachrum cur cum dracone. 255
Aeſopus hiſtrio. 288
Aeſopi fabulæ. 58
Aeſopi in Demoſth. patronum fides. 195
Aeſtas quando fiat. 117
Aeſtas calida & ſicca. 491
Aeſtate cur aër flabro motus frigidior ſentiatur. 502
A ἀντικαὶ naturæ vnde. 48

Αἰθη-

Αἰσθητικὸν animæ. 55
Αἰσθητικὸν ad nos de ſole. 76
Αἰσθήσεις. 282
Aetas perfecta ſeptenarij multiplicatio. 30. 31
Aether. 90
Aetherea terra. 45
Aethereæ lucis conuerſiones. 27
Aethiopia torridæ zonæ vicina. 119
Aethiopes cur nigri. 125
Αἴθοπα οἶνον cur dixerit Homerus. 515
Aethra. 454
Aetnæ deſcriptio ex Pindaro & Vergilio. 410
Aetolorum mos vno tantùm pede calceato bellum ingredi. 415
Affectus quomodo vel boni vel mali. 150
Affectuum mouendorum ratio quàm egregiè Vergilio obſeruata 353. & deinceps.
Africa ficus. 301
Africana olea. 302
Agamemnon ſomnium ſuum publicans. 10
Agathonis conuiuium. 474
Agendi vis animæ vnde. 48
Agmen pro actu & ductu. 451
Ἀγυιεῦ. 417
Agonalia. 165
Agonium Martiale. 166
Ἀγυιεὺς Apollo. 186
Ἀγυιαί. ibid.
Alba ficus. 302
Albena vua. 302
Albidij ſors Catonis ſcommate notatur. 263
Albigerus olea. 302
Albiuerus vua. 302
Albula ficus. 301
Alcinoi menſa. 474
Alexandrina olea. 302
Ἀλεξίκακος dictus Apollo. 226
Ἀλλοιωτικὴ vis, alteratiua. 485
Amatur quicunque colitur, non autem qui timetur. 194
Ambarualis hoſtia. 314
Amicum non foris tantùm quærendum, ſed reperiri etiam domi. 193
Aminea vua. 302
Aminei vbi. ibid.
Ammon pro Sole occidente. 249
Amoris inſomnium. 7. 8. 9
Amphionis fabula. 104
Ἀμφίκυρτος Luna. 27
Amygdala nux. 299
An pro circum. 211
Anagnia Hernicorum vrbs. 415
Ἀνάγνωσις Græcis cur quod Latinis lectio. 47
Anatomica. 525
Anaxilaus Meſſenius. 196
Anciliorum. 166
Ancillarum feſtum Nonis Iuliis. 198
Ancillarum inſigne facinus. ibid.
Andron Laodicenus. 268
Angeronia dea vnde dicta. 189
Angeroniæ deæ ſimulacrum quale. ibidem
Angeroniæ feriæ. ibid.
Angerona dea. 323
Angina morbus. 189
Anguillæ vbi optimæ. 209
Anguis inter Septentriones. 69
Anima quid ſecundum diuerſor. philoſ. ſententias. 57. 58. & 131
Anima quomodo monas. 18
Anima immortalis. 49. 50
Anima non ſolùm immortalis, ſed Deus etiam, ſiue diuina. 131
Anima incorporea, & eſſentia eius in motu. 67
Anima pro mente. 54
Anima ex mente. 54. 67
Anima αὐτοκίνητος. 143
Anima motus principium. 136
Anima ſenſum ſubminiſtrat. 503
Anima verus homo. 131
Anima mundi. 66, 67
Anima mundi, mens. 56
Anima mundi quomodo ex numeris fabricata. 99. 101
Animá mundana primùm ſeptenario numero generata. 25
Anima pro ſpiritu ſiue ſpiramento. 56
Anima pro hoſtia animali. 314
Animam ex ſymphoniis muſicis conſtare. 24
Anima quomodo pro ſphærarum, per quas delabitur diuerſitate, diuerſis etiam virtutibus amicitur. 48
Anima vniuerſa animari quæ viuunt. 56
Animæ immortalitas. 134
Animæ incorporalitas. 57
Animæ perfecta ſapientia. 38
Animæ partes tres. 24
Animæ habitatio in cerebro. 505
Animæ triplex prouidentia. 506
Animæ quomodo diuiſionis nunc capaces, nunc expertes. 47
Animæ ad originis ſuæ ſedem migratio neceſſaria. 153
Animæ mundanæ motus. 149







Animæ mors & vita quæ. 41. 42. 44. 45. 46.
Animam omnino non moueri, Ariſtoteli. 135. 136. 137
Animam ſemper moueri quomodo dicatur. 140. 141. 142. 143
Animam nunquam ſtare, aut quieſcere. 67
Animam ſenſu non egere & carere. 504. & 505.
Animas poſt defuncta corpora viuere. 41
Animam morte ſua non extingui, ſed ad tempus tantùm obrui. 49
Animarum omnium fons, mundi anima. 20
Animarum origo de cœlo, 38. atque eò reditus. ibid.
Animas à Ioue dari, eidemque poſt mortem reddi, veteribus perſuaſum. 190
Animarum immortalitas. 2
Animarum in corpora deſcenſus. 43. 44. 45
Animarum circa corpus aut ſepulturæ locum vagatio. 51
Animas bene de republ. meritorum cœlū & beatitudinem ſortiri. 12. 34
Animarum ebrietas. 47. 48
Animarum obliuio ex ebrietate. ibid.
Animus vnde hominibus inditus. 48
Animus quomodo nobis cum ſideribus communis. 54. 55. 57
Animi natura ac vis. 135
Animi vim corporis denſitate hebeſcere. 55
Animi iam purgati virtutes. 36
Animi noſtri quomodo hic in terris eſſe dicantur. 89
Animi rectè inſtituti quæ vtiliſſima & honeſtiſſima requies. 159
Animum remittere, eſſe quaſi amittere. 171
Animum bifariam ſumi. 54
Animorum cœleſtis origo. 89
Animoſitas. 24
Animoſitatis ardore animā per Martis ſphæram dum labitur indui. 48
Animal ex corpore & anima. 43
Animal ex diuerſis conſtat elementis. 517
Animalis prima ſubſtant. corpus. 48
Animalis mors. 43
Animales hoſtiæ. 314
Animalia cætera, excepto homine, cur prona, & rationis expertia. 55
Animalium mutorum quanto maior quàm hominum infirmitas. 490
Animalibus ſola ſentiendi creſcendique vis cum homine communis. 55
Animalium an ſimplex alimonia. 484
Annales maximi. 307
Annus, ſolis anfractus & reditus. 32
Annus vnde dictus. 213
Annus vertens, ſiue magnus. 128. 139. item 211.
Annus λυκάβας cur dictus. 230
Annus magnus, ſolaris. 138. 139
Annus mundanus. 138. 139
Annus Romuli decem menſium, & à Martio incipiens. 200. 201
Anni dimenſio, præcipua Solis poteſtas. 186
Anni diuerſitas apud diuerſos. 200
Anni diuiſio per Numam. 207
Anni correctio per Auguſtū facta. 213
Annorum diuerſitas. 138
Annij ob neglectum deorum per quietem commiſſum pœna. 192
Annibalis ioci. 263
Anna perenna, Annare, perennare. 201
Anteuorta. 180
Ἀνθεστηριὼν menſis apud Athenienſes qui Romanis Aprilis. 202
Antianum pyrum. 301
Ἀντίχειρ pro pollice cur. 519
Antigonus rex Theocritum ob ſcomma in ſe dictum occidit. 481
Antigonus vnoculus. ibid.
Antius Reſtio ſerui fide liberatus. 195
Antij Reſtionis lex. 296
Antiochi magnificentia in exercitu, Annibalis ſcommate notata. 263
Antipodes. 92
Antipodum aſſertio 114. & deinceps.
Antipodum numen Proſerpina. 246
Antiquitas vocabulorum autor. 61
Antiquitas artium parens. 169
Antiquitatem moribus potius quàm verbis eſſe commendabilem. ibid.
Antiſthenes Cynicus Diogenis magiſter. 482
Antiſtrophe hymnorum. 102
Ἀντοικοι. 113
Antonius Gnipho. 330
Antonij edictum de ſumptibus, eiusq. luxus. 296
Antonij fuga ſcommate notata. 264
Annulus cur in ſiniſtra, & digito qui minimo proximus eſt, geratur. 517
Annuli geſtandi quæ cauſa veteribus. 518
Aper hyemis imago. 247
Ἀφρόδιτος. 320
Ἀφρὸς ſpuma Græcis, vnde Aphrodite Venus. 185. 201

Apiana vua. 302
Apicia vua. ibid.
Apis bos Memphi pro Sole. 249
Aplanes ſphæra. 20.40.44.45.58.106
Αποκρυτικὴ vis. 486
Apollo Epimelius, ποίμνιος, ἀρνοκόμης, ναπαῖος, ἐλελεὺς, chryſocomas, ἀκιρσεκόμης, Argyrotoxus, Smyntheus. 231 Καρνεῖος, σκιάλλιος, θυμβραῖος, Phileſius, Pythius 232. ἑκηβόλος, ἑκατηβόλος, 234. θυραῖος, ἀγυιεὺς. 186. λοίμιος, Medicus, Pæan, 226. ἰήιος. ibidem. οὔλιος, 227. Didymæus, Delphius. 234
Apollo Admeti paſtor. 231
Apollo vnde dictus. 225
Apollo quaſi aſpellens mala. 226
Ἀλεξίκακος. ibid.
Apollo idem cum Iano. 186
Apollo idem cum Mercurio. 240
Apollo pro Sole. 224
Apollo idem qui & Sol. 248
Apollo & Neptunus Troianorum dij. 312
Apollo μουσηγέτης. 102
Apollo Muſarum præſes. 240
Apollinis ludi Romæ, qui Apollinares, vnde. 228
Apollinis arcus & ſagittæ, & ſimulachrum. 226
Apollinis duplex & diuerſa poteſtas. 227.
Apollinis naſcentis & Pythonem occidentis fabula. 232
Apollinis ſagittæ pro radiis Solis. 233
Apollinis ſimulachrum ſiue imago. 234
Apollinis γενέτορος ara. 316
Apollini cur medendi poteſtas tribuatur. 226
Απολλωνόβλητοι. ibid.
Αφόρμησις. 347
Ἀποσιώπησις pathetica. 349
Apophthegmata Homeri & Verg. prouerbiorum vice. 406
Appetentia comis. 484
Appetentiæ vigor hominis ſalus, vnde varietate prouocanda. 493
Appij Claudij ſaltandi peritia. 289
Aprilis ſecundus anni menſis vnde dictus. 201. 202
Aprilis dictus quaſi aperilis. 201
Aprilis menſis Veneri ſacer. 247
Aqua frigida & humida. 21.492
Aqua calida cur mota fiat calidior. 502
Aqua omnis aeri & terræ quomodo participat. 514
Aqua marina pinguis. 520
Aqua dulcis cur abluendis ſordibus magis idonea quàm ſalſa. 519
Aqua niualis potui inſalubris. 514
Aquæ corpus & ſitus. 90
Aquarius Leoni aduerſus. 46
Aquarius cur Saturno aſſignetur. 88
Aquarius quomodo Solis naturam referat. 250
Aquilea olea. 302
Ara maxima. 318. 330
Ara pinguis. 420
Aras tangendi inter litandũ mos. 306
Aræ primùm anſæ dictæ. ibid.
Arabia torridæ zonæ vicina. 118
Arati locus. 68.238.422
Arbores ſola creſcendi vi viuere. 55
Arbores felices, & infelices quæ. 302
Arborum ſerendarũ obſeruatio. 533
Arcadum annus trium menſium. 200
Arcitenens. 456
Archilochus. 225
Archimedes interuallorum cœleſtium ſphærarum inuentor. 104
Architidis Veneris apud Aſſyrios cultus. 246
Arctos nunquam mergi. 63
Areopagitas tacentes iudicare. 475
Argiphontes Mercurij cognomen. 241
Argus multoculus, pro cœlo ſtellato. ibid.
Argyrotoxus Apollo. 231
Aridicis philoſophi ſcomma. 482
Aries cur Marti aſſignetur. 88. 202
Aries æquinoctiale ſignum. 70
Aries cur primus inter ſigna. 88
Aries colorem mutans quid portendat. 319
Arietis ſigni appellatio vnde. 87
Arietis ſignum quatenus ad ſolis naturam referatur. 249
Ariſtidis æquitas. 452
Ariſtomenes. 423
Ariſtophanis locus. 413.423
Ariſtoteles aduerſus Platonem de animæ motu. 135
Ariſtotelis theologumena. 235
Ariſt. de Ebrietate liber. 495
Armenium malum. 300
Αρμονία ſpatium inter aquam & aërem. 23
Αρνοκόμης Apollo. 231
Αρτεμις cur dicta Luna. 217
Αρτεμις quare dicta Diana. 533
Αρτεμιδόβλητοι. 226
Arteria τραχεῖα. 525


Arteriæ




Arteriæ receptacula ſpiritus. 486
Articulorum ſeptenarius. 43
Artium parens antiquitas. 76
Aruncia. 285
Arundinea ficus. 301
Anſæ pro aris. 306
Aſiana menſa. 492
Aſinaſtra ficus. 301
Aſinæ cognomentum vnde. 176
Aſinius Pollio quomodo Patauinorum ſeruorum fidem expertus. 196
Aſinius Celer. 292
Aſinuſca vua. 302
Aſotia. 455
Ἀσφαλίων Neptunus. 227
Aſperſio in ſacris inferis pro purgatione. 304
Aſſyriis Iupiter pro ſole. 253
Ἀστὴρ, ἄστρον. 58
Aſtrorum poteſtas an aliquid in homines operetur. 76.77
Aſtris volucres immolandas. 321
Athenienſium contra Amazonas bellum. 227
Atlanticum mare. 108. 119
Atra ficus. 301
Atri dies qui & communes. 220.221
Atronius Maximus. 192
Atruſca vua. 302
Atteſtatio rei viſæ pathetica. 348
Attis idem cum Sole. 247
Auellana nux. 298
Aues ſtellis ad litandum datæ. 321
Auguſta ficus. 301
Auguſtus menſis, qui antea Sextilis. 206
Auguſti in alios ioci, & aliorum in ipſum viciſſim. 269.270. 271
Auguſti duæ filiæ Iulia & Reſpub. 274
Auguſti prouerbium. 466
A. Albinus Græcitatis à Catone reprehenſus. 156
Auratæ piſces. 289
Aurea ſecula. 126
Aurem perforandi mos. 480
Aurium ſenſus. 506
Aurifices igne de paleis vti. 532
Auriti lepores. 456
Aurunci. 169
Auſpiciorum tempus quando Romæ. 162
Auſter cur ad nos calidus perueniat, cum ſit natura frigidus. 111
Auſtralis parallelus. 63
Auſtralis cardo. 111
Αὐτοκίνητον. 142
Autumnus ſiccus & frigidus. 491


B.


BACCAREVS. 236
Bacchanalia. 155
Bacchanalia in Parnaſſo alternis tantùm annis. 236
Bacis taurus pro ſole. 249
Bacchus ἐννάλιος cur. 240
Βάλλε παιάν. 227
Barbæ initia 30. creſcendi in longum quando finis. ibid. item quando in latum. ibid.
Baſilica nux. 298
Beare virtutum effectus. 37
Beatitudinem conſtare ſola virtute. 35
Bellaria. 280
Bellaria mellita quæ. ibid.
Bellum quo tempore inchoari nefas. 220
Bibendi maior ſitienti voluptas quàm edendi famelico. 512.513
Bibendum & edendum vt viuas, non econtrà. 283
Bibentium ſenſim ventres humectiores. 526
Bidentes hoſtiæ quæ. 469
Bifera ficus. 301
Bimembres. 457
Bis bina bis, corpus ſolidum. 99
Biſextus ſiue biſextilis annus. 211
Bitias. 474
Bona dea eadem cum Terra. 203
Bona dea cur dicta. ibid.
Bonæ deæ ædes Calend. Maiis dicata. ibidem
Bonæ deæ templum & ſacrorum ritus. 204
Boriſthenitæ quomodo ſeruorum ope ſeruati. 197
Boſphoricum mare an gelu contrahatur. 515
Brachio ſe emungere. 482
Briſeus. 236. Bruma. 248
Bulla aurea, 173. triumphantium geſtamen. ibid.
Bumammia vua, quæ Græcè βούμαστος. 302
Buſiris cur illaudatus Vergilio dictus. 315


C.


CADVCEVS Mercurij. 150
Cæcilius ſpatiator vocatus & Feſcenius. 288
Cæcilius Gallus. 468
Cœleſtium corporum motus non carere harmonia. 94. quatenus ſe tendat. 95
Cœleſtium corporum concentus. 103
Cœleſtium corporum interualla. 105




Cælius

Cælius ſenator. 171
Cœlum. 102. 103. octaua ſphæra. 102
Cœlum cur ſummus Deus dicatur. 67
Cœlum animæ fabrica. ibid.
Cœlum mundum verè vocari. 78. 237
Cœlum ab omni parte terræ æquabiliter diſtare. 91
Cœlum prima ſphæra, quæ & aplanes. 132
Cœlum cur moueatur, & quomodo. 66.
Cœlum pro viuorum regione. 8
Cœli ſphæra, eiuſque motus. 63
Cœli totius integra conuerſio diem noctemque concludit. 82
Cœli concentum cur non audiamus. 107
Cœli pudenda à Saturno reſecta, 5. & cur. 185
Cærete oppidum. 402
Cæſar ſeruorum opera in bellis vſus. 197
Cæſaris dictatoris libido Ciceronis dicterio notata. 263
Cæſaris facilitas in diligendo ſenatu. 267
Cæſaris in veſtitu mollities. 267
Cæſaris impotentia Laberij dicto notata. 278
C. Cæſar. 169
C. Cæſar rex ſacrorum. 285
C. Cæſar Ciceronis ſcommate notatus. 480
C. Cæſaris in diſponendo anno induſtria. 212
C. Cæſ. murænarum luxus. 290
C. Caſſius Ciceronis cauillo notatus. 268
C. Gracchus, & ſerui in eũ pietas. 196
C. Hirrij villa & viuaria. 290
Calabra curia. 216
Calata plebs. 215
Calculoſum pyrum. 301
Caldica ficus. 301
Calendæ vnde dictæ. 216
Calendæ nuptiis copulandis religioſæ. 227
Calendæ omnes Iunoni dicatæ. 187. 216
Calendaris Iuno. 216
Calix. 428
Calliæ cœna. 474
Calliope. 105
Καλῶ. 215
Calor generationis cauſa. 497
Calorem humore nutriri. 252
Caloris alimentum liquor. 497
Calor aquæ calidæ cur ex motu vehementior. 501
Calor ſolis cur areſaciat, lunæ autem humectet. 533
Calphurniana ficus. 301
Caluitium cur priorem capitis partem primò occupet. 507
Caluitij cauſa. 495
Chaos cum fuit, non fuiſſe tẽpora. 184
Camera. 455
Cameriensſes. 229
Cameſe. 180
Cameſene regio. ibid.
Camilla vnde. 321
Camillus Thuſcis eſt Mercurius. ibid.
Camilli, Camillæ. 321
Camœnæ cur dictæ Muſæ. 102
Camuris. 455
Cancer ſolis portarum vna, quæ hominum dicitur. 45
Cancer in æſtiuo tropico. 228
Cancer quomodo pro ſole. 249
Candelabrum. 311
Candens vnde dicatur. 411
Cani quare albi. 507
Canities vnde. 495
Canities cur priorem capitis partem primum occupet. 507
Caninius Reuilius dialis conſul. 262. 266.
Canis tauro vicinus. 71
Canes in Aegypto fugiendo bibere. 264.
Cannenſis clades quo die accepta. 197. 221
Cantandi ſtudium reprehenſum, & inter mollia numeratum. 228
Cantharus. 425
Cantus ad mutandos animos vis. 103
Capilli ſine ſenſu. 504
Capitis velandi in ſacris mos. 318
Capitibus pro capitibus quo modo ſupplicatum. 183
Capricornus ſolis portarum altera, quæ deorum dicitur. 46
Caprigenum. 457
Caprotinæ Iunonis ſacra. 198
Caprotinæ Nonæ. 198
Caput in corpore, arcis loco. 31
Capitis humani cur ſphærica forma. 55
Carcheſia. 425
Cardines habitationum. 111
Carneades Romam legatus. 171
Carneadis facundia. ibid.
Καρνεῖος Apollo. 232
Carica ficus. 301
Carmentalia. 218
Carnea dea. 205
Carnes validiores cur aliquando facilius digerantur quam tenues. 500


Carſi-




Carſitani. 298
Carthago deuota. 325
Caro cur ad vſum diuturnum ſaliatur. 511
Carutius Accæ Larentiæ maritus. 190
Carutius Thuſcus. ibid.
Caſellij Iuriſconſulti dictum. 276
Caſpium mare. 122
Caſtanea nux. 298
Καταδεκτικὴ vis, retentatrix. 485
Categoria, ψόγος. 479
Catena Homeri aurea. 56
Καθεκτικὴ vis. 485
Catillo, liguritor. 293
Catillones qui. ibidem
Catonis iocus. 263
Catonis iocandi feſtiuitas. 262
Catonis ſcomma in A. Albinum. 156
Catonum virtus. 152
Caucaſum tranſcendere nomen Romanorum non potuiſſe. 124
Cauſæ verè inſolubiles quæ. 89
Cebes Socraticus. 198
Cecrops primus in Attica Saturnum & Opem coluit. 191
Centrum quid. 80
Centrum ſolum nõ moueri in ſphæra. 90
Cepio ſerui fide liberatus. 195
Cerebrum ſenſu carens, quo modo corporis ſenſus gubernet. 505
Cerebrum, conſilij ſedes. 490
Cerebrum ſine ſenſu. 504
Cerebri dolor vbi. 505
Cerebri ventres. 506
Ceres pro Luna. 239
Cereis miſſitandis mos in Saturnalibus vnde. 182. 200
Cereris & Herculis xv. Calend. Ian. ſacra. 328
Cereri cur porca ſacrificetur. 203
Cereri vinũ nõ libari, ſed mulſum. 327
Ceremonia à carendo. 310
Ceruiſca pyrum. 301
Chaos. 232
Chia ficus. 301
Χίλια, χιλιάς. 170
Χρηματισμὸς. 7
Χρόνος qui & κρόνος, hoc eſt, Saturnus. 185
Chromaticum melodiæ genus. 107
Chryſocomas Apollo. 231
Cibariæ leges. 296
Cibus multiplex ſimplici aptior. 488
Cibus per ſtomachum ne trahatur, iuxta Platonem. 525
Cibus etiam multiformis morborum cauſa. 487
Cibi vitandi qui. 487. 490
Cibi expertem viuere vltra ſeptem dies non poſſe. 31
Cibi varietas, gulæ irritamentũ, 492. quomodo probetur. 493
Cibum ſimplicem multiplici præferendum, quia digeſtu facilior. 484
Ciborum varietas vitanda. 485
Cibos calidos cur ore facilius quàm manibus comprimamus. 514
Cicero conuiciis impenetrabilis. 256
Cicero nullius ſectæ veteribus approbatæ inſcius. 68
Cicero non minus philoſophus quàm orator. 256
Cicero conſularis ſcurra dictus. 262
Cicero duabus ſellis ſedere ſolitus, notante eum Laberio. 267
Cicero Laberij ſcommate notatus. 480
Ciceronis & Platonis de Republica librorũ differentia & ſimilitudo. 2
Ciceronis ioci. 266. 267
Ciceronis iocandi venuſtas. 266
Ciceroni varices cauillo Vatinij obiecti. 267
Ciceronis mordacitas. 268
Ciceronis exilium. 276
Ciceronis cum Roſcio & Aeſopo hiſtrionibus familiaritas. 288
Ciceronis cũ Vergilio cõparatio. 350
Ciceronis copia. 352
Ciceronis ſcomma in conſulem quendam dialem. 480
Cicer. ſcomma in Octauium. ibid.
Cic. ſcomma in C. Cæſarem. ibid.
Ciceronem à Platone diſſentire in ſolaris ſphæræ ordine. 72
Cimmerium mare. 516
Cinguli in cœlo, quæ in terra zonæ. 116. 117
Circenſibus additus dies inſtauratitius. 192
Circi 58. Circus. ibid.
Circuli cœlum ambientes vndecim, 59
Circulorum cœleſtium natura incorporalis linea. 60
Ciritum pyrum. 301
Ciſſymbium, cymbium. 447
Citreum malum. 300
Citreum malum contra tineas & venena. ibidem
Citroſa veſtis. 301
Ciuitates deo acceptiſſimæ. 35
Clarium oraculum. 236
Claudia. 274
Clauſius cur dictus Ianus. 187
Cleomenes Lacedæmone. 197
Cleopatræ luxus in vnione abſump. 297.




Cluen-

Cluentius Pelignus à proprio ſeruo necatus. 196
Cn. Domitius Cæſar. 289
Cn. Flauius ſcriba faſtorum proditor. 215
Cn. Marius vel Mattius. 168
Coccymelum malum. 300
Cochleæ ſaginatæ. 286
Cocytus flu. infernalis quid. 42
Cœna pontificis luxurioſa. 285
Cognitio ſui ipſius qualis. 38
Cognomina ex propriis nominibus tracta. 176
Cohortes voluntariæ. 197
Coitus venereus comitialis morbi pars. 283
Colotes Epicureus taxatus. 4
Κῶλον. 526
Color quamquam incorporeus, nunquam tamen ſine corpore. 513
Colotes Epicureus quid Platoni obiecerit. 4
Coluri duo. 61
Comœdiarum fabulæ. 5
Comitiales dies. 219
Comitialis morbi pars quædam coitus venereus. 283
Comitia menſe Martio auſpicari ſolita. 201
Commaſculare frontem. 509
Compitalia quibus verbis concipiantur. 168. 182. 218
Comperendini dies. 219
Concentuum ratio ſphærarum cœleſtium quomodo recepta Pythagoræ. 94
Conceptionis fœtus in vtero diſpenſatio per hebdomadas. 29
Conceptiuæ feriæ. 218
Conclamatum frigus, pro maximo. 492.
Concubia nox. 167
Conditione non æſtimandos homines quam caſus aſſignat. 193
Conditiua olea. 302
Conditiuum malum. 300
Conſcientia virtutis ampliſſimum præmium. 12
Conſcientiæ malæ tormenta vulturis iecur depaſcentis imagine ſignificari. 42
Conſcio ſibi malè quantumlibet leuia ſcommata, videri acerba. 482
Conſiuia Ops. 323
Conſiuius cur dictus Ianus. 188
Conſuetudo morem ſequitur. 322
Conſuetudo, altera natura. 503
Conticinium. 163
Continentia oſtentatrix. 484
Contraria vni rei accidere ſimul non poſſe. 146
Conuiuarum numerus. 178
Conuiuarum ingenia primum philoſopho ſpectanda. 474
Conuiuiales ſermones. 171. 475
Conuiuia nihil magis decere quàm concordiam. 475
Conuiuio an intereſſe etiam philoſophia debeat. 472
Copia rerum non negligenda grammatico. 257. 258
Copiæ quomodo veteres indulſerint. 167
Cordis figura in bulla cur geſtata. 175
Corinthus deuota. 325
Cornelia lex. 295
Corn. Rufus Decemuir cur Sibylla cognominatus, & deinde Sylla. 228
Cornix cornici oculos, prouerbium. 488.
Cornu pellucidum natura. 11
Cornua veli. 426
Corpus nullum propriè plenum. 14
Corpus velut carcer animæ. 41
Corpus vinculũ, carcer, ſepulcrum. 44
Corpus cur δέμας & σῶμα. ibid.
Corpus, animi cuſtodia. 49
Corpus diuinarum rerum fæx. 49
Corpus animæ ſarcina. 152
Corpus omne natura diſſolubile. 510
Corporis dimenſiones, longitudo, latitudo, altitudo. 14. 23
Corporis humani membra ſeptenario diſponi. 30
Corporis denſitate animi vim hebetari. 56
Corporis ſeptem gradus, & partes totidem exteriores. 31
Corpora mathematica. 14. 23. 98
Corpora noſtra inferi, & animæ ſepulcra. 41
Corpora ſolida quibus dimenſionibus conſtent. 98
Corporum omnium termini incorporei. 14
Corporum termini quatuor. 23
Corporum terrenorum & ſuperorum differentia. 57
Corporum ſoliditas quibus conſtet, 15. corpus ſolidum. ibid.
Corporum caducorum propria hæc duo, ſentire & creſcere. 76
Corporum qualitates contrariæ. 490
Corui ſalutatores. 273
Coruorum ætas fabuloſa. 490
Coruncanus. 169
Corylus. 298
Cotonea mala frigida. 495







Cotoneum malum. 300
Crœſi ſeruitus. 193
Craſſum ſemel tantùm in vita riſiſſe. 261
Craſſi in dicendo maturitas & grauitas. 353
Crater Liberi patris, ſidus inter Coruum & Anguem. 47
Crateres Delli. 419
Crepitantibus flammis antique dictum. 452
Creſcere & ſentire animalibus cæteris cum homine commune. 55
Creſcendi vis animæ cur indita. 57
Creſcendi vi ſola viuere arbores & herbas. 56
Creſcendi natura ad nos de luna. 76
Κριός, vnde dictus aries. 249
Crines abſcindẽdi morituris mos. 417
Criſpi capilli quare ſerò caneſcãt. 507
Critobolus Socratis ſcommate notatus. 482
Critolaus Romam legatus. 171
Critolai facundia. 171
Crocodilus de teſteis ouis naſcitur. 530
Cronia ſacra. 183
Κρόνος, qui & Saturnus. 184
Κρόνος & χρόνος cur dictus Saturnus. (251
Κριοὶ 411
Cruditates vnde. 485. 491
Cruſtuminium pyrum. 301
Cubus. 15. 98
Cubus ſoliditatis perfectio. 15. 98
Cucurbitinum pyrum. 301
Cucurbitina ficus. 301
Culminea olea. 302
Cupiditas. 24
Curis haſta Sabinis. 187
Curius. 169
Curtij equitis Rom. delicatum ſcomma in Auguſtum. 271
Cuſtos pro miniſtro. 318
Curulienſis lacus. 182
Cybele cur leonibus vehi fingatur. 247. 255.
Cybele, ſiue mater deûm pro terra. 247.
Cydonia mala, frigida. 495
Cylicranorum natio. 428
Cymbia. 425. 426


## D.

D Literam ſæpe literæ I apponi decoris cauſa. 186


Dædalus. 455
Dæmones vnde dicti. 253
Damaſippus Ciceronis ſcommate notatus. 266
Damnatus ſacrorum. 306
Darij matris ſeruitus. 193
Decadis perfectio. 31
December Saturno ſacer. 180
Decimam Herculi vouere ſoliti veteres. 329
Decimanum pyrum. 301
D. Syllanus. 285
Decij Laberij dictum. 276
Decretum, hoc eſt, μοῖρα, ſiue prouidentia. 407
Deducere. 310
Deductũ carmen, Deducere vocẽ. 453
Defluere. ibid.
Defunctorũ corpora cremãdi mos 497
Δείνωπα. 334
Delatio, Διαβολή. 479
Delebores rex. 253
Deli inſulæ fluctuatio. 182
Delius cur dictus Apollo. 229
Delli, crateres. 419
Delos inſula, curq. in ea natus Apollo dicatur. 233
Delphis templum Apollinis incenſum. 317
Delphius Apollo. 234
Δέλφοι pro vno. ibid.
Delubrum quid. 311
Δέμας. 44
Demaratus Corinthins. 173
Demodocus citharœdus. 474
Demoſthenis adulterium. 195
Dentes quando incipiant è mandibulis infantium emergere. 30
Dentes ſine ſenſu. 504
Dentium dolor vbi. 505
Deſiderium motus animæ vnde. 48
Deuotionis vrbium & exercitus verba. 324.
Deus quid. 130
Deus ſummus & omnium princeps, τὸ ἀγαθὸν καὶ πρῶτος αἴτιος. 6. 20.
Deus & mens vltra animam & naturam. 6
Deus, & eius omnipotentia. 54
Deus, prima rerum omnium cauſa & origo. ibid.
Deus mundanæ molis artifex. 21
Deus ſummus cœlum. 66. 67
Dei templum mundus. 54
Deo cur nullum ſimulacrum apud veteres. 6
Deo nihil acceptius quàm ciuitates. 35
Deum ſola mente concipi. 54
Deorum adulteria. 5
Deorum numero rectè adſcribi vrbium conditores. 39

Deorum tutela & prouidentia nos gubernari. 51
Deos omnes quoquot ſunt ad Solem referri. 224
Deos tutelares euocandi mos. 323
Dextræ partes omnes cur validiores. 486
Δία vocari Cretenſibus τὴν ἡμέραν. 216
Διαβολὴ, delatio. 479
Diana viarum præſes, vnde & Triuia dicta. 186
Diana, quæ & Iana. ibid.
Diana Opis vocata. 429
Diametros quid. 80
Διὰ πασῶν harmonia. 24. 96. duplari numero naſci. 96. 97
Διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, ſymphonia ex triplari numero. ibid.
Διὰ πέντε, 26. ex hemiolio naſci. 96. 97. 99. 116.
Διάφραγμα. 31
Διὰ τεσσάρων. 24. ex epitrito naſcitur. 96
Diatonum melodiæ genus. 107
Dicendi genera quatuor. 351
Dicteria. 262
Didia lex. 295
Dido quomodo in menſam libat. 328
Didonis conuiuium. 474
Didonis fabula falſa. 409
Didymæus Apollo. 234
Dij laneos habens pedes, prouerbium. 184
Dij penates qui, Magni, χρηστοὶ δυνατοὶ, πατρῷοι. 312. 313
à Diis quid petendum. 178
Die quarto, & die quartè. 168
Diecraſtini. 164. 167
Die quinti & die quintè. 167
Die noni. 168
Diei obſeruatio & diuiſio. 162
Die priſtinè. 168
Dies atri. 217
Dies atri, qui & communes. 220
Dies Feſti, profeſti, interciſi. 219. Nefaſti, Faſti. ibid.
Dies ciuil. 163. eius diuiſio. ibid.
Dierum diſcrimina quæ apud Romanos. 217
Dierum in menſibus numerandis ratio. 223
Dieſis. 97
Dieſpiter dictus Iupiter quare. 215
Digeſtiones quatuor. 485
Digeſtionum varietas. ibid.
Digitus medicinalis, quique per ipſum numerus ſignificetur. 518
Diluculum. 163
Dimenſio ſolidi corporis triplex. 98
Diocles Cariſtius. 28
Diogenes Romam legatus. 171
Diogenis facundia. ibid.
Diogenis ſeruitus 193. 199
Diogenis in Antiſthenem ſcomma. 482
Dionyſius idem qui Sol. 238
Dionyſius Siculus tyrannus. 43
Δὶς βάλανος. 298
Diſarius medicus. 484
Diſcludere. 453
Δὶς διὰ πασῶν : ſymphonia ex quadruplo numero. 96
Dis, mortis deus. 44
Diſſipium ſiue diſſeptum. 31
Ditis imperium à lacteo circulo incipit. 46
Ditis & Proſerpinæ ſacrum, mundo patente. 220
Diti humana capita ſacrificata. 182
Diuinationis & medicinæ cognatio. 243
Diuinationum affectata confuſio. 33
Docenti modus quomodo ſeruandus. 107
Doctrinæ cuique ſuæ prolatio iucunda. 477
Dolon qualis ab Homero & Vergilio fingatur. 407
Domini patresfamil. dicti. 194
Dominorum in ſeruos tyrannis. ibid.
Domitiani appellatio Octobri indita. 206
Domitiani ſcomma in L. Quintium. 481.
Draco ἀπὸ τοῦ δέρκειν dictus. 243
Dracro caudam ſuam vorans Iani imago cur. 187
Draconis ſpecies quomodo ad ſolem referatur, nomen quoque. 243
Dracones quomodo reiuueneſcant. ibidem
Draconibus cur ædium ſacrarum & theſaurorum cuſtodia aſſignetur. ibidem
Duabus ſellis ſedere, prouerbiũ. 267
Dulce vocari mel, ſuaue vinum. 499
Dulcedo ebrietati aduerſa. ibid.
Dulcia cur frigida dulciora quàm calida. 516
Duplaris numerus. 96
Duplum, duo ad vnum. 106
Duracina vua. 302
Duricoria ficus. 301
Dyas. 47
Dyadis vis. 20
Δυσχρηστία. 107





## E.

E & I indifferenter vſos veteres in fine. 167
Eanus, qui & Ianus. 187
Ἑαυτὸν τιμωρούμενος. 143
Ebon vel Hebon Bacchus. 236
Ebrietas ex calore. 497
Ebrietatis comes obliuio. 47
Ebrietati aduerſa dulcedo. 499
Ebriorum curationes. 495
Ebriorum mala, atque his laborare ſenes etiam ſanos. 496
Ebriis eadem quæ nimium frigentibus contingunt. 495
Ebrios citò ſeneſcere. ibid.
Ebur natura denſatum. 11
Ἑκάτη χθονία. 204
Echo Inui ſiue Panos amica. 251
Ἑκηβόλος & ἑκατηβόλος Apollo cur dictus. 233
Edacitas aciditatis & fumorum è ſtomacho aſcendentium cauſa, non cibi varietas. 491
Edecumati ioci. 261
Edentes auidè, cur citius ſatiẽtur. 513
Ediſſertare. 200
Εἰκών. 343
Eclipticus locus. 26
Ecliptica linea. 61
Ἐλελεὺς Apollo. 231
Elementa quatuor, 20. 24 eorumque diſcors concordia, & ordo. ibid.
Elementa cùm fluant, cur nunquam ſoluantur. 132
Elementorum ordines. 45
Elementorum diuerſitas. 490
Elementorum in animalibus diſpoſitio. 516
Eleuſiniæ deæ. 7
Eleuſinia ſacra à Numenio prodita. ibid.
Elyſij campi. 45
Ἐμβόλιμοι menſes, qui. 208
Ἓν τὸ πᾶν. 225
Enarmonium melodiæ genus. 107
Ἐνοσίχθων Neptunus. 227
Ἐντελέχεια. 57
Ἐνυάλιος cur vocatus Bacchus, cùm ita Mars dicatur. 240
Ἐνύπνιον. 8
Ἐπαναφορὰ pathetica. 349
Ἐφιάλτης. 9
Epicurei à vero deuij. 4
Ἐπιγλωττίς. 526. 528
Epimelius Apollo. 231
Ἐπιμηλίς. 300
Ἐπιφάνεια. 15
Epitheta Vergiliana. 455
Ἐπίθετον. 166
Ἐπιτίμησις pathetica. 349
Epitritus quid. 96. 101
Epitritus primus. 24
Epogdous numerus. 96
Ἐπιθυμητικόν. 24
Ἐπιθυμητικὸν animæ vnde. 48
Eques pro equo & ſeſſore, ſicut equitare tam equi quàm hominis. 471
Er Platonicus. 4. 6
Eraſiſtratus in Platonem iure inuectus. 525
Ἔρις. 396
Ἑρμηνευτικὸν animæ vnde. 48
Ἑρμῆς Mercur. ab ἑρμηνεύειν. 225. 241
Errantes ſtellæ cur appellatæ. 58
Erraticarum ſtellarum motus. 65
Eructationis cauſa edacitas. 487. 492
Erytheia inſula. 428
Ἑσπέρα, heſperus ſtella 164. Heſperia pro Italia. ibid.
Eſſentia indiuidua & diuidua. 47
Eſuriens quomodo bibendo famem ſubleuet. 502
Ἐτυμολογία. 419
Euandri mater. 169
Eunuchi cur pilis careant. 497
Eunuchis debilitas vnde: item vocis gracilitas. 508
Euocandi deos tutelares mos. 323
Euocationis deorum carmen. ibid.
Euporus, C. Gracchi ſeruus. 196
Euripidem Ariſtoteli cur & quomodo prætulerit Verg. 416
Euſebius rhetor. 160. 172
Euſtathius. 171
Euſtathius & Flauianus amicitiæ par. 172
Exanimos & exanimes pariter dixere veteres. 167
Exclamatio pathetica, ἐκφώνησις. 348
Exemplares virtutes. 36. 37
Exemplis quàm ratione magis capi plebeia ingenia. 484
Exemplum patheticum, παράδειγμα. 342
Eximiæ hoſtiæ. 314
Exit pro vitat. 459
Exprobratio ad contumeliam, quæ Græcis λοιδορία. 479

## F.

FABARIAE Calendæ. 205
Fabij Gurgitis luxus. 284
Fab. Max. Seruilianus. 232

**Hominis** duplex mors. 50
Homini ſola mens ſiue animus cum cœlo & ſideribus communis. 54. 55
Homini vnde datus animus. 50
Homini naſcenti quatuor numina adeſſe, & quæ. 242
Homini non moriendum ſuapte ſponte. 52
Homines non eſſe corpus, ſed mentem. 129. 130
Hominem conſtare ſeptenario. 28
Homines deorum prouidentia gubernari. 51
Homines non fortuna, ſed moribus æſtimandi. 193
Homines an morbis facilius quam pecudes occupentur. 484. 490
Horatij trigemini. 169
Horæ vnde appellatæ. 248
Horizon, 61. 524. non vltra CLXXX. ſtadia. ibid.
Horizontis cuiuſque longitudo. 61
Horizontis diuerſitas vnde. 62
Horrere. 452
Hortenſius piſcinarius Ciceroni dictus. 289
Horus Cynicus. 177
Horus idem cum Sole. 248
Hoſtes eſſe nobis tot, quot ſunt ſerui. 194
Hoſtia vbi Apollini non cædatur. 315
Hoſtiæ animales. 313
Hoſtiæ iniuges. 314
Hoſtiæ eximiæ. ibid.
Hoſtiæ ambaruales. ibid.
Hoſtiarum duo genera. 313
Hoſtis pro peregrino. 219
Hoſtus 174. vnde Hoſtilius natus. 173
Humana corpora cur erecta. 55
Hyacinthia ſacra Apollinis. 236
Hyades Vergiliis vicinæ. 69
Hyades in Tauro. 70
Hyberno puluere, verno autem luto grandia farra. 424
Hyems quando fiat. 118
Hyems humida & frigida. 491
Hyemis imago aper. 247
Hyemis ſimulacrum. ibid.
Hylas hiſtrio. 279
Hyle. 48
Hymni exordium. 102
Hymnorum ſtrophe & antiſtrophe. ibidem.
Hyperbole pathetica. 348
Hyperborei populi. 119

I.

I & E indifferenter in fine vſos veteres. 167
Iactare. 453
Iana pro Diana. 186
Ianiculum oppidum. 179
Ianuarius Iano ſacer. 207
Ianuarius anni primus menſis à Numa conſtitutus. ibid.
Ianuario duos dies addidiſſe C. Cæſarem. 188
Ianualis porta. ibid.
Ianuis patentibus cœnare cur imperatum. 294
Ianus idem deus cum Apolline & Diana. 188
Ianus cur bifrons. 186. 187
Ianus, quia ianuis præſit, dictus. 186
Ianus idem cum Sole. ibid.
Ianus pro mundo 186. ab eundo dictus quaſi Eanus. 187
Ianus deorum deus. 187
Iani varia cognomina. 187
Ianus pater pro Sole. 231
Ianus Iunonius. 216
Iani gemina facies. 178
Iani clauis & virga. 186
Iani ſimulacrum 186. 187
Iani imago, draco caudam ſuam vorans. ibid.
Iano duodecim aræ conſecratæ. ibid.
Iani portæ cur belli tẽpore apertæ. 15
Iano cur diuini honores decreti, & quales. 186
Ianum primum in Italia diis feciſſe templa. 187
Ianum in deorum ſacris primum inuocari. 186
Ιαω pro Sole. 238
Idea, anima. 57
Ἰδεῖν, videre: atque hinc dictas Idus. 216
Ἰδίαμα. 532
Iduare pro diuidere. 216
Idulis ouis. 216
Idus, 213. vnde dictæ, 214. 215. 216
Idus omnes Iouis feriæ. 216
Idus copulandis nuptiis religioſæ. 217
Iduum dies ſemper in plenilunio. ibidem
Iecur concretus ſanguis, caloris domicilium. 486
Iecoris miniſterium ſuccos ciborum conuertere in ſanguinem. ibid.
Ieiuno cur idem vinum quàm ei qui cibum ſumpſit, meracius. 512
Ieiuni cur magis ſitiant quàm eſuriant. 516
Ignis calidus & ſiccus. 21. 491
Ignis cœleſtis & ſempiternus. 57
Ignem æthereum nutriri humore. 125
Ἰὴ παιάν, καὶ ἱε παιάν. 216







Illaudatus. 463. 464
Im pro eum. 167
Imbris cauſa. 85. 250
Imago pathetica εἰκών. 342. 344
Immane. 163
Imitatio, lectionis fructus. 432
Ἡμιτόνιον. 96
Immortalitas bifariã intelligitur. 133
Imperatiuæ feriæ. 218
Imperitia nihil impatientius. 488
Inamabilis. 464
Incontinentes, qui Græcis ἀκρατεῖς. 282
Incorporalitatis prima perfectio in numeris. 15
Inculpatus. 463
Indigetes dij. 39
Inermes & inermos pariter dixiſſe veteres. 167
Infans quando pubeſcat. 29
Infans quando incipiat denteſcere, firmiter incedere & ſtare, lac nutricis horreſcere, loqui integrè. ibid.
Infantiæ cur plurimus ſomnus. 507
Inferi ſecundum Platonem, & eorum locus. 43
Inferis diis parem numerum & diminutionem conuenire. 207
Inferos quid eſſe veteres putarint. 42
Inferorum locus quis. 41. 43
Inferorum pœnæ quomodo intelligendæ. 42
Inferorum flumina quid. ibid.
Initium nullum idem eſſe cum eo, cuius eſt initium. 138. 145
Initium omne rei ineſſe cuius eſt initium. 147
Iniuges hoſtiæ. 314
Inſitium cur digeſtu difficile. 500
Inſomnes cur frigidis obliniantur. 494
Inſomnium. 7
Inſomnium ex cura animi, corporis, fortunæ. 8
Inſomnia falſa eſſe. ibid.
Intelligentia amiciri animam, dum per Saturni ſphæram delabitur. 48
Intemperantes, qui Græcis ἀκόλαστοι. 282
Intercalaris dies faſt. præfect. permiſſus. 210
Intercalationis initium quo tempore. ibid. intermiſſio eius propter ſuperſtitionem. 211
Intercalationis cauſa. 207
Interciſi dies. 217
Interpretandi vis animæ vnde. 48
Interpreti quid obſeruandum & quomodo oſtentatio vitanda. 476
Interrogandi diſciplina. 476
Interrogationum congeries ex Homero. 478
Inteſtina principalia tria. 31
Inuus qui & Pan. 251
Io in vaccam conuerſa. 241
Ioci atque dicteria diuerſorum. 262
Iocorum venuſtas in Plauto & Cicerone. ibid.
Ioppas citharœdus. 474
Iouis ſphæra pro aëre. 45
Iouis ſphæra. 48. 65. 72
Iouis fulgor cur hominibus proſper & ſalutaris. 75. 76
Iouis annus. 128
Iouis fiducia, id eſt, Itis dictus, Iduum dies. 216
Iouis ſimulachrum apud Aſſyrios. 253. 254
Iouis Statoris ædes. 311
Iouis Olympij fictio ex Homero. 394
Iouis glans. 298
Ioui tauro, ariete, verre immolari nefas. 326
Ira, breuis furor. 335
Iræ eſſe. 460
Iſis pro terra. 247
Iſis pro ſole 244. & terra. 247
Iſocrates primus verba prius libera ſub numeros ire coëgit. 472
Ἰσάμετρος μήν. 223
Iſter. 119
Italia cur Heſperia dicta. 164
Itis dies Tuſcis, qui nobis Idus. 215
Iuglans nux. 298
Iuliæ Auguſti filiæ mores. 274
Iulij Cæſaris in anni diſpoſitione obſeruatio. 212. 214
Iulius menſis, antea Quintilis dictus. 205
Iunia Tertia. 263
Iuniæ calendæ cur fabariæ dictæ. 204
Iunius menſis vnde dictus. 203
Iunius quartus à Martio menſis vnde dictus. 204
Iunius Brut. quomodo Maniæ ſacra immutauerit. 183
Iunius Brutus, primus Romæ conſul. 205
Iuno cur Iouis ſoror & coniux. 67
Iuno pro aëre. ibid.
Iuno pro imo aëre cum terra. 312
Iuno Calendaris. 216
Iuno eadem cum Luna. ibid.
Iuno aëris arbitra. 217
Iuno populonea. 328
Iunonis Caprotinæ ſacra. 197
Iunonis Monetæ ædes Calend. Iun. dedicata. 205

Iunoni Calend. omnibus ſacra fieri. 216.
Iunonius menſis. 205
Iunonius cur dictus Ianus. 187
Iupiter pro cœlo & deo 67.237. mundi anima. 67
Iupiter lucis autor, vnde Lucetius dictus, & Dieſpiter. 216
Iupiter idem qui Sol. 253
Iupiter pro medio æthere. 312
Iuſtitia politica. 37. animi iam purgati, 36. exemplaris. ibid.
Iuſtitia Scipionis. 40
Iuſtitia, Virginis in zodiaco ſignum. 249
Iuſtitiæ fructum non terminari cum homine. 2
Iuſtitiæ neceſſitas. ibid.
Iuſtitiæ officium. 35
Iuſti dies. 219
Ixionis rota quid ſign. 42

L.

Laberius in Epheſo. 458
Laberius ſcommate Ciceronem notat. 287
Laberij ſcomma in Ciceronem. 480
Labienus libertorũ fide ſeruatus. 195
Labruſca vua. 302
Lactis alimonia cur prima naſcentibus offertur. 47
Lactis natura quantum ad mores referat. 385
Lacteus circulus. 12.47.59
Lagea vua. 302
Laidis libido ſumptuoſa. 264
Laneos pedes habere deos cur dictum. 184
Lanuuinum pyrum. 301
Lanuuini. 163
Larētinalia Iouis feriæ quæ, & quando celebratæ. 190
Larentia Acca Fauſtuli coniux. ibid.
Laribus compitalia inſtituta. 183
Laribus quando feriæ dicatæ. eorum templum in campo Martio. 189
Laridum vnde dictum. 510
Latereſianum pyrum. 301
Latiar, Latinorum ſolenne. 220
Latinæ feriæ. 218.220
Latini regni ſucceſsio. 323
Latina lingua an Græca breuior anguſtiorque. 265
Latona pro terra. 232
Laureum pyrum. 301
Latonæ partus. 232
Lauiana ſiue Liuiana ficus. 301
Laudare pro nominare. 464
Laurearum renouatio in curiis, Regia, Flaminumq. domibus per Martij initia. 201
Lectio cur Græcis ἀνάγνωσις. 47
Lectionis fructus. 432
Leges ſumptuariæ vnde. 295. quæ & cibariæ. 296
Leges bonæ ex malis moribus. 295
Λεῖμμα. 97
Lentulus Cic. gener ſcommate ab eo notatus. 266
Lentulus, flamen Martialis. 285
Leo, ſolis domicilium. 249
Leonis ſignum. 48
Lepidus Ciceronis cauillo notatus. 268
Lepidi tumultus. 209
Leporum ſagina. 286
Letheus fluuius, 42. potus animarum. 47
Lex Antij Reſtionis. 296. Cornelia. 295. Didia, 294. Fannia. ibid. Licinia, 295. Lepidi cibaria, 296. Orchia. 294
Liber pater, 47. 238.240
Liber pater cur Orphaicis ſacris tradatur in membra diſcerptus. 47
Liber pater idem cum Apolline. 235. 238.240
Liber pater vnde dictus. 238
Liber idem cum Marte. 240
Liberi patris ſimulacra. 236. 240
Liberi bellaria. 281
Libero patri tumultus familiares. 471
Liberalium dies. 166
Libertinis prætexta vti non licitum, 173. ſed Libertinorum filiis. ibid.
Libra ſignum. 70.71.202.250
Libya torridæ zonæ vicina. 119
Libyſtinus Apollo. 227. Soſpitalis, Loxias. 229. Delius, Phœbus, Phanes, Phanæus, Lycius. ibid. Lycegenes, λύκειος, πατρῷος, Nomius. 230
Licinia Veſtalis. 189
Licinia. 294
Licinia lex. 295
Licinia olea. 302
Licinij liberti in Auguſtum ſcomma. 272
Licinij Craſſi ſaltandi peritia. 288
Liciniorum in piſcibus luxus, vnde Murænæ dicti. ibid.
Lictorum à Tullo Hoſtilio inſtitutio. 173
Lien frigoris domicilium. 486
Ligna quæ fabricæ inutilia. 533
Liguritor. 293
Ligyræi, apud quos adytum Libero conſecratum. 235
Lineæ. 14.15.46.99
Liquidus

INDEX.

Liquidus ignis. 456
Litare. 314
Literarum vſu memoriæ æternitas conſtat. 124
Lituus. 466
Liuiæ comitatus à Iuliæ comitatu diuerſus. 274
Locorum communium in vtramuis partem tractatio. 488
Lœmius Apollo. 226
Λογιστικὸν animæ vnde. 48
Λογιστικὸν animæ pars. 24
Λοιδορία. 479
Lollianum pyrum. 301
Longitudo. 14
Loquendum ita cum hominibus tanquam dij audiant, cum diis ita tanquam homines. 177
Lorum in collo pro bulla libertinorum filiis. 173
Loxias Apollinis cognomen. 229
Lucarium. 166
Lucetius quare dictus Iupiter. 216
Lucilius acer & violentus poëta. 293
Lucina cur parientibus inuocetur. 534
L. Aquinius aruſpex. 221
L. Cælij dictum. 276
L. Craſſi eloquentia. 289
L. Iulius Cæſar augur. 285
L. Furius. 184
L. Mallius pictor, 264. eius iocus. ibidem
L. Philippi piſcina. 289
L. Quintius ſcommate à Domitiano notatus. 481
L. Syllæ cantandi peritia. 288
Lucius tragicus poëta. 269
Lucumon. 173
Ludia ficus. 301
Luna quot diebus zodiacum abſoluat. 25
Luna διχότομος, 26. plena, ἀμφίκυρτος. 27
Luna cum Iunone eadem, vnde ἄρτεμις dicta. 217
Luna mortalium corporum autor & conditrix. 45
Luna, vitæ & mortis confinium. ibid.
Luna aëris & aquæ fæx. 74
Luna quomodo ſolis luce tantùm luceat. ibid.
Luna æætherea terra. 73
Lunæ vis circa inanima. 532
Luna & Sole præcipuè vitam noſtram moderari. 75
Luna zodiacum menſis ſpatio percurrit. 70. 75
Luna, caducorum & diuinorum confinium. 89
Luna naſcentis hominis τύχη. 242
Luna quomodo putredinis cauſa. 533
Lunæ defectus. 61.79
Lunæ ſphæra vltima cœleſtium & minima. 64
Lunæ calor quare humectet, & ſolis, arefaciat. 532
Lunam ſeptenario moueri. 25
Lunam lucere luce aliena. 73
Lunam naſci quid. 26
Lunam in defectu ſuo laborare. 61
Lunam ſolam ex ſtellis omnibus proprio lumine carere. 77
Lunam ſupra æther idem ſemper, & incorrupta omnia: infrà autem, corruptioni & mutationi omnia obnoxia. 89
Lunaris ſphæra quam vim animæ incutiat. 65.105
Lunaris orbis terrenorum primus, ſicut diuinorum vltimus. 64
Lunaris annus, menſis. 127.128
Lunares populi. 44
Lupercalia. 218
Lupus pro Apolline vbi colatur. 230
Lupus Germanus. 293
Lupus Tyberinus in deliciis. 292
Luſtrare pro circuire. 314
Luſtrari ciuitatem Februario inſtitutum. 207
Luſtricus dies. 222
Lux vnde dicta. 230
Luxus & mollities A. Hortenſij. 283
Luxus veterum. 286. 287.290
Luxus quatenus in cibi varietate reprehendendus. 492
Λυκάβας vnde dictus ſit annus. 230
Lychni. 454
Lycius Apollo cur dictus. 229
Λύκη. 230
Lycophos. ibid.
Lycopolitana Thebaidos ciuitas. ibid.
Λύκος ibid.
Lycurgi virtus. 152
Lyra Apollini attributa quid ſignificet. 242

M.

Machaera. 455
Mæotis palus. 119
Magiſtris mercedes Martio mẽſe perſolui ſolitas. 201
Magiſtris præſentibus non omnibus ſcommatis locus. 482
Maia, Vulcani vxor. 203
Maia, Mercurij mater. ibid.
Maia pro terra. 203
Maiæ menſe Maio ſacrificari. ibid.
** Maieſta,

Maieſta, Vulcani vxor. 203
Maius, tertius menſis in Romuli anno, vnde dicatur. ibid.
Maius, Iupiter à maieſtate dictus. ibid.
Mala omnia, frigida. 495
Malace. 455
Malorum genera. 300
Malorum aliorum iucunda memoria, aliorum ſecus. 478
Malum à nuce quo differat. 300
Mane vnde dictum. 163
Mania larium mater. 183
Maniæ deæ ſacra. ibid.
Manibus parentari ſole in Aquario exiſtente. 47
Marapium ſiue murapium pyrum. 301
M. Aemil. Lepidus. 285
M. Cato Vticenſ. Lucilij hæres. 289
M. Cælij ſaltandi peritia. 288
M. Flauius ſcriba. 211
M. Lolij iocus. 276
M. Octauius Herennius. 317
Mare Atlanticum & magnum. 108
Mareotis vua. 302
Margaritarum in aceto diſſolutio. 297
Marinam aquam gelu non conſtringi. 515.
Marmorum iuncturis ſoluendis noxius calor de lignis oleæ. 533
Maro Homeri per omnia imitator. 120
Maronia vua. 302
Martiale agonium. 166
Marſica ficus. 301
Mars βροτολοιγὸς & μιαιφόνος. 202
Mars idem cum ſole. 235. 239
Mars pro animi feruore. 240
Martis ſphæra. 45. 48. 65. 73
Martis annus. 128
Martis ſimulachrum apud Acitanos. 240
Martis ſtella eadem quæ & Herculis. 330.
Martis ſtella cur terribilis terris. 75
Marti Arietis ſignum in zodiaco dicatum. 202
Martem patrem in ſacris nuncupari. ibidem
Marſpiter. 240
Mater deûm pro terra. 247
Mater deûm leonibus vehi cur dicatur. 255
Martius anni Romani primus menſis. 201
Martius Cos. 210
Mathematica corpora. 14. 23
Martianum malum. 300
Maturare. Maturare fugam quid. 467
Mæcenatis ſtylus mollis, & remiſſus Augusti cauillo notatus. 270
Medea, 204. eius templum virum introire, piaculum. ibid.
Medicina, phyſicæ philoſophiæ extrema fæx. 527
Medicinæ & diuinationis cognatio. 243
Medicos igni ex ſarmentis libentius vti. 526
Medulla ſine ſenſu. 504
Medulla ſpinalis id animali, quod naui carina. 506
Mel cur quod recentiſsimum, optimum. 511
Mel in fundo optimum. 512
Mellis repertor Saturnus. 186
Mellis natura arida. 511
Mellis fæx cur in ſummo, nõ imo. ib.
Melampſithia. 302
Melodiæ muſicæ tria genera. 107
Membrorum corporis humani diſpoſitio per ſeptenarium. 31
Memoria animalibus cæteris pro ratione. 55
Memoriæ defectus, opinionis ortus. 48
Menippus ex ſeruo philoſophus. 199
Mens Græcis νοῦς, rerum ideas continens. 6
Mens vltra animam & naturam. ibid.
Mens ex deo nata. 20
Mens diuinior anima. 54
Mens nobis cum cœlo ſideribuſque communis. 56
Mens, quæ νοῦς. 54
Mens ex ſummo deo. 57
Mens, mundi anima. 56
Mens ex deo procreata. 67
Mentis ſumma velocitas. 242
Mentis ſedes in capite. 55
in Menſam libare quando licuerit. 328
Menſis, lunaris annus. 127
Menſis cuiuſque initium, & quot ſingulorum fuerint dies ex Romuli ordinatione. 213. 214
Menſium initia ab exortu lunæ maioribus obſeruata. 216
Menſium dies quomodo numerandi. 223
Menſtrua frigida eſſe. 499
Μισόπτερον. 31
Meſſalæ cognomen vnde. 176
Meſſana capta. 176
Meſſanæ in Sicilia conditor Anaxilaus. 197
Mercurius & Venus Solis quaſi ſatel. 106
Mercurius, vocis & ſermonis potens. 203





Mercurius pro Sole. 224. 240
Mercurius idem cum Apolline. 242
Mercurius ſermonis autor. ibid.
Mercurius mentis potens. ibid.
Mercurius cur alatus. ibid.
Mercurius Argiphontes cur dictus. ibid.
Mercurius Tuſcis Camill. 320
Mercurij ſphæra. 48. 65. 72. 73
Mercurij ſphæra pro ætherea aqua. 45
Mercurij annus. 128
Mercurij duplex poteſtas. 227
Mercurij ſimulachrum. 241
Mercurij caduceus. 242
Mercurio menſe Maio ſacrificari. 203
Meridies. 163
Meridies cur potius quàm Auſtralis cardo vocetur. 111
Meridies quaſi medidies. ibid.
Meridiani circuli diuerſitas vnde. 61
Meroes ſitus. 120
Meſpilum pyrum. 301
Metallica corpora vaſta. 14
Metelli Pij luxus. 284
Metuentes cur palleſcant. 509
Meuia lex. 193
Meuia Galla. 264
Mezentius quare diuûm contemptor vocatus Vergilio. 315
Mileſium pyrum. 301
Mille declinatum ſingulariter. 170
Mille verborum. ibid.
Millia à mille. 170
Militiæ onere liberandi ſeptima annorum hebdomade. 30
Milli paſsûm, pro mille paſſibus: & Milli nũmûm, pro, mille nummis. 170
Μήνη. 127
Minerua, ſolis virtus. 235. cur è Iouis capite prognata. ibid.
Minerua ſummum ætheris cacumen. 312
Mobile omne, ab alio moueri, non à ſe. 135
Μοῖρα Homerica. 407
Molluſca nux. 299
Monas. 47
Monas diuiſionis expers. 16
Μονὰς numerorum fons. 18
Monas puncti inſtar, 108. non numerus, quanquam numerorum origo. ibidem
Morborum cauſæ. 487
Mors. 41
Mors animæ à corpore ſolutio. 52
Mors naturalis quæ. 53
Mors voluntaria laudanda quæ. 52
Mors hominis duplex. 50
Mortes duæ, animæ & animalis. 43
Mortis locus. 44
Mortis deus, cur Dis. ibid.
Mortis voluntariæ dehortatio. 52
Mortuos proſequi cantu ad ſepulturam inſtitutum. 102
Morſus figuratus, qui Græcis ſcomma. 480
Mos quid. 321
Mores ſibi quiſque dat, vnde ab his æſtimandi homines. 193
Moribus præteritis viuendum. 169
Motus omnis corporis ſeptenarius. 32
Motus ſemper vitæ comes. 66
Motus principium anima. 134
Motus ratio ex Ariſtotele. 135. 136
Motus per ſe. ibid.
Motus per vim. ibid.
Motus per naturam. ibid.
Motus ex accidente. ibid.
Motus genera. 138
Motus corporei ſeptem. 503
Mouere quid propriè. 143
Moueri aliquid ſemper bifariam intelligi. 134
Moueri an paſſionem etiam ſignificet. 142
Mulciber. 455
Mulier vſurpata quæ. 163
Mulieres humidæ. 496
Mulieres frigidas eſſe. 497
Mulieres cur rarius inebrientur. 495
Mulieres frigoris tempore mediocri veſte vti magis quàm viros. 497. 498
Mulierum crebræ purgationes vnde. 497
Mulierum læuitas cutis & ſplendor vnde. 495. 497
Mulierum natura calidior, quàm virorum, 496. & contrà, frigidior. 497
Mullus ſeptem millibus nummûm emptus. 291
Mulſum optimum quod. 511
Mundanæ animæ motus. 150
Mundanus annus. 128. 129
Mundus vniuerſitatis principiũ. 530
Mundus dei templum. 49
Mundus verè cœlum. 78
Mundus an æternus. 124
Mundus qua parte mortalis, & quid eius intereat. 132
Mundus propriè cœlum vocatur. 128
Mundus paruus, homo. 131
Mundus quomodo immortalis. 133
Mundus idem cum Iano. 94
Mundus patens, Ditis & Proſerpinæ feſtum. 220

Mundus pro cœlo. 78
Mundus deorum domus. 254
Mundi anima, 20. ſeptenario primùm generata. 25
Mundi duæ partes, mutabilis & immutabilis. 44
Mundi clementa ter quaterna. 45
Mundi anima, mens. 57
Mundi anima. 66
Mundi natalis. 87
Mundi vertex, cœli medium. ibid.
Mundi anima quomodo ex numeris fabricata. 97.98.99
Mundi motus animæ impulſu. 101
Mundi anima viuentibus omnibus vitam miniſtrat. 104
Murænæ cognomen. 289
Murænæ flutæ. 290
Murænæ vbi optimæ. 289
Murænæ piſcis mors luctu deplorata. ibid.
Mures in Aegypto de terra & imbre. 531
Muſæ nouem. 102
Muſæ mundi cantus, cur amœnæ dictæ. 102
Muſicæ ſex tantùm numeri apti. 96
Muſicæ vis. 103
Muſicæ melodiæ tria genera. 107
de Muſicis ſonis. 94.102.103
Μουσηγέτης cur dictus Apollo. 102
Muſteum malum. 300
Muſteum pyrum. 301
Muſto ineſſe aquam. 499
Muſtum cur non inebriet. 498
Mutij maleuolentia Publij ſcommate notata. 264
Mycithi ſerui in Anaxilai liberos pietas. 196
Myrteum pyrum. 301
Mys Epicuri ſeruus philoſophus. 199
Myſia Helleſpont. 422

N.

Ναπαῖος Apollo. 231
Næuianum pyrum. 301
Narratio fabuloſa. 3
Naſcendi rudimenta in leone. 46
Naſcenti homini quæ numina adſint. 242
Necys, Martis ſimulachrum apud Acitanos. 240
Nectar potus deorum. 47
Neceſſitas, ſpatium à terra vſque ad aquam. 23
Nefaſti dies. 219
Nemeſin contra ſuperbiam coli. 250
Nemeſin eſſe ſolem. ibid.
Neptunus & Apollo Troianorum dij. 312
Nepenthe apud Homerum quid. 475
Neptunus ἐνοσίχθων ϗ ἀσφαλίων. 227
Neruorum συζυγία. 606
Neſtoris prudentia. 11
Netos taurus Soli conſecratus apud Heliopolim. 249
Nicocreonti regi quid de ſe reſponderit Serapis. 245
Nigra ficus. 302
Nili catadupa incolis nõ exaudiri. 107
Ninus. 124
Niuis aqua pota noxia. 514
Nix, aqua in aëre denſata. ibid.
Nocentẽ ſe iudice abſolui neminem. 42
Noctiuagus. 457
Noctu futura. 164
Noctu concubia. 167
Nomius Apollo. 231
Nomina ex cognomin. 176
Nonæ Caprotinæ. 198
Nonæ cur à nundinis ſegregatæ. 209
Nonæ. 214. vnde dictæ. ibid.
Nonæ copulandis nuptiis religioſæ. 217
Nonis conuentus populi cur vitari ſolitus. 209
Nonis populares conuenire ex agris in vrbem. 215
Nox, terræ vmbra. 80
Nox concubia, intempeſta. 164
Nox pro noctu. 167
Nubes quid. 91
Nuces & mala quo diſtent. 300
Nucum genera. 297
Nudius quartus. 168
Numæ virtus. 152
Numæ induſtria in diuidendo anno. 207. 208
Numantius Plancus Antonij & Cleopatræ luxus arbiter. 297
Numentana vua. 302
Numerus ſuperficie & lineis antiquior. 15
Numerus impar mas, par fæmina 17. 110
Numeri tantum ſex ad conficiendam muſicam apti. 96
Numeri, per quos iugabilis ſit rerum omnium competentia, qui. 76
Numerorum plenitudo, & qui numeri propriè pleni. 14
Numerorum certa ratione animas corp. ſociari. 52
Numerorum neceſsitas. 98
Numerorum natura Geometricis rationibus applicata. 99
Numidica ficus. 301
Nundina dea. 222
Nundinæ. 223







Nundinæ à quo inſtitutæ. 222
Nundinæ an feriæ. 221
Nundinæ Iouis feriæ. ibid. ſed lege Hortenſia faſtæ inſtitutæ. 222
Nundinarum dies. 209
Nundinarum origo. 222
Nuptiis copulandis religioſi dies qui. 217
Νοῦς, 6
Νοῦς mens diuina. 37
Νοῦς ὑλικός. 47
Νοῦς Græcis, mens. 55
Nutricis ingenium quantum ad mores referat. 384
Nux iuglans. 297. baſilica, auellana, Præneſtina, Pontica, caſtanea, Heracleotica. 298. Græca, amygdala, thaſia, molluſca, Tarentina, pinea. 299

O.

OBEDIENTIA, ſpatium inter aërem & ignem. 23
Obliuio ebrietatis comes. 47
Occiduum tempus. 164
Occipitij ſiccitas. 507
Oceanus terram ambit & diuidit. 121. 252
Oceani incrementum. 28
Oceani exiguitas. 133
Ocium moleſtum quod. 278
Octauius Ciceronis ſcommate notatus. 480
Octauij luxus. 292
October menſis Domitianus appellatus. 206
De Octonario. 14.15.16.17.99
Oculorum ſanitati conferre æris metallum. 534
Oderunt quem metuũt, prouerbiũ. 42
Odorandi vis. 525
Ogranium malum. 300
Οἶκτος. 334
Oleæ ignis balneo pernicioſus. 533
Olearum genera. 301
Oleaſter. 302
Oleum cur gelu ſtringatur, vinum non item. 515
Olei quod ſupernatat optimum. 512
Ὄλυνθοι fici. 302
Ὁμοιοπάθεια. 347
Opalia. 190
Opinandi natura animæ, à ſole- 48
Opinionis ortus memoriæ defectus. 47
Oppias. 253
Opis Dianæ comes ipſa Diana. 429
Ops dea, Saturni coniux. 191. pro terra. ibid.
Ops dea, quæ & Fauna, & Fatua, & Bona. 204
Ora pro perſonis. 459
Oraculum. 8. 9
Ὅραμα. 7
Orata cognomen Sergij. 289
Oratio pathetica qualis eſſe debeat. 333
Oratorem nõ niſi orando probari. 474
Oratorum diuerſitas. 350
Orbiculatum pyrum. 301
Orbiculatum malum. 300
Orbes. 58
Orbis. ibid.
Orbilij grammatici dictum. 276
Orchas olea. 301
Orchia lex. 294
Orioni proximæ Vergiliæ & Hyades. 69
Oropi vaſtatio. 171
Orphei ceremoniarum ſacra. 5
Orphei fabula. 103
Oſcilla Diti ſacrificari cœpta. 182
Oſinius rex. 403
Oſiris idem cum ſole. 248
Oſſa ſine ſenſu. 504
Oſtentatio quomodo vitanda interpreti. 476
Oua pauonum quinis denariis vendita. 283
Oues cur lauentur. 219
Oues abluere qua gratia feſtis diebus liceat, aut non. ibid.
Oues cur bidentes dicantur. 469
Ouis purpureo colore quid portendat. 319
Ouum inſtar elementi omnibus ferè animantib. 529
Ouum mundi ſimulachrum. 530
Ouúmne prius fuerit an gallina. 529

P.

PACVVIVS Taurus. 269
Pæan cur dictus Apollo. 227
Pachynum promontorium. 227
Παιανίζειν. 307
Pagani, id eſt, ruſtici. 218
Paganalia. ibid.
Palicus, ſiue Palici dij qui. 219
Palinodiam canere, prouerbium. 489
Pallas pro ſeptenario. 19
Pallor vnde metuentibus. 509
Palpebras depiles æris metallo tractato veſtiri. 534
Paluſca ficus. 301
Πᾶν τὸ ἕν. 225
Panos ſimulacrum. 251
Pan, & qui Inuus, idem qui & Sol. ibidem

Pan cur Arcadibus ὁ τῆς ὕλης κύριος, dictus. ibid.
Panuceum malum. 300
Pantheum, templum. 297
Panyaſis. 428
Papyrij Prætextati hiſtoria. 175
Parabola pathetica. 242. 244
Παράδειγμα. 342
Paralus. 158
Παράλυσις ex nimio vino & frigore. 495
Paralleli quinque. 60
Parmenides. 158
Parnaſus, mons Apollini ſacer. 236
Parthenium mare. 516
Parthi cum concubinis, non coniugibus, inire conuiuium ſoliti. 472
Paridis iudiciũ Homero neglectũ. 407
Partus humani tempus. 19
Partus futuri diſcretio. ibid.
Partus humani diſpenſatio & maturitas. 29
Partus an vitalis, ſeptima hora diſcernitur. ibid.
Paſſiones. 37
Patriæ ſeruatoribus certum beatitudinis præmium in cœlo. 12. 35. 36
Patrisfamiliâs appellatio. 193
Πατρῷος Apollo cur dictus. 230
Patauini ſeruorum ſuorum fide ſeruati. 196
Patera. 425
Patera pars veli inferior. ibid.
Patuleius cur dictus Ianus. 187
Pathetica oratio. 333
Pathos ex habitu apud Vergilium. 332. per ſilentium. 344. 349. per obiurgationem. ibid. à maiori & minori, 345. præter ſpem, 346. à ſimilitudine paſſionis. 347. ſermone conuerſo ad inanimata. ibid. addubitatione, 348. atteſtatione. ib. per hyperbolem, 348. exclamationem. ibid. ab ætate apud Vergil. 336. habitu, 341. fortuna, 337. debilitate, ibid. loco, 337. tempore. 338. cauſa, ibid. modo, 341. materia, ibid. ſimili, 343. exemplo, ibid. parabola, 344. imagine. ibid.
Patientiæ maior quàm facundiæ laus. 271
Paulia olea. 302
Pauonum oua quinis denariis vendita. 283
Pauſa. 455
Pauſia olea. 302
Pede altero calceato, altero nudo eundi mos. 415
Pelaſgi à Pelaſgo. ibid.
Πέμματα 286
Penates dij Romanorum proprij, quinam. 312
Per pro inter, frequens apud Vergilium. 120
Periculorum præteritorum iucunda commemoratio. 478
Pericles. 158
Perſeus Zenonis ſeruus philoſophus. 199.
Perſicum inter mala potius quàm nuces numerandum. 300
Perſicum idẽ quod molluſca nux. 299
Perſoluere, voti proprium. 314
Peſtilentia à pecudibus inchoata. 489
Peſtilentiæ deſcriptio ex Vergilio & Lucretio. 442
Petulcus. 456
Phædon Socraticus ex ſeruo philoſophus. 198
Φύτασμα. 8. 9
Phanes cur dictus Apollo, & Phanæus. 229
Phanes ſol vnde dictus. 237
Φανταστικὸν animæ vnde. 48
Pharmaca cur ex contrariis. 491
Φάσις. 27
Phidiæ reſponſum de Ioue Olympio à ſe ficto. 394
Phileſius Apollo. 232
Philocrates C. Gracchi ſeruus. 196
de Philoſophia. 50. 153. 259. 423. 472. 528
Philoſophandum moderatè in conuiuiis. 475
Philoſophi an ſoli beati. 35
Philoſopho an conueniat fabulis vti. 4. & quibus & quando. ibid.
Philoſophum pro tempore non minus tacendo philoſophari quàm loquendo. 474
Philotidis ancillæ cum aliis inſigne facinus. 198
Phlegethon fluuius infernalis quid. 42
Φλέγμα. 507
Φοῖβος cur dictus Apollo. 229
Φθίνων μήν 223
Φυτικὸν naturæ vnde. 48
Φυτικὸν animæ. 55
Pilos creari calore. 497
Pinarij Herculæi ædis cuſtodes. 318
Pindarus imitationi inacceſſus. 410
Pinea nux. 300
Piper cur appoſitum cuti, lædat, deuoratum non item. 501
Piſæ oppidum. 402







Piſces cur Ioui aſſignentur. 88
Piſcium ſignum quomodo Solem referat. 250
Piſiſtrati tyranni prudens factũ. 474
Piſo Ciceronis gener ab eodem cauillo notatus. 268
Pyrorum genera. 301
Placentæ à ſecundis menſis Varroni remotæ. 280
Planetæ ſeptem. 26
Planetarum cur alij nobis proſperi, alij aduerſi. 75
Planetarum ordo. 87
Planities. 14
Platani Hortenſij vino irrigari ſolitæ. 283.
Plantationis autor Saturn. 180
Plato ipſius veritatis arcanum. 20
Platonis ſcribendi ratio. 1. 2
Platonis & Ciceronis de Republica librorum differentia & ſimilitudo. 1
Platonis de ſphæræ ſolaris ordine ſententia. 72
Platonis ſympoſium. 157. 260. ſeruitus. 193. Phædon. 198
Platonicorum ratiocinationes de animæ immortalitate. 134
Planci libido Sutoris ioco notata. 264
Plauti Iocorum venuſtas. 262
Plebeia ingenia exemplis magis quàm ratione capi. 484
Plenitudinem niſi diuinis rebus & ſupernis conuenire. 14
Plinij Secundi pingue & floridum dicendi genus. 351
Plotinus verborum parcus. 131
Poculorum genera, variáque nomina. 424
Podagræ cauſa. 487
Poëtarum fabulæ ex philoſophiæ adytis. 224
Poëticam tubam omnia ſemper in maius tollere. 120
Pœnitere tanti nõ emo, prouerbium. 264
Ποίμνιος Apollo. 231
Πολιοκρόταφοι ſenes cur dicti Homero. 507
Politicæ virtutes. 36
Pollex digitus. 519
Pollionis ſcomma in Auguſtum. 271
Polus Philoſtrati ſeruus philoſophus. 199
Polluctus Herculis. 293
Pollucibilis cœna. 297
Πόλος. 215
Polus arcticus, antarcticus. 63
Pompeius Macula. 264
Pompeiana ficus. 301
Pondera omnia nutu ſuo in terram ferri. 14. 89
Ponti gelu vnde. 516
Ponticum mare dulcius cæteris. ibid.
Pontica nux. 298
Pontificis cœnæ luxus. 285
Pontificum poteſtas res geſtas in tabulas referendi. 307
Popilia. 285
Populonea Iuno. 327
Populiæ dictum. 275
Populeæ coronæ in ſacris Herculis. 329
Porricere. 305
Portarum ſolis altera hominum, altera deorum. 46
Poſthumius Liuius Fidenatium Dictator. 198
Poſtuorta. 180
Potionum remedia cur ex contrariis. 491
Potitius & Pinarius ſacrorum Herculis cuſtodes. 204
Potitij. 317
Potus vitandi qui. 486. 488
Potus per aſperámne arteriam pulmoni illabatur. 525
Prannia vua. 302
Præcox ficus. 301
Præcox malum. 300
Præcox pyrum. 301
Præcianum pyrum. ibid.
Præliares dies. 220
Præmaturè. 467
Prætextæ origo, & à pueris vſurpatio. 172. 173
Præneſtina nux. 298
Prætexta magiſtratuum geſtamen. 173
Prætexta vnde in nominis vſum abierit. 172. 173. 174. 175
Precia vua. 302
Pridie. 168
Principij nulla origo. 133
Priſtinè & priſtini veteres pariter dixiſſe. 168
Procliue & procliui pariter dixiſſe veteres. 167
Profanum quid. 308
Profeſti dies. 219
Proiectus. 454
Προνοίας Ἀθηνᾶς ναός. 233
Properare. 467
Proſerpina pro inferiore terræ hemiſphærio. 246
Proſiuum malum. 300
Protagoras. 158
Proteruia ſacrificium. 276
Propter viam fecit, prouerbium. 263

Πρῶτον αἴτιον. 6
Prouidentiæ miniſtra fortuna. 407
Prudentia politica. 36. animi iã purgati, 37. exemplaris. ibid.
Prudentia Scipionis. 39
Prudentiæ officium. 35
Pſaltria. 261
Ψαμμακόσια apud Ariſtophanem pro multis. 423
Pſithia vua. 302
Ψόγος, categoria. 479
Pubertatis ætas. 30
Pubertatis annus in fœminis duodecimus, pueris autem decimus quartus. 497
P. Scæuola. 285
P. Scipio Afric. quomodo ſerui fidem expertus. 196
P. Volumnius. 285
Publicia Flaminicæ. ibid.
Publicius trib. pleb. 182
Pudentes cur rubeant. 509
Puellas biennio maturius quàm pueros tutela liberari. 30
Pueritia cur non caneſcat. 507
Pugilum in explorandis viribus conſuetudo. 30
Pulla ficus. 301
Pulmentorum varietas. 487
Pulmo ſolidus & læuigatus. 527
Pulmo receptaculum potus. 528
Puncta duo, lineæ ductus. 15
Punctum, pro vno. ibid.
Punctum corpus indiuiduum. 98. 99
Punctum, lineæ principium. 138
Punctis finiri lineas. 14
Punicum malum. 300
Punico bello ſerui militarunt. 197
Purgatio fœminarum quando incipiat. 30
Purgatio an in ſacris inferis æquè vt ſuperis neceſſaria. 304
Purgatoriæ virtutes. 37
Purpuræ vſus cur in prætexta puerorum. 174
Putredo pecudum quid. 531
Putredinis cauſa. ibid.
Pylades hiſtrio. 279
Pyrgi oppidum. 402
Pythagoras concentuum cœleſtium inuentor. 94. & numerorum. 95
Pythagoreorum ſymbola. 5
Πύθιον. 232
Pythius Apollo. 234
Pythonis draconis ab Apolline occiſi fabula. ibid. 232


Q.


QVADRATVM corpus. 14. 15
Quadratum octo angulis. 15. 16
Quadruplus numerus. 96
Quaſſare. 463
Quaternarius numerus. 16
Quaternarij laus. 20
Quaternarius iuriſiurandi religione ſacer Pythagoricis. 24
Quinarius rerum omniũ numerus. 20
Quintilis menſis à Martio quintus. 201
Q. Catulus. 285
Q. Cicero M. Tullij frater, ſcommate ab eodem notatus. 266
Q. Cornelius. 285
Q. Hortenſij luxus & mollities. 283
Q. Sulpitij ad Alliam contra Gallos congreſſus. 221
Quintilis mẽſis, qui poſtea Iulius. 205
Quirinus cur dictus Ianus. 187
Quirianum malum. 300
Quod canis (agit) in Aegypto, prouerbium. 264


R.


RADIVS, olea. 302
Ratio. 24
Ratio, animæ puriſſima pars. 54
Ratio, mentis vis, cuius ſedes in capite. 55
Ratio quid viſui conferat. 525
Ratiocinatione amiciri animam, dum per Saturni ſphæram delabitur. 48
Reboare. 454
Regina ſacrorum. 216
Reipub. ſeruatores aut adiutores cœli præmium & beatitudinem conſecuti ſunt. 12. 35
Religiosè & religio, quid. 309
Religioſus in conuiuio de quibus interrogandus. 478
Remediorum varietas. 491
Remittere animum, eſſe quaſi amittere. 171
Repetitio pathetica. 349
Reprehenſionem ſemper ſequitur dolor. 476
Reprehendendi diſciplina. ibid.
Retrimenta. 486
Reus ſacrorum quis. 305
Ῥεύματα, morborum cauſæ. 487
Rhetorica an conuiuiis introducenda. 472
Rhodia vua. 302
Romæ nomen Latinum & dei ipſius tutelaris cur ignotum. 323
Romanorũ ſacra, diurna partim, partim nocturna. 162
Romanorũ auaritia Annibalis ſcommate notata. 263
Romulus quomodo annum ordinarit. 201







Romulus acri ingenio, ſed agreſti. 214
Romuli virtus. 152
Ros aëris & lunæ filius. 534
Roſcius hiſtrio, & Ciceronis cum eo certamen. 288
Roſcij de hiſtrioniæ & eloquentiæ collatione liber. ibid.
Rotantes ſe in orbem cur vertiginem patiantur. 503
Rubile pyrum. 301
Rubor vnde pudentibus & gaudentibus. 509
Rubrum malum. 300
Ructuum cauſa. 487. 491


S.


SABINARVM raptus. 188
Sabinarum cum Romanis prælium ad Viminalem collem. ibid.
Sacra Roman. diurna. 162
Sacra celebritas. 218
Sacrificiis cur adhibiti muſici ſoni. 102
Sacrum quid. 308
Sacrum quid, & ſacri homines diis certis. 319
Sacrorum ritus quomodo à Vergilio obſeruati. 304
Sagittarius quomodo pro Sole. 250
Salibus ineſſe pingue quiddam. 520
Salentina olea. 302
Salij cur Herculi à Vergilio attributi. 329
Salis conſperſio qua ratione carnem ad diuturnum vſum conſeruet. 511
Salis natura. ibid.
Salſamenta vendere, prouerbium. 480
Saltandi mos ante triclinia, & in eo luxus. 287
Salus quid, & eius ſimulachrum. 243
Salus, eiuſque feriæ. 218
Salluſtius alienæ luxuriæ grauiſſimus cenſor. 285
Salluſtij breuitas. 351
Samothraces dij. 312
Sanctum quid, & ſanctæ leges. 309
Sanguis quomodo in muliere imprægnata lactis naturam induat. 385
Sanguis calore priuatus in ſaniem vertitur. 510
Sapientia. 35
Sapientes qui. 35
Sathimni vnde dicti ſint qui ſatyri vocari ſolent. 186
Saturnalia dierum optimus. 261
Saturnus vnde dictus. 185
Saturnus quaſi Sathimnus. ibid.
Saturnus Cæli pudenda abſcindens. 5
Saturnus in vincula coniectus à filio. ibidem.
Saturnus temporum autor, vnde Græcis χρόνος & κρόνος. 251
Saturnus deorum princeps. 179
Saturnus Stercutus dictus. 181
Saturnus ab Iano hoſpitio exceptus. 180
Saturnus cur compedes geſtare fingatur. 184
Saturnus cur filios ſuos deuorare fingatur. 185
Saturnus cur à filio Ioue pulſus: cur vinctus. ibid.
Satyri quaſi Sathimni. ibid.
Saturnus idem qui ſol. 251
Saturnus cur Cæli patris pudenda abſcidiſſe dicatur. 184
Saturnus & eius vxor Opis frugum & fructuum repertores. 191
Saturnus cur laneos pedes habeat. 184
Saturni ſphæra pro aqua. 45. 48
Saturni ſtella quot annis zodiacum percurrit. 66
Saturni annus. 128
Saturni ſtella cur malefica. 75
Saturni feſto bellum inchoare non licitum. 220
Saturni Saturnius collis. 181
Saturni inſigne falx. 180. 185
Saturni templũ cur ærariũ Rom. 184
Saturni templum. ibid.
Saturni falx cur in Siciliam deciderit. 185
Saturno deberi plantationis diſciplinam, mellis etiam & fructuum inuentionem. 180
Saturno cur cerei oblati. 182. 200
Saturno virorum victimis ſacrificatum. 182
Saturno cur ſacrum aperto capite fiat. 190
Saturnalia ſacra. 180
Saturnalia quando primùm Romæ inſtituta. 188
Saturnalia quo die celebrari ſolita. 188. ſeptem dierum: ibid. 191. 200
Saturnaliorum initium. 165. ritus, 179. origo. ibid. vetuſtas. 183
Saturnalium & Saturnaliorum pariter dici. 165. 166. 167
Saturnalibus famulos cum dominis epulari. 183
Saturnalibus bellum ſumere nefas, aut à nocentibus pœnas exigere. 187
Saturnia dicta Italia. 179
Saturnia ſphæra. 65. 68
Scæuolæ reſponſum, quid feriis agi liceat. 219
Scantianum malum. 300
Scari in deliciis, & ab Octauio in Italicum mare primò illati. 298

Scipionis virtutes. 40
Scipionis perſonæ quomodo conueniant ſomniũ generale & publicũ. 10
Scipionis ſomnium quale, ibid. eius propoſitum. ibid.
Scipio quomodo deleta Carthagine triumpharit. 129
Scipionum nomen vnde. 176
Scomma. 479. 481
Scommata contumelioſa: atque eorum duo genera. ibid.
Scõma in eadẽ cõditione iucundũ. 482
Scommatum vſus moderatus à Lycurgo inſtitutus Lacedæmone. 483
Scommatibus in conuiuio abſtinendum. 480
Scommata minus aſpera, qualia. ibid.
Σκωπός. 11
Scorpij chelæ. Libra. 70
Scorpius Marti & Veneri dicatum ſignum. 202
Scorpius quomodo ſolem referat. 250
Scyphus. 425. 427
Scythicũ mare gelu nõ conſtringi. 515
Scythia frigidæ zonæ vicina. 119
Sebadius idem qui & Sol & Liber pater. 237
Segetia dea, eiuſque feriæ. 218
Seia dea, eiuſque feriæ. ibid.
Seleuci regis occiſi, per ſeruum vltio.
Σεληνόβλητι. 226. (196
Sella curulis à Tullo Hoſtilio inſtituta. 173
Semproniæ laſciuia. 287
Sementinum ſerum pyrum. 301
Sementinæ feriæ. 218
Semitonium. 97
Seminis definitio. 530
Seminiſne an alimenti maior natura.
Semiramis. 124. (385
Semela Fauni filia, 203. eiúſque ſacrum. 204
Semoniæ feriæ. 218
Sempronia. 285
Semurius ager. 190
Senarius numerus. 518
Senectus loquax. 478
Senectus frigida, & ſicca. 507
Senarij vis ac religio. 19
Senex de quibus interrogandus. 478
Senes etiam ſanos ebriorum malis laborare. 496
Senes cur facilè ieiunium ferant. 517
Senes cur ad fletum difficiliores. 496
Senes cur Homero πολιοκρόταφοι dicti. 506
Senes facilè inebriãtur, quia ſicci. 496
Senecta loquax & fabulis referendis amica ætas. 478
Senſus quid viſui conferat. 525
Senſus à cerebro miniſtrari. 504
Senſus quinque, 281. 505. nulli diuino corpori inſunt. ibid.
Senſui quæ membra participent, quæ non. 504
Senſuum officia ſeptem foraminibus celebrata. 31
Senſuum efficacia quomodo de ratione pendeat. 525
Senſuum rationes. 522
Sentire & creſcere animalibus cæteris cum homine commune. 55
Sentiendi vis animæ cur indita. ibid. vis vnde animæ. 48
Sentiendi natura ad nos de ſole. 76
Scrophæ cognomentum vnde. 175
Septas, qui & ſeptenarius. 24
September menſis Germanicus dictus. 206. (18
Septenarius, virgo & Pallas vocatus,
Septenarius vnde conſtet. 17
Septenarij tertia coniunctio. 20
Septenarij perfectio. 24
Septenarij decas, viuendi meta. 30
Septenarij gemina vinciendi vis. 23
Septenarij multiplicationem perfectam ætatem facere. 30
Septenario diſponi corporis mẽbra. 30
Septenario conſtare hominem. 28
Septenarium multis rationibus plenum dici. 16
Septentrio ventus rigidus. 111
Septentrionalis parallelus. 60
Septentrionem nunquam admittere ſolem. 118
Septentriones nunquam occidere. 63
Septentrionalis extremitas inhabitabilis. 111
Septentrionum compago. 69
Serapis cultus. 179
Serapis pro ſole. 245
Serapis Aegyptiis Deus maximus. ib.
Sergiana olea. 302
Sergius Orata. 289
Sermonis pro loco & tempore applicatio, philoſophiæ non minima pars. 475. (193
Serui dominis non contẽnendi & cur,
Serui philoſophi. 199
Serui familiares cur dicti. 193
Seruorum in dominos odium, & fides vnde. 192. 194. (191
Seruorũ honore delectari Saturnum.
Seruorum opera & fortitudo in bellis. 196. 197
Seruis cœnas apponi à matronis ſolitas menſe Martio. 201
Seruos non haberi hoſtes, ſed fieri. 194
Seruitus

Seruitus nulla turpior quàm voluntaria. 193
Seruos diis curæ eſſe. 193
Seruilia M. Bruti mater Ciceronis ioco notata. 263
Seruilianus à Seruilio. 176
Seruilij Geminij dictum. 264
Seruij Tullij natalis. 209
Seruij inter grãmaticos præſtãtia. 259
Serui verecundia. 508
Seruius grammaticus. 160
Seruius, doctorum maximus. 462
Seuerus Caſſius. 270
Serum pyrum. 301
Senemuris, Aegypti rex, qui & Senepos. 253
Sexagenarios de ponte deiicere, prouerbium. 170
Sextilianum pyrum. 301. (205
Sextilis menſis, qui poſtea Auguſtus.
Sex. Pacubius trib. pleb. 206
Sibylla cur cognomin. Corn. Rufus. 228
Sicani. 169
Sicula menſa. 492
Sidera ignes cœleſtes. 56
Sidus ſignum ſtellis coactum. 57
Sigillariorum celebritas. 191
Signa de aduerſis ſemper obſcura & inuoluta. 33
Signa zodiaci cur diuerſorum numinum poteſtati aſſignata. 87
Signifer qui & zodiacus. ibid.
Signinum pyrum. 301
Signorum zodiaci ordo. 69. obſeruatio quomodo ab Aegyptiis excogitata. 85
Similia ſimilibus gaudent. 498
Similia ſimilibus nutriri. 491
Simulachra rerum cur in aqua maiora veris appareant. 521
Sinapi cur appoſitum cuti lædat, deuoratum non item. 501
Siniſtræ partes cur imbecilliores. 504
Sirenes cœleſtibus orbibus inſidentes. 102
Siſyphi ſaxum. 42
Sitis cur edendo non ſubleuetur, vt bibendo fames. 512
Sitis cum domatur, maior voluptas eſt, quàm cum ſedatur fames. 513
Socratem non fuiſſe eodem tempore cum Timæo. 158
Socratis ſcomma in Critobulum. 482
Sol Deo ſiue τῷ ἀγαθῷ apud Platonem ſimilimus. 6
Sol quem ordinem habeat inter planetas. 72. (75
Sol annuo ſpatio Zodiacũ percurrit.
Sol fons cœleſtis lucis & dux, 79. princeps, reliquorum moderator, mens mundi, ibid. cor cœli, 78. temperatio mundi. ibid.
Sol, quia talis ſolus appareat. ibid.
Sol octies terra maior. 82
Sol vnde dictus. 225
Soli omnium deorum nomina quomodo conueniant. 224
Sol quando Apollo vocandus, quando verò Bacchus. 234
Sol mundi mens. 237. 241
Sol terrenæ fœcunditatis autor. 239
Sol mundi caput, rerumq́. ſator. 223
Sol naſcentis hominis dæmon. 242
Sol Iouis oculus. 248
Sol, qui & Ianus geminus. 186
Sol omnium vitæ autor. 27
Sol ſeptimo ſigno vices variat. ibid.
Sol quomodo putredinis cauſa. 532
Solis motus. 25
Solis anfractus & reditus pro anno. 32
Solis portæ. 45. 234
Solis ſphæra ignis elementum. 45
Sol mundi mens, luminum reliquorũ dux & moderator. 65. 73. 77. 225
Solis defectus. 61
Solis magnitudo. 64
Solis magnitudo ſecundum quoſdam, 79. quomodo deprehenſa. 82
Solis motus proprius ab Occaſu in Orientem. 70
Solis diuerſa cognomina. 77
Solis diametrus. 83
Solis circuli, per quem meat, ambitus. 80. 81
Solis quaſi ſatellites Mercurij & Veneris ſphæra. 106
Solis meatus quatenus ſurſum ac deorſum. 117
Solis præcipua poteſtas, anni dimenſio. 186
Solis curſus quanto tempore zodiacum abſoluat. 208. 221
Solis duo maximi effectus. 226
Solis diuerſæ virtutes diuerſis diis nomina dederunt. 224
Solis temperatus calor morborum omnium fuga. 225
Solis effigies apud Aſſyrios. 234
Solis cognomina. 230
Solis ſimulachrũ apud Aegyptios. 241
Solis imago apud Aegyptios. 245. 247
Solis natura. 249
Solis poteſtas. 255
Solis orbis matutinus cur maior ſolito appareat. 522
Solem in defectu ſuo nil pati. 60
Solem cur Cicero non abſolutè, ſed
ferè

ferè planetarum medium dicat. 75
Solem torridæ ſiue peruſtæ Zonæ fines nunquam excedere. 119
Solem tribus tantum cardinibus recipi. 118
Solē eundē eſſe cum Libero patre. 237
Sole & luna præcipuè vitam noſtram moderari. 76
Solaris annus. 127
Soliditas corporū quibus cōſtet. 14.15
Solidi corporis dimenſio triplex. 98
Solinius ager. 190
Solonis virtus. 152
Σῶμα. 44
Somnus ſub luna pernicioſus. 533
Somnus ex humore. 508
Somnum frigidis reduci. 494
Somnium. 7.8.9
Somnium, proprium, alienum, commune, publicum, generale. 9
Somnium Scipionis quale. 10
Somnij Scipionis expoſitio. 13
Somnij ſpecies quinque. 9
Somnia de ſtatu ciuitatis pro veris habenda quæ. 10
Somnia de aduerſis omnia ſemper obliqua & obſcura. 32
Somniorum portæ. 11
Sonus ex motu. 94. 201
Sonus nunquam fit, niſi aëre percuſſo. 105
Sonus ex epogdoo numero. 96
Sonorum quomodo alius acutior, alius grauior. 105. 106
Speculorum imagines vnde. 522
Sphæra aplanes. 20.40.44.58.88.106
Sphæra vltima, ἀπλανής. 20.40
Sphæra ſolida. 58
Sphæræ pro ſtellarum corporibus. ib.
Sphæræ vagæ ſeptem, 45. motus. 106
Sphæræ in vniuerſum nouem. ibid.
Sphærę vltimus locus, qui medius. ib.
Sphæra extima cur ſummus vocetur deus. 67
Sphærica forma ſola mentis capax. 55
Sphærarum cœleſtium ordo. 65. interualla. 104
Sphærarum cœleſtium concentum cur non audiamus. 107
Sphærarum inferiorum ſtellæ quomodo in zodiaci ſignis meare dicantur. 82
Sphærarum cœleſtiū melodia. & cur ſonorum alius acutior, alius grauior. 105.107
Sphærarum cœleſtium ex motu concentus. 94. 102
Sphæralis motus. 5.6.
Σπεῦδε βραδέως. 467
Speculi ignem emittentis ad lunam compar. 74
Spiramentum hominis. 503
Spiritus pro anima. 55
Spiritus fortior incipiens quam deſinens. 106
Spiritus hauſtu priuatum durare vltra horas ſeptem non poſſe. 29
Squalere. 463.487
Squalor. 46
Stare id dici, ad quod acceditur. 224
Stati dies. 219
Statiuæ feriæ. 218
Statoris Iouis ædes. 311
Stellæ quæ. 57
Stellæ errantes. 58
Stellæ, cœleſtes ignes. 57
Stellæ ſingulæ vniuerſa terra maiores. 64
Stellarum quædam cur ſemper: quædam nunquā nobis videantur. 62,63
Stellarum etiam fixarum an motus aliquis. 68
Stellarum nomina vnde. 75
Stellarum curſu res humanas diſponi, aut ſaltem ſignificari. 224
Stellas errantes contrario quàm cœlum motu verſari. 68
Stellis aues immolandas. 321
Stephanitis vua. 302
Sterculus dictus Saturn. 181
Στερεόν. 15
Stiptica vis. 533
Stomachus pater familiâs. 486
Stomachi vis & officium. 505
Stomacho laſſo cur nihil calidum adhibeatur. 494
Straton Peripateticus. 28
Strophe hymnorum. 102
Struthium malum. 300
Styli dicendi duo. 353
Suaue & dulce non idem. 499
Sublicius pons. 199
Succi qualitas in cibis. 485
Sumptuariæ leges vnde. 296
Superficie terminari omnia corpora. 14.
Superficies cum lineis, prima incorporea natura poſt corpora. 15
Superficies quid apud geometras. 98
Superficiem lineis terminari. 14
Superi nobis dij, nos inferis. 8
Sus prægnans Terræ hoſtia. 203
Syene ciuitas, 112. ſub æſtiuo tropico. (120
Syllana lex. 295.
Syllæ nomen corruptum ex Sibyllæ nomine. 228
Symetus fluuius. 419
Sylueſtre malum. 300
Syl-



Syluicolæ. 457
Symphoniæ muſicæ, & ex iis conſtituta anima. 24
Symphoniæ quinque. 97

T.

TABVLARVM XII. renouatio. 167. 295
Tactus vis totius corporis. 505
Tanais. 119
Tantali pœna. 42
Tarentina nux. 299
Tarentinæ oues, quaſi terentinæ. ibid.
Tarentum cur molle dictum Horatio. ibidem.
Tarentinum pyrum. 301
Tarquinius Demarati Corinthij filius. 173. 312
Taurus cur Veneri aſſignetur. 203
Taurus ſignum Veneri dicatum. 88
Taurus pro ſole vbi colatur. 249
Taurus quibus Diis immoletur. 326
Tauri ſignum, 70.71. quomodo ad ſolem referatur. 249
Taxare. 463
Tellana ficus. 301
Temperantia politica. 36. animi iam purgati. 49. exemplaris. ibid.
Temperantia Scipionis. 41
Temperantiæ officium. 35
Tempeſtas ſuprema. 164
Tempeſtiua pinus. 454
Templum dei mundus. 53
Tempus quid. & tempora non fuiſſe, cum fuit chaos. 184. 185
Tempus omnia metere. ibid.
Tempus præſens leonis capite ſignificari, præteritum lupi, futurum canis effigie. 245
Tempore abſumi omnia ac reſtitui. 185
Tempora non aliunde quàm ex curſu ſolis. 125
Ter terna ter, ſolidum corpus. 99
Terentij vnde dicti. 299
Terenum idem quod molle, Sabinorum lingua. 299
Teres forma ſola diuina. 47
Terminalia. 209
Termutia olea. 302
Ternarius omnium numerorum primus impar. 16
Ternarij laus. 20. 24
Terra ſicca & frigida. 21. 491
Terra puncti loco ad cœli vaſtitatē. 63
Terra globoſa. 61. 63
Terra immota, & mundi imum. 65
Terra mundanæ ſphæræ centrum & immobilis. 73. (89
Terra ſphærarū nona & mūdi vltima.
Terra elementaris quæ. 90
Terra cur immobilis, cur in eam nutu ſuo omnia pondera ferantur. ibid.
Terra ſphærarum vltima, & immobilis. 106
Terra omnis, parua quædā inſula. 122
Terra omnis ad cœleſtem circulum puncti loco. 123
Terra mater, quæ Ops dea. 191
Terræ & aquæ per frigidum coniunctio. 21
Terræ globus in templo dei medius. 50.54.
Terræ vmbra. 80
Terræ diametros. ibid.
Terra cœleſtis circuli medium ac centrum. 81
Terræ ambitus quot ſtadiorum. 81
Terræ cinguli ſiue zonæ. 108
Terræ globoſitas. 109
Terræ quāta ſpatia habitabilia, quanta inculta. 113
Terræ ambitus quantus. ibid.
Terræ nobis inhabitatæ latitudo. 122
Terræ imago Aegyptiis bos. 241
Terræ ſuperius hemiſphærium Venus, inferius autem Proſerpina dictum. 246
Terram Oceano cingi, veluti paruam inſulam. 109
Terram excipere omnia nutu ſuo pondera. 112
Terrā quomodo Oceanus ambiat. 121
Terram vocari in ſacris Magnam matrem: eius hoſtia ſus prægnans. 319
Terrenas zonas cœleſtibus inſici. 117
Tertia Iunia, ſiue Iunia Tertia, filia Seruiliæ, & C. Caſſij vxor. 263
Termutia olea. 302
Teſſera. 15. 98
Tetrachordum cur Mercurio attributum. 242
Τετρακτὺν Pythagorei venerantur: id eſt, quaternarium numerum. 24
Thalia nympha, deque ea fabula. 419
Tharſius Amphias. 482
Thaſia nux. 299
Thebe vrbs ab Achille euerſa. 400
Θέειν. 252
Theocritus Chius ob ſcomma in Antigonum occiſus. 282
Θεὸς γυναικεία. 204
Θεοὶ pro ſideribus & ſtellis. 252
Θεωρητικὸν animæ vnde. 48
Theron rex, eiuſque contra Herculem expeditio. 245
Thuricremæ aræ apud Vergilium, ex Lucretij imitatione. 456
Θυμβραῖος Apollo. 232
Θε-

Θυμικὸν. 24
Θυμικὸν animæ vnde. 48
Θύον apud Homerum pro citreo malo.
Θυραῖος Apollo. 186. (301
Thyrſus Bacchi. 240
Timæus. 7
Timæum & Socratem nõ eodem tempore fuiſſe. 158
Timentes cur palleſcant, curque tremant. 509
Timorem cum amore miſceri non poſſe. 194
Timore laborantem felicem eſſe non poſſe. 42
Timoſum pyrum. 301
Tineas necare citreum malum veſtibus interiectum. 301
Titianum pyrum. ibid.
Titii iecur depaſcens vultur, quid. 42
T. Largius dictator. 184
Toga picta à Tullo Hoſtilio inſtituta. 173.
Togata gens pro Romanis. 458
Tonos ſiue Tonus, muſicis numerus, quem epogdous parit. 96
Toronius Flaccus. 273
Tot nobis hoſtes, quot ſerui, prouerbium. 194
Toto cœlo errare, prouerbium. 330
Τεχνήματα. 280
Traianus quomodo Heliopolitani Iouis oraculum expertus. 254
Traiani obitus. 255
Τράχηλος. 426
Tranſmittere. 453
Tremellius, Scropha dictus. 176
Tremor vnde metuentibus. 509
Tremulum lumen. 452
Tribunum plebis nullum abeſſe Roma integrum diem licere. 162
Trigonum corpus. 14
Trigonalis forma. 20
Trinundinus dies. 223
Triplaris numerus. 96
Triſtis pro amaro. 456
Tritones cur Saturni templi faſtigiis impoſiti. 184
Triuia cur dicta Diana. 186
Triumphi autor primus Liber pater. 240
Troianus porcus, Troianus equus. 285
Tropici duo. 60. 117
Tuba. 466
Tullianum pyrum. 301
Tullus Hoſt. Saturno templum conſecrauit. 183. magiſtratuum inſignia primus inſtituit. 173
Turacis ager. 390
Turicremus. 456
Turrinianum pyrum. 301
Tutela quando pueri & puellæ liberentur. 30
Tutelæ ancillæ cum aliis inſigne facinus. 198
Tutilinianæ feriæ. 218
Tyberini piſces omnes in deliciis habiti. 292
Tybur malum. 300
Τύχης nulla apud Homerũ mentio. 407
Tyranni vita an beata. 42
Tyrannus nunquã timoris expers. ib.

V.

V AE particula quid ſignificet. 468
Vagarum ſphærarum motus. 105
Valeſij pro Valeriis. 306
Valer. Maximus. 176
Valerianum pirum. 301
Variola vua. 302
Vatinius à populo lapidatus. 276
Vatinius Auguſti cauillo notatus. 271
Vatinij conſulatus Cicer. ſcommate notatus. 266
Vatinij cauillum in Ciceronem. ibid.
Vecors. 468. (201
Vectigalia locari menſe Martio ſolita.
Vectigaliorum. 166
Vectius Prætextatus. 157
Vehemens. 468
Veij oppidum deuotum. 325
Velabrum vrbis locus. 190
Veliuolum. 457
Venæ receptacula ſanguinis. 486
Vennucula vua. 302
Ventris duo orificia. 485
Ventris laxamentum ſequi timorem, & cur. 509
Venus & Mercurius Solis quaſi ſatellites. 106
Venus, cur ἀφροδίτη. 185
Venus è ſpuma orta, vnde Aphrodite. 201
Venus Architis apud Aſſyrios. 246
Venus pro ſuperiore terræ hemiſphærio. ibid.
Venus eadem cum luna. 320
Veneris ſphæra pro aëre. 45
Veneris ſphæra. 48. 72
Veneris ſtella cur benigna. 75. 76
Veneris curſus. 128
Veneris nullum nomen aut feſtum ſub regibus Romanis. 202
Veneris ſimulachrum, 250. Cypri barbatum, 320. quia eadem mas & fœmina. ibid.
Veneri cur ſecundus menſis ſacer. 201
Veneri tauri ſignum in zodiaco dicatum. 202

Venerem



Venerem in ſacris genitricem vocari. 201 (494
Venerem calidis omnibus prouocari.
Ver calidum ſimul & humidum. 491
Vera per figmentum referendi modi. 6
Verbum inſolens tanquam ſcopulum eſſe fugiendum. 169
Verbis præſentibus vtendum. ibid.
Verbis obſoletis non vtendum. ibid.
Vergilius Homericæ perfectionis per omnia imitator. 33
Vergilius moriens poëmata ſua igni legauit. 269
Vergilius non minus orator quàm poëta. 350
Vergilius qualis Homeri imitator. 398. 399
Vergilius quàm fuerit Græcæ linguæ addictus. 411
Vergilius quæ ex Latinis tranſtulerit. 433
Vergilius antiquitatis ſtudioſus. 471
Vergilij ad Auguſtum epiſtola. 257
Vergilij gloria quæ, ibid. & laus. 259
Vergilij breuitas, 351. copia, 352. ſiccitas, floridum dicendi genus, omnia ſimul iuncta: maturitas, & grauitas. 353
Vergilij vitia, ab Homero mutuata. 399
Vergilij in grammaticis Græcis præceptor Parthenius. 432
Vergilium nullius vnquam diſciplinæ errore inuolutum. 120
Vergilium non aptè feciſſe initium belli inter Troianos & Latinõ. 409
Vergiliani poëmatis diſpoſitio. 402
Vergiliana apophtheg. 406
Vergiliana epitheta. 451
Vergiliæ fixæ. 69
Vergiliæ in Tauro. 71
Verianum malum. 300
Verno luto, hyberno puluere grandia farra. 424
Vertigo cur ex crebra corporis in orbem rotatione. 503
Veſicæ officium. 528
Veſpera. 164
Veſpertilio an inter aues numerandus. 530
Veſanus. 468
Veſta potens dicta cur. 313
Veſtæ ignem renouari Calend. Martiis. 201
Veſtibulum. 468
Vetus. ibid.
Vetuſtas adoranda. 286
Verum latens quomodo anima proſpiciat. 11
Verum cum non omnibus liqueat, omnes tamen opinari. 47
Vexare. 463
Videndi ratio. 522
Vidua, quaſi valde idua, id eſt, valde diuiſa: aut vidua, id eſt, à viro diuiſa. 216
Viduis ad nubendum feriæ magis quàm virginibus aptæ. 217
Vim cuiquam facere feriis, piaculare. ibidem
Viminalis collis. 188
Vinalia. 166
Vinaliorum dies Ioui ſacer. 165
Vinum ingenij virtutiſque fomes. [illegible]
Vinum non libari Cereri. 327
Vinum natura frigidum. 493
Vinum cur ſudore nimio aut laxato ventre defeſſis ingeratur. ibid.
Vinum defæcatum cur magis penetret, & cur facilè mutetur. 511
Vinum idem ieiuno quam ei qui cibum ſumpſerit meracius. 513
Vinum cur quod vetuſtiſſimum, optimum. 511
Vinum cur, ſi vas diutulè ſemiplenum cuſtodiatur, acorem incurrat. ibid.
Vinũ in dolij medietate optimum. 512
Vinum cur αἴθοπα οἶνον Homerus appellarit. 515
Vini autor Liber pater. 240
Vini moderatus vſus. 281
Vini nimietas nec ad Venerem, nec ad conceptionem conducit. 494
Vini natura humida. 511
Vina cur in Aegypto frigida. 502
Vina cur nunquam aut rarò congelaſcant. 514
Vina varia vitanda. 485. 490
Vires quando decreſcere incipiant. 30
Virgilius Mallius. 220
Virgo numerus ſeptenarius. 19
Virgo quomodo pro ſole. 250
Virginis ſignum, iuſtitia. ibid.
Virium augmentum quinta annorum hebdomade compleri. 30
Viros vocare feriis illicitum. 220
Virtutis præmium ampliſſimum conſcientia. 12
Virtutis fructus in conſcientia ſapienti, minus autem perfecto in gloria. 130
Virtute ſola beatos fieri. 35
Virtute & voluptate nihil ſibi contrarium magis. 488
Virtutũ officia ſecundum Stoicos. 35
Virtutum genera quatuor, ſecundum Platonem. 36
Virtutum ideæ in mente. 37

Virtutum

Virtutum effectus, beare. idid.
Virtutum duplex genus. 152
Viſio. 8.9
Viſus hominis non vltra centum & octoginta ſtadia. 62
Viſus complendi ad dignoſcendam figuram triplex ratio. 524
Viſus vnde in oculis. 509
Viſui tria neceſſaria. 522
Viſum. 8.9
Vita vulgo, animæ mors. 44
Vitæ finem eſſe expectandū, non præcipitandum. 52
Vitam noſtram præcipuè Sole & Luna moderari. 76
Vitro ſoluendo firmandoque ignis ex myrica optimus. 533
Vitiſator. 455
Vitula dea, pro Victoria. 307
Vitulari. ibid.
Viuendi meta ſeptenarij decas. 31
Vlyſſis error quatenus ab Vergilio in Aenea expreſſus. 355. (29
Vmbilici reliquias quādo iactet puer.
Vmbra terræ. 80
Vmbracula. 452
Vngues ſine ſenſu. 505
Vnionum in aceto diſſolutio. 297
Vnitas, & mas & fœmina. 19
Vocabulorum autor antiquitas. 61
Vocales ſeptem à natura repertæ, & cur Latinis quinque tantùm. 29
Vocis cōcordiam ponderum lege prouenire. 95
Vola. 31
Volatile ferrum. 458
Volemium pyrum. 301
Volones qui dicti. 197
Voluptas Stoicis hoſtis, Epicureis ſummum bonum. 261
Voluptates à quibus cauendum. 282
Voluptas, guſtus & tactus beluina, id eſt, coëundi & comedendi. ibid. (488
Voluptas ſeriis & ſtudioſis cauenda.
Voluptas vtendi modo vel honeſta vel inhoneſta. 492
Voluptas an ſemper virtuti inimica. ibidem
Voluntariæ cohortes. 197
Volupiæ ſacrum. 189
Vomit vndam, antiquè dictum. 451
Vomitoria in ſpectaculis quæ. ibid.
Vox in fœminis & eunuchis quare exilior. 508
Vrania muſa. 102
Vrbes omnes in alicuius dei tutela. 323
Vrbes exercituſve deuouendi verba. 324
Vrbinus ſerui virtute periculo mortis ereptus. 194
Vri. 455
Vrina retrimentum potus. 528
Vnum apud geometras puncti locum obtinet. 15
Vuarum genera. 302. (42
Vultur iecur Ixionis depaſcens, quid.
Vulnera ex æreo mucrone, minus noxia. 534
Vſurpatum ire mulierem. 163
Vxore præſente quibus ſcommatibus locus. 482

X.

Xeniades Corinthius. 199
Xanthippus. 158

Y.

Ὑπερκαταληκτικοὶ verſus ſyllaba longiores. 399
Ὑπερκαταληκτικοὶ verſus ſicut & ἀκέφαλοι, ac λαγαροὶ, apud Vergilium imitatione Homeri. ibid.
Ὑπερβαίνοντες dies qui. 208

Z.

Zilmissus collis. 237
Zodiacus. 61
Zodiacus quomodo in duodecim partes diuiſus. 85
Zodiacus de tropico in tropicum obliquatus. 119
Zodiacus ſolis via. 128
Zodiaci ſigna cur aliis ſtellis breuiori, aliis longiori tempore percurrantur. 85
Zodiaci latitudo. 60
Zodiaci ſignorum ordo. 69
Zodiaci ſigna quomodo ſphærarū inferiorum ſtellæ occupent. 84
Zodiaci appellatio. 87
Zodiaci ſigna quæ quibus numinibus dicentur. 202
Zodiaci ſigna omnia ad ſolis naturam referri. 248
Zodiacum lacteo circulo obliquè interſecari. 46
Zona vſta ſiue torrida. 61
Zona torrida cur ſemper flammis obnoxia. 119
Zona torrida, ſiue peruſta quæ. ibid.
Zonæ terræ quot & quæ habitabiles. 108. 109. 111
Zonas eaſdem ineſſe cœlo quæ inſunt terræ. 116. 117
Zopyrion. 197
Ζυγὸς Scorpij prior pars. 202
Ζωάνες. 320
Ζώδια. 87

FINIS.

# IOH. MEVRSI AD MACROBI SATVRNALIORVM LIBROS

## Breuiores Notæ.

Viro Clariſſimo

BONAVENTVRÆ VVLCANIO,

*Græcarum literarum Profeſſori eximio, Præceptori meo,*

IOHANNES MEVRSIVS S. D.

AVRELIVM Macrobium, vir Clariſſime, ope codicis M S. emendatum, cum ſe Typographo tradidiſſe narraret amicus meus Ioannes Iſacius Pontanus, iuuenis literatus, eſſentque olim quædam in illo à me reſtituta, petiit vt publico donarem. Parui libens amiciſſimi hominis rogatu. Hoc autem opellæ quicquid eſt, quod perexiguum eſſe ingenuè fateor, inſcribere nomini tuo & volui, & debui: hoc ſuadebat animus, illud exigebant merita tua, quæ in me exſtant ita multa, vt vlterius vel aliquam ſaltem gratitudinis ſignificationem differre pudor meus vetaret, maximè cum jam occaſio oblata. Quantum enim debere me cenſeam præceptori de ſtudiis meis tam benè merito, & merenti etiamnum quà publicè, quà priuatim? Publicè, olim prælectionibus: Priuatim, Bibliotheca inſtructiſſimâ, ad quam mihi non ſecus atque ad meam acceſſum patere liberum voluiſti. Quod benè merendi ſtudium ſanè magnum vnde proficiſci, niſi ab animo beniuolentiſſimo, credam? quem eò maioris facio, & faciam ætatem, quod nullo meo merito vnquam prouocatus tam prolixè exerat ſe. Cognoſco, & non inuitus, ſoluendo minimè eſſe fateor: quod quamuis ita ſe habeat, committendum tamen non duxi vt ingratus erga tam benignum creditorem viderer, potiſſimùm vetus illud dictum memoriâ tenens; *Ingrato homine terra nil peius creat.* Itaque cum quod debeam minimè poſſim, illud ipſum quod poſſum, qualecunque tandem exiſtat, ſi voluero, egregiè officio hoc temporis functum me exiſtimabo, velim tu mecum: ſiquidem

*— in magnis & voluiſſe ſat eſt.*

Habe itaque Macrobium hunc, quà meâ operâ meliorem, animi grati certiſſimum pignus, placeatque vel debitoris tui cauſsâ, quem amas, qui te obſeruat: quod ſi conſequutum me intellexero, tum profectò

— ἐς ἔργον ὕμμιν ἀλεῦμαι.

Vale vir Clariſſime, & me, quod facis, amare perge. Ex muſeo noſtro. Anno Domini cIↄ. Iↄ. IIIC. VI. Kal. Septemb.

AD

IOHANNEM MEVRSIVM

Epigramma.

*QVAE tua non præſtat Solertia gnaruris? auſa eſt*
*Muſica Chalcidicum did re in ora Senem:*
*Auſa etiam Siculo faculam adlucere Poëtæ,*
*Et noua poſt magnos promere ſcita viros:*
*Auſa eſt affanias Momi, & Lucumonis acumen*
*Spernere, ſat Genÿ flamine fulta ſui.*
*Nec temerè auſa. ſibi magnos confécit honoreis,*
*Et bijugos cœpit ſcandere, Fama, tuos.*
*Nec ſatis hoc. capitur magis & magis ignea nôſſe*
*Romule quidquid habes, quidquid & Hellas habes.*
MACROBIUM ISAACI *inſiſtens veſtigia noſtri,*
*Nunc ſubciſiuis it decorare Notis.*
*O benè!* MACROBIUS *jam* LONGUM *denique* VIVET;
*Et tu macrobio nomine notus eris:*
*Hincque magis; doceas quòd paucis multa papyris;*
*Conſultò nulli vis dare verba, ſapis.*
Αὔτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἢ κολοιῶν
Κρωγμὸς, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.

PETRUS SCRIVERIUS.

# Ioh. Mevrsi
## ad
# Macrobi
## Satvrnal. Libros
### Breuiores Notæ.

#### Lib. I. ad Praefat.

Confvsvra *videlicet omnium ſuccos*) Lego ex vet. cod. *confuſuri.*

Cap. i. *Sed eludendi magiſque decertandi modo*) Melius v.c. *magis quam decertandi.*

Cap. ii. *Domi conuenire geſtientibus*) Vet. cod. auctior voce, *conuenire ſe g.*

Cap. iii. *Ad mediam proximam noctem his horis 24. nati ſunt*) Apud Agell. lib. 3. cap. 2. verba hæc Varronis monoſyllabo auctiora: *in his horis* 24. &c. Emendabis obiter Cenſorinum cap. 23. vbi malè hodie *in his oris quatuor & viginti.* Scribo, *horis q. e. v.* Leuiculum eſt.

*Qui poſt Kalendas erit ante horam eiuſdem diei ſextam*) Agellius aliter citat hæc Varronis: *Et qui eſt poſt Kalendas dies ante horam e. d. ſ.*

*Sacra ſunt enim Romana partim diurna, alia nocturna*) Lego ex v.c. & Agellio *partim nocturna.*

*Ab initio diei ad medium noctis protenduntur*) Hæc verba abſunt à v.c.

*Ita obſeruantiſſimus ciuilium definitionum*) Vet. c. auctior: *Sed ita.* Lego, *Et ita.*

Cap. iiii. *In quorum tertio clarius idem dixit*) V.c. *clarius quidem idem dixit.*

*Quæ Meuia inſcribitur*) Scribe *Mauia*, & apud Agellium lib. 10. cap. 24. *inſcribitur.* Hodiè ibi, *ſcribitur.*

*Suppetit Cælianum illud ex libro Hiſtoriarum ſecundo*) In Codice vetere eſt, *Cæcilianum.* Sed benè ex Agellio repoſuerunt viri docti, *Cælianum.* Fuit Cælius Antipater hiſtoricus non ignobilis. Laudat eum Cic. lib. 1. de Oratore, & Val. Maximus lib. 1. cap. 7. his verbis: *Cælius etiam certus Romanæ hiſtoriæ*



*ſtoriæ auctor ſermonem de eâ re ad ſuas aures illo adhuc viuo perueniſſe ſcribit.* Scripſit Annales, & Hiſtorias. Illos citat Nonius non ſemel. Has Feſtus in *Topper.* Agellius lib. 10. cap. 24. Macrobius hoc loco. De ætate eius, Gracchorum fratrum coætaneum fuiſſe colligo ex Valerij verbis citatis.

*Æſtimo nonnihil ad demonſtrandam conſuetudinem*) Occaſione horum verborũ, emendabo Agellium loco citato. Hodiè malè: *Is autem erit perpetua veterum conſuetudinis gratiâ verba ſolennia prætoris ponere*, &c. Lego, *Ius autem erit* &c.

Cap. v. *Varro quoque eiuſdem ſeculi homo in ſeptimodecimo Humanarum*) Ita etiam vetus meus codex. Agellij tamen codices conſtanter xviii. Lapſus procliuis, vbi tamen ſit, iudicare minimè procliue.

*Interprete vſi ſunt Cælio ſenatore*) Agellius lib. 7. cap. 14. *Cæcilio.* Omninò ſcribendum, *C. Aquilio.*

Cap. vii. *Nonnihil tamen conſultatione tam proteruâ motus*) Lego *inſultatione t. p.*

*Manantes ex meri veri fonte rationes*) Deleuerim τὸ *meri*, vt natum ex voce ſequenti.

*Terram hanc ita participatâ potentiâ poſſidebant*) Melius v.c. *poſſidebat.*

*Σικελῶν Σατυρνίαν αἶαν*) In v.c. *Σατύρνιον.*

*Αἷς ἀναμιχθέντες*) Melius in v.c. *οἷς.* Nam Aborigines intelligit.

*Publicius tribunus plebi tulit, non niſi ditioribus*) Lego ex coniecturâ, & v.c. *tribunus plebei tulit, vt non n. d.* Genitiuus antiquus *plebei.*

*Factumq; eſt vt effigies Maniæ ſuſpenſæ*) Fuit cùm de mendo hunc locum ſuſpectum habui, nunc tamen mens mihi longè alia. De effigiebus Maniæ in compitis ſuſpendi ſolitis quod ait, ſciendum ex lanâ eas fuiſſe, & duplices quidem, has viriles, illas muliebres, quæ pro liberorum capitibus ponebantur, nam pro ſeruorum pilæ. Precantes Maniam & Lares vt ſimulacris his & pilis contenti viuis parcerent.

*Eumq; diem celebrant*) Lego. *Emq; d. c.* Nam *em* pro *eum* veteres dicebant, ſicut *emdem* pro *eundem.* Malè apud Feſtum, *Emem, eundem.* Emenda, *emdem, e.* Ad Macrobiũ quod attinet, ingenuè fateor, magis placere lectionem v.c. *Cumq; diem c.*

Cap. viii. *Nec me fugit Gellium ſcribere*) Ne quid erres lector, non eſt hic Aulus Gellius Noct. Attic. ſcriptor, cuius

ſimia Macrobius: ſed C. Gellius, & Annalium, cuius meminit infra cap. 16. & lib. 3. cap. 17. Reſtituendum hoc nomen Atticarum Noctium ſcriptori lib. 18. c. 12. vbi malè, *Cn. Vellius in Annalibus* &c. Lego, *Cn. Gellius*. Vide eundem A. Gellium lib. 8. cap. 13. lib. 13. cap. 21. & Cenſorinum cap. 17.

*Saturnum vocitârunt, παρὰ τὴν σάθην, qua membrum virile declarat, veluti Sathimnum*) V. c. *veluti Saturnum*. Facilè veram lectionem reſtituo, *v. Sathurnum*.

*Vnde etiam Satyros veluti Sathunnos*) Vet. cod. *Sathumos*. Emendo, *Sathyros*.

Cap. IX. *Gauius Baſſus in eo libro quem de diis compoſuit*) V. c. *Caius Baſſus*. Lego, *Gabius B.* vt & lib. 3. cap. 6. ex Agellio, vbi ſemper *Gabius* eſt, niſi lib. 11. cap. 17. vbi malè *Gauij*, vt hîc. Apud Lactantium quoque lib. 1. cap. 22. eſt: *C. Baſſus*. Scribo, *G. Baſſus*.

Cap. X. *Mummius quoque qui poſt Nouium*) Lego, *Memmius*. Eius meminerunt Agellius li. 19. c. 9. & Nonius, *Cluus*.

*Nec commodũ prima occaſionis*) Melius v. c. *ne commodũ p. o.*

Cap. XI. *Anno enim poſt Romam conditam* CCCCXLIV.) Alij CCCCLXXIV. Meliores, CCLXIV.

*Sed fortaſſe libero animo ſeruus eſt*) Interpungo, & emendo, *ſ. f. liber animo. ſeruus eſt, hoc i. n.* &c.

*Primus tibi Vrbinus occurrat*) Lego *Vrbinius* ex Valerio Maximo lib. 6. cap. 8.

*Sed & Philoſtrati Peripatetici ſeruus Pompolus.*) Emendo, *Theophraſti P. ſ. Pompylus*. Vide Gellium lib. 2. c. 18. & Diogenem Laërtium lib. 5. in vitâ Theophraſti.

*Tunc Xeniades reſponſum eius demiratus emiſit manu*) Quomodo manu miſit quem nondum emerat? Emendo, *emit, & miſit manu*.

*Ponte qui nunc Sublicius dicitur*) Emendo Lactantium l. 1. cap. 21. vbi malè, *Vti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur*. Scribo, *de ponte Sublicio m.*

*Vas in quo vinum inditum eſt mellarium nominetur*) Vir Clariſſimus Theod. Canterus retulit mihi malle ſe *miliarium*, quod & Pontano meo viſum, qui id ipſum tanquam oraculum aliquod mordicus retinet. Certè nolim; Sed expendamus. Miliarium in balneo locum habebat forinſecus inter ſoliorum ſpatia. Palladius lib. 1. cap. 40. *Miliarium verò plumbeum, cui ærea patina ſubeſt, inter ſoliorum ſpatia forinſecus ſtatuamus fornace ſubiectâ, ad quod miliarium fiſtula frigidaria dirigatur, & ab hoc ad ſolium ſimilis magnitudinis fiſtula procedat, quæ tantum* &c. Lib. 4. vero, cap. 8. *Vas æneum miliario ſimile, id eſt, altum & anguſtum, veſpere inter aluearia collocemus, & in fundo eius ponamus lumen accenſum.* Legendum, *vas æneum mellario ſimile.* Erant autem *Mellaria* eadem quæ Aluearia. Varro de Re Ruſt. lib. 3. cap. 16. *Μελιττῶνας ita facere oportet, quos alij μελιτοτροφεῖα appellant, eadem quidam mellaria.* Appellabatur verò vas illud vinarium Bonæ deæ ſacris inferri ſolitum *Mellarium*, quâ ratione ſacerdotes eius μέλισσαι. Porphyrius lib. de Nymph. antro. Τὰς δήμητρος (hæc eadem cum Bonâ deâ) ἱερείας, ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μύστιδας, μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν. Euripidis Scholiaſtes ad Hippolytum: Τὰς ἱερείας (δήμητρος) μελίσσας ἐκάλουν οἱ ποιηταί. Callimachus Hymno 2.

Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι.

Ita autem dictæ à Meliſſa filiâ Meliſſei Cretenſium regis, vt ex Didymi libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς memorat Lactantius lib. 1. 22. his verbis: *Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς ait Meliſſea Cretenſium regem primum diis ſacrificaſſe, ac ritus nouos ſacrorumq́; pompas introduxiſſe. Huius duas fuiſſe filias, Amaltheam & Meliſſam, quæ Iouem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. vnde poëtica illa fabula originem ſumpſit, aduolaſſe apes, atque os pueri melle compleſſe. Meliſſam verò à patre primam ſacerdotem Matri magnæ conſtitutam. vnde adhuc eiuſdem Matris antiſtites Meliſſæ nuncupantur.* Hæc ad defenſionem loci huius Macrobiani, quam ſpero cordatum lectorem non reiecturum. Quæ verò iniuria eſt, è balneis miliarium inferre ſacris, quod neque balneatores amittere, neque admittere ſacerdotes velint? Iudicate.

Cap. XIII. *Quantum ſub cælo rudi, & ſæculo adhuc impolito ſolo ingenio magiſtro comprahendere potuit*) Lego, *quantum ſæculo rudi & a i.*

*Ita vt octauo quoque anno*) Solinus cap. 3. nonum refert. Sed exſcriptorum impoſtura eſt. Scribe: *Eoſq́; octies multiplicatos in annum octauum reſeruabant.*

*Menſes verò ἰμβολίσμους appellitabant*) Lego, ἐμβολίμους. Simile mendum in Solino cap. 3. & Iſidoro Orig. lib. 6. cap. 16. quos ambos vnâ operâ reſtitue.

Cap. XIV. *Adnitente ſibi M. Flauio ſcribâ*) Mendum eſt; nam M. Flauius tribunus plebis fuit anno ab vrbe CDXXX. Lego, *Cn. Flauio ſcribâ*. Hic eſt ille, qui libertino patre genitus, &

tus, & ſcriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, ius ciuile per multa ſecula inter ſacra cæremoniaſque deorum immortalium abditum, ſoliſque pontificibus notum, vulgauit, ac faſtos pænè toto foro expoſuit, anno ab vrbe CDXLIX. Vide hunc ipſum Macrobium capite ſequenti, Agellium lib.6. cap.9. Valerium Maximum lib.2. cap.5. Liuium lib.9.

*Vltimus in quadringentos quadraginta tres dies tenderetur)* Conſentit Cenſorinus cap.20. niſi quod dies XLV. dicat. Solinus verò loco citato indubie mendoſus. *Ille ergo annus ſolus* CCCXLIII. *dies habet.* Scribo, CCCCXLIII. *dies h.* Suetonius in Iulio Cæſare cap.40. cùm dicit annum eum habuiſſe XV. menſes, eodem recidit.

*Cato in Originibus An terminum)* In vetere codice, *Cato in Originibus oratorum.* Emendo & interpungo. *Cato in Originibus: Oratores am terminum.* Et fors fuat vt hinc emendem & ſuppleam Feſtum in *Oratores.* vbi, ni fallor, habes Catonis locum à Macrobio deſignatum, his verbis: *Propter id bellum capit Cælius* PR. *Albanus, oratores miſit Romam, eum* . . . . Lego, *oratores miſit Romam am terminum.*

*Idq; biſſextum cenſuit nominandum)* Lego, *biſextum c. n.* Cenſorinus cap.20. *Inſtituit vt peracto quadriennij circuitu dies vnus, vbi menſis quondam ſolebat, poſt Terminalia interkalaretur, quod nunc biſextum vocatur.* Iſidorus Orig.li.6. cap.16. *Biſextus eſt poſt annos quatuor vnus dies adiectus.* Celſus: *Quinatus eſt biſexto Kalendas* (Martias) *nihil refert vtrum priore* &c.

CAP.XV. *Scripturoſq; quid eſſet eo menſe faciundum)* Placet magis veteris codicis lectio, *ſcituroſq; quid e.* &c. Simile mendum apud Catonem de Re Ruſt. cap.5. *Si fecerit, ſcribit in mente familia quid ſiet.* Vetus codex meus excuſus anno CIↃ.IↃ.XXI. habet. *ſcibit quid i. m f. ſ.* Optimè.

CAP.XVI. *Per præconem denuntiabatur ne quid tale ageretur)* Lego, *per præciam d.* Nam quibus id muneris dabatur *Præciæ* dicebantur. Feſtus: *Præcias dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, vt denuntiarent opificibus, manus abſtinerent ab opere, ne ſi vidiſſet ſacerdos facientem opus, ſacra polluerentur.* Scioli iſti librarij non intelligentes in *præconem* mutarunt, bellâ & felici, vt videbatur, emendatione.

*Quibus exercitui imperato vexillum)* Lego, *exercitu imperato.*

*Geminus*



*Geminus ait diem nundinarum exactis iam regibus cæpiſſe celebrari)* V.c. *Geminius.* Sed *Geminus* rectum eſt. Meminerunt eius Cicero, Plutarchus, Suetonius, alij. De prænomine eius incertum: alij *Tanuſium,* alij *Tamiſium,* alij *Ganuſium,* alij *Canutium.*

*Tanquam inominalem diem plerique vitant)* Lego, *innominalem.* Innominalis eſt nefaſtus.

*Vos quoque labentem* &c.) Augeo ex v.c.

— *Vos ô clariſſima mundi*
*Lumina, inquit, labentem* &c.

CAP.XVII. *Nam* ὡς ἀπελαύνοντα τὰς νόσους Ἀπόλλωνα, *tamquam* Ἀπέλλωνα *cognominatum putant)* Lego ex v.c. *nam tam* ὡ.ἀ.τ.ν.Α. *quàm* ἀπλοῦντα *c.p.*

*Hanc vocem, id eſt,* ἰὲ παιὰν) Quatuor has poſtremas voces vt gloſſema ſubolentes inducere mauelim.

*Apollodorus in libro* 14. περὶ θεῶν) Obſerua, Lector, librum 14. Apollodori citari, cùm hodiè tres duntaxat circumferantur. Stephanus quoque in ἀρχὰς 16. laudat. Harpocration in ἀποπομπὰς 6.

*Meandrius ſcribit Mileſios* Ἀπόλλωνι οὐλίῳ *pro ſalute ſuâ immolare)* Emendo: *Leandrius ſ.* Meminerunt eius multi. Arnobius lib.6. *In Didymæo Mileſio Cleochum dicit habuiſſe ſuprema Leandrius.* Clemens Protrept. Λεάνδριος δὲ Κλέαρχον ἐν Μιλήτῳ τεθάφθαι ἐν τῷ Διδυμαίῳ φησίν. Diogenes Laertius lib. 1. Θάλητι· ταῦτα δὴ ὁ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἰάμβοις ἄλλως ἱστορεῖ, παρὰ Λεανδρίου λαβὼν τοῦ Μιλησίου. Reſtitues etiam huius nomen Etymologicographo in ἦλις, & Theodoreto θεραπευτ. lib.8.

*Apollini cenſeo vouendos ludos qui quotannis comiter fiant)* V.c. *Communiter.* Nec malè.

*Camerienſes, qui ſacram ſoli incolunt inſulam)* Lego, *Camirenſes;* vt paulò pòſt Camirus vna de tribus vrbibus Rhodi, quæ ſoli ſacra inſula. Apud Theocritum quoque in epigrammatis vbi eſt:

Πείσανδρος ξυνέγραψεν ὡ 'κ Καμερίου.

Emendant viri magni Καμείρου· ego Καμίρου. Neque in eo ſolùm, ſed & in Strabone. Κάμιρος enim vrbis nomen, Κάμειρος autem conditoris. Pindarus Olympion. Od.7.

— ὧν εἷς μὲν Κάμειρον
πρεσβύτατόν τ' Ἰά-
λυσον ἔτεκεν. Λίνδον τ'. ἀπάτερθε δ' ἔχον

 διὰ

*διὰ γαῖαν τρῖχα δασ-*
*σάμενοι, πατρῷίαν*
*ἀστῶν μοῖραν. κέκλων) δέ σφιν ἕδρην.*

Euſtathius ad Dionyſium: *Καὶ κάμειρος διὰ τοῦ ι γραφομένη, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ κυρίου. ὁ γὰρ κάμειρος τὸ κύριον γράφεται διὰ τοῦ διφθόγγου.*

*Præterea ædes, vt ouium paſtoris, ſunt apud Camirenſes ἐπὶ μηλίου*) Scribo, *ἐπιμηλίου.*

*Sed vbi quandoque partus eſt*) Lego, *eſſet.*

*Aquila propter exprimunt inſtar volatus*) Ita etiam in v.c. eſt. Reſtituo tranſpoſitis leuiter vocibus: *aquila inſtar exprimunt propter v.* Eſt autem *Inſtar* hoc loco idem quod effigies & figura. Auſonius in Parentalibus:

*Voce ciere animas funeris inſtar habet.*

Agellius lib.2.cap 6. *Inculpatus autem inſtar eſt inculpatæ virtutis.* Apuleius Florid.11. *Pſittacus Indiæ auis eſt, inſtar illi minimo minus quàm columbarum.* Pro formâ poſuit Virgilius Æneid.6. extremo:

— *quantum inſtar in ipſo.*

Pro effigie & ſimulacro Macrobius hîc, & Suetonius in Iulio Cæſare: *Cuius iam etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſteà dedicauit.*

Cap.xviii. *Παιὰν, ἀπόλλων, ἄλυρε*) Lego, *ἄπολλον* quinto caſu.

O *κρηναῖος, ὁ μάντις*) Lego *ὁ καὶ βάκχειος, ὁ μ.*

*Quem Baccapea, item quem Briſſea appellant*) Monſtra verborum! Reſtituo; *q. Baſſarea, i.q. Bryſea ap.* Nota nimis *Βασσαρεὺς* & *Βρυσεὺς* Bacchi cognomenta. Iam, vt obiter hoc dicam, quod ait Macrobius Liberi ſimulacra alia eſſe puerili, alia virili, alia ſenili ſpecie, cur id factitatum docet Vlpianus ad Oration. *κατὰ μειδίου. ἐκ πάσης ἡλικίας ἠγνίζοντο χορῷ τῷ διονύσῳ. διὸ καὶ πᾶν σχῆμα αὐτῷ περιτιθέασι. καὶ γὰρ παῖδα, καὶ πρεσβύτην, καὶ ἄνδρα γράφουσιν αὐτόν.* Macrobius phyſicam rationem reddit.

*Quem illi Sebadium nuncupantes*) Lego, *Sabazium.* Euſtathius ad Dionyſium: *ἔστι δὲ καὶ ἔθνος θρακικὸν σάβαι, ὅπερ τοὺς βάκχους δηλοῖ φρυγίᾳ διαλέκτῳ. ἐξ οὗ καὶ ὁ διόνυσος ἔοικε σαβάζιος λέγεσθαι, διότι καὶ βάκχος ὁ αὐτός.*

Cap.xx. *Et potentiam capacitatis oſtentat*) Lego, *e.p. rapacitatis.* Subdit enim: *quia in eum omnia terrena redeunt dum immiſſo calore rapiuntur.*

Cap.xxi.



Cap.xxi. *Quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur*) Obiter Cenſorinum emenda cap.19. *Eoque ver, æſtatem, autumnum, hyemem, ὥρας & annum dici,* &c. Scribo, *ὥρας.*

*Rurſus emergens ad æſtiuum hemiſphærium tanquam enaſcens in augmentum porrigitur*) Lego, *tanquam renaſcens.*

*Quem Neton cognominant*) V c. *Netiron.*

*Ab imis partibus prominentium ſemper ſcopulorum alta depoſcit*) Lego, *ſcopulorum alta depaſcit.*

*A quo vita non ſolum aëris terreniſque animalibus datur*) Melius, v.c. *aëreis terreniſque.*

Cap.xxiii. *Eius diei ſimulacrum ſumptum eſt*) Lego ex vet.cod. *dei.*

*Vitam centurialem deus &c.*) V.c. *Vitem* Optimè. Clamant ſequentia.

## LIBRI SECVNDI

Cap.ii. *Quorum magis vetuſtatem quam breuitatem mireris incertum eſt*) Ita etiam eſt in v.c. Lego tamen *quorum magis venuſtatem.*

*Rimata itiner tranſitus*) Emenda Agell.lib.19.cap.11. vbi male *itineri tranſitus.* Eſt verò *Itiner* nominatiuus antiquus. Inuenio & apud Manilium lib.1. & Capellam lib.9.

*Ad puerum intus viuerem*) Augeo vnâ voce: *Ad puerum at intus viuerem.* Ex Agellio.

Cap.iii. *Caninius quoque Reuilus*) Ita etiam in v.c. eſt. Lego: *C.q. Reuilius*, vt antè, *Marcus*, inquit, *Otacilius Pitholaus, cum Caninius Reuilius vno tantum die conſul fuiſſet*, &c.

Cap.vi. *Caſcellius iuriſconſultus vrbanitatis miræ feſtiuitatiſque habebatur*) V.c. *Cæcilius* Rectè Sextum Cæcilium I.C. cum Fauorino ſuper xii. tabb. legibus differentem laudat Agellius lib.20 cap.1. Poſteà quoque, *Fortè his diebus Caſcellius conſultus à quodam.* Iterum lege, *Cæcilius.*

Cap.vii. *Ergo bis tricenis annis*) Malè; melius v.c. *Ego b.t.*

*Eques Romanus Lare egreſſus meo*) Scribo, *E.R. Lared e.m.* metri cauſsâ.

*Nimium altercando*) Horum quinque ſequentium verſuum apud Agellium alius eſt ordo.

*Pars beneficij eſt, quod petitur, ſi citò neges*) In Agellio eſt, *ſi bellè neges.* Magis placet Macrobij lectio, quam etiam ipſi velim reſtitutam.

Poſſe

*Poſſe vt fieri inimicum putes*) In Agellio eſt, *vt fieri hunc i.p.* Carminis ratio iubet tranſponere vocem, *poſſe vt fieri inimicum hunc putes.*

Cap.VIII. *Fomitem eſſe quendam & ignitabulum*) Melius v.c. *incitabulum.*

ἢ διὰ τὸ τὰ ἀπ' τούτων) Lego τὰς ἀπ' τ.

ἢ ὅλως οὐχ ἥδιον) Lego, ὅλως οὐχ ἥ.

## LIBRI TERTII

Cap.II. *Cùm faciam vitulâ pro frugibus*) Iuuenalis interpres vetus Sat.9. aliter citat: *Cùm faciam vitulum p.f.* Hoc monere volui.

Cap.III. *Seruius Sulpitius religionem eſſe dictam tradidit*) Gellius lib.4.cap.9. Maſurium Sabinum huius ſententiæ laudat auctorem. Neceſſariò in alterutro mendum.

Cap.VI. *Meminit huius aræ & Cato de liberis educandis*) Ita etiam v.c. Lego, *Meminit huius & Varro Cato d.l.e.* Cato, ſiue de liberis educandis, notiſſimus Varronis liber. Librarij indocti malè hîc conuenire vtraque iſta nomina exiſtimantes, alterum inſignitâ fraude eiecerunt.

*Sed Veratius pontificalis*) Ita etiam v.c. Lego tamen *Veranius*, cuius multa mentio Feſto, & ipſi huic Macrobio.

*Hoc amplius addit Gauius Baſſus*) Scribo *Gabius Baſſus.*

*Quæ hunc ritum velandi capitis inuenit*) Lego vt eſt in v.c. *qui h.r.* de quo ritu plenius in Variarum libris.

Cap.VII. *Portendi imperatori omnium rerum felicitatem*) V.c. auctior, *Omnium rerum cum felicitate largitatem.* Optimè: declarant ſequentia illa Tarquitij verba: *Principi ordinis & generis ſummâ cum felicitate largitatem auget.*

Cap.VIII. *Læuius etiam ſic ait*) Fortè legendum *Lauinius*; cuius librum *Sordidorum Vocabulorum*, citat Agellius lib.20.cap.11.

*Iulius Feſtus de verborum ſignificationibus libro* XIII.) Scribo XI. Librarij nimiumquantum ſupini in vnitatis notâ ſcribendâ. De Iulio Feſto, mendam eſſe benè olim notauit vir magnus.

Cap.IX. *Sammonici Sereni vtrumque carmen*) Etiam Arnobius lib.6. *Sammonicum* nominat. Spartianus tamen *Samonicum* in vitâ Caracallæ. *Occiſi ſunt & in balneis plures, & in cœnis, inter quos Samonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam exſtant.* Ex quibus verbis obſerua ætatẽ quâ vixerit.

Cap.XIII.



Cap.XIII. *Nam Cincius in ſuaſione legis Fanniæ*) In Policratico Saliſberienſis lib.8. cap.7. eſt: *Titius in ſuaſione l. F.* quod magis probo. Meminit huius Titij Feſtus in *Offendices.* Vide infrà etiam huius libri cap.16. vbi ita habes: *C. Titius vir ætatis Lucilianæ in oratione quâ legem Fanniam ſuaſit.* Verè emendaui. Nec tamen neſcio L. Cincium Alimentum, cuius mentio apud Agellium, Feſtum, Liuium, Nonium, Arnobium, & alibi apud hunc ipſum Macrobium.

*Hoc quoq; nuper inſtitutum*) Verba ſunt Varronis è l.3.c.12. de R. R. quæ tamen paullò ſecius, quàm Macrobius, refert Saliſberienſis Policratici loco citato. Lego: *Hos quoque n.i. e.v. ſaginarent pleraq;, cùm exceptos è leporario concludant i.c.*

Cap.XIV. *Plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibuſq; quingentis*) Saliſberienſis lib.8.cap.12. *ducentis.*

*Quod me reip. maximè miſertum*) Melius v.c. *quò me.*

*Marcus Cato ſenatorem nõ ignobilem Cæcilium ſpatiatorem atq; feſcenninum vocat*) Lego *ſ.n.i. M. Cælium.* Ex Agellio l.1. cap.15. & Feſto in *Spatiatorem.* & Aſconio ad Milonianam. Apud Ioannem Saliſberienſem malè quoque *Cæcilium.*

Cap.XV. *Quod hæ in ſummâ aquâ præ pinguedine fluentur*) Lego *flutent.* ex veteris codicis veſtigiis.

Cap.XVI. *In latebras reddam meis dentibus & manibus*) Emendo, *dentibus & faucibus.* Sic infrà loquitur ex hoc verſu indubiè Macrobius cap.17. *Cùm Antonius quicquid mari, aut terrâ, aut etiam cælo gigneretur, ad ſatiandam ingluuiem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet.* Poſſit cui etiam legendum videri, *dentibus & maxillis*, vel (vt placet magno Scaligero) *mandibulis.*

Cap.XVII. *Dignus ſculna Munatio Planco*) V.c. & Saliſberienſis lib.8.cap.7. *culina Numatius Plancus.* Emendo, *dictus ſculna Munatius Plancus.* Apud veteres Latinos *Sculna* idem qui *Sequeſter.* Vide Agell. lib.20.cap.11.

*Quippe qui omnia quæ apponebantur ex cotidianis opibus agnoſceret*) Ita etiam eſt in v.c. Lego, *ex cotidianis dapibus a.*

Cap.XVIII. *Gauius verò Baſſus in libro*) V.c. *Caius.* Sed etiam heic *Gabius* legi debet.

*Nam vir doctus Oppius in libro quem fecit de ſilueſtribus arboribus*) Lego *vir doctus Opilius.* Eſt autem Aurelius Opilius è cuius libris de Silueſtribus Arboribus verba producit Feſtus in *Fomites*; cui etiam bis reddes hoc nomen, in *Ordinarium hominem*, & *Ratitum quadrantem.* Vtrobique habes

*Oppius.*

*Oppius*: Malè. quod monitus à me mutato.

*Itemq; Pontica mox*) Emendo *Pontica nux*, vt etiā erat in v.c.

Cap. xix. *Scandianeum*) Emendo, *Scandianum*. Columella lib.5.cap.10.

*Accipite quæ Oppius in libro*) Etiā heic *Opilius* legendum.

*Quod ait Oppius inter veſtem poni citreum*) Iterum *Opilius* ſcribe:

*Turrinianum*) Columella *Turranianum*.

Cap.xx. *Harundinea*) Lego, *hirundinea*. Ea eſt quam *Chelidoniam* vocat Columella lib.10. *Purpureæq; Chelidonia, pinguesq; Mariſca.*

*Briſera*) Emendo *bifera*. ex Columellâ.

*Caldica alba nigra*) Lego, *Chalcidica a n.*

*Ludia, leptoludia*) Scribo, *Lydia, Leptolydia.*

*Marſica*) Lego, *Mariſca.*

*Alternum ſanguinem*) Lego, *Alaternum, ſalicem*. Alaterni meminit Plinius lib.16.cap.26. Et Columella lib.7.cap.6.

*Pauſia. Paulia.*) Lego, *Pauſia. Paphia*. ita dicta à Papho vnde allata. Vide Iſidorum lib.17 cap.7.

*Albena Apiana*) Scribo, *Albana, Appiana.*

*Numentana*) *Nomentana.*

*Vennucula*) *Venucula.*

## LIBRI QVARTI

Cap.iv. *Occiditur, inquit, in acie Caleſus*) V. c. *Galeſus*. Lego, *Haleſus*. Virgilius Æneid. 10.

Cap.v. *Hic materiam eius irriſit*) Lego, *miſericordiam e. i.* ex vet.cod.

## LIBRI QVINTI

Cap.ii. *Vnde enim Veneto ruſticis parentibus nato*) Legendum, *vnde enim Vergilio.*

Cap.xi. *Nam poſt ſanguinis ille opifex*) Lego, *ſanguis ille o.* Niſi putes nominatiuo antiquo vti voluiſſe Macrobium. Quod mihi quidem veriſimile non fit.

Cap.xv. *Quiq; Coſas liquere*) Reſcribo ex Virgilij codicib.

*Quique vrbem liquere Coſas.*

*Aſtur, itemque Cupano*) Scribe, *Cupauo*. Leue.

*Cum Aleſus & Sarato ignotiſſimi pugnent*) Lego, *& Sacrator*; ex illo Virgilij:

*Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpem.*

Cap.xvii.



Cap.xvii. *Κὴ ἰνάω μελικέρτη*) *Κὴ ἐναλίῳ* eſt apud Agell. lib.13.cap.25.

Cap.xix. *Sicut, vir alias doctiſſimus, Cornutus exiſtimat*) V.c. auctior: *Sicut Aurelius*. Lego, *S. Annaus*. Nam id Cornuto prænomen.

*Sed Carminij curioſiſſimi*) Fortè *Granij*. Nobiliſſimus auctor Granius Licinianus Flaccus.

Cap.xx. *Μετὰ ἢ τὴν Ασσον ἐςὶν γάργαρα πλησίον πόλις*) Lego. *Μετὰ ἢ τὴν Ἄτλω*. Nam olim ita Ilium appellitatum, vt doceo ad Lycophronem.

*Ἰὼ καίκε μύσιαί τ' ἐπιῤῥοαί*) Lego, cum Cl. V. Theod. Cantero, *ἰὼ κάϊκε.*

## LIBRI SEXTI

Cap.i. *Redeunt, referunt petita rumore ſecundo*) Sueuij verſus eſt. Ego inuerto, & reſtituo:

*Redeunt, referunt rumore petita ſecundo.*

*Virtute is par, diſpar fortunis patris*) Optimè Hugeianus Grotius meus, optimæ ſpei adoleſcens, *Virtuti ſis par* &c. Monetque adumbratum ex iſto Sophoclis, in Aiace:

*Ω παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,*
*Τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός.*

Cap.ii. *Endo mari magnos fluctus extollere certant*) Legendum, *Endo mari magno*. Quid autem ſit mare magnum docuerunt viri magni ad Catullum & Ennium. Nos quoque obſeruauimus apud Chryſologum Sermon.xxxiv.

Cap.v. *O Dionyſe, pater optime, vitiſator, Semela genitus, Euthuie*) Lego, *Eubyie.*

Cap.vii. *Qui quod homines omnium gentium immolare ſolitus fuit*) Lego, *hoſpites o g* Vide Agell.lib.2 cap.6.

*Πολλάκι καὶ μωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν*) Lego, *πολλάκι γὰρ καὶ μ. ἀ.*

*Eius ſerpentis ſquamæ ſqualido auro & purpurâ pratexta*) Lego, & interpungo, *Eius ſ.ſ. ſqualidæ auro, & p.p.*

Cap.ix. *Si vnquam redero, bidente verre*) Apud Agell. lib.16.cap.6. *redierit.*

*Sed omnes beſtias bimas*) Agellius *hoſtias* in Nigidio legiſſe iudicari poteſt.

## LIBRI SEPTIMI

Cap.i. *Philoſophiam eâ, quam maximam putas, obſeruatione venerari*) Malim, *P.e. quâ maximâ potes, o.v.*

Cap.ii.

CAP. II. *Quid niſi poſt emenſa infortunia*) V. c. auctior, *Quid aliud niſi p. e. i.*

CAP. III. *Sed interdum non tangunt audientes*) Lego, *ſed interim.*

CAP. VIII. *In carbonum fruſtrà lucentia igne vertuntur*) Scribo. *i. c. fruſta l. i. v.*

CAP. IX. *Audiui ſæpe dicentem cerebro non eſſe in ſenſum*) Lego, *ineſſe ſenſum.* Aut ex v. c. *eſſe ſenſum.*

CAP. XII. *Aqua quæ obſita globis nubium*) Lego, *globis niuium.*

CAP. XVI. *Hinc & nutrices pueros alentes operimentis obtegunt*) Emendaueram ex coniecturâ *p. fellantes,* cùm v. Cl. Theodorus Canterus ſignificat mihi etiam ſe id feciſſe ex vetere libro.

## LECTOR AMICE,

NE ſis neſcius, editionibus vſus ſum binis, vnâ recenti Henr. Steph. anni cIↄ. Iↄ. LXXXV. alterâ vetuſtâ Bononienſi anni cIↄ. Iↄ. I. cum quâ hanc poſteriorem contuli. Quod ſi placere tibi hunc laborem meum intellexero, proximâ fæturâ Arnobium cum Critico libello quingentis amplius locis emendatum dabo, ſi mihi vitam vitæ auctor. Vale, &, quiſquis es,

ÆTERNITATEM COGITA.

[BIBL]IOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA